

FR. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI

ORDINIS PRAEDICATORUM

E Congregatione S. Marci.

DE PETRI A SOTO

EJUSDEM ORDINIS,


ET JUDOCI RAVESTEYN,

De Concordia Gratiae, & Liberi Arbitrii cum Ruardo Tappero Epiſtolari Diſputatione.

LIBER APOLOGETICUS

Quo Soti Doctrina a recentis Hiſtorici Cenſuris adſeritur:





ROMAE MDCCXXXIV.

Typis Hieronymi Mainardi in Platea Montis Citatorii.

Superiorum Permiſſu.

Cui Viro probrum hoc objicit Duchesnius? *Ei, qui nullam aliam, praeter Catholicam, fidem didicerat .... Ei, quo vix quemquam hominem haec nostra saecula tulerunt sanctiorem.*

Card. Hosius Confutat. Prolegom. Brentii.

SANCTISSIMO
D. N. D.
CLEMENTI XII.


PONT. OPT. MAX.

F. JOSEPH AUGUSTINUS ORSI ORDINIS PRAEDICATORUM.



QUOD Petrum a Soto, BEATISSIME PATER, defendendum pro virili parte ſuſceperim, adornatamque pro ipſo defenſionem SANCTITATI TUAE demiſſo animo offerre decreverim,

non una mihi ratio fuit. Quum enim Sotum ab impactis ipsi criminationibus vindico, non id tantum ago, ut Dominicani Instituti, quod *SANCTITAS SUA* singulari amore, ac benevolentia complectitur, & cujus ille decus atque ornamentum fuit, existimationi, & honori consulam; sed etiam, quod certe Christianae Reipublicae refert maxime, ne *Prae*decessorum Tuorum, & Oecumenicae Synodi de illius pietate, doctrina, & eruditione gravissimum, incorruptumque judicium perditae Factioni, & proscriptis erroribus patrocinetur. Ea semper fuit Ecclesiae Romanae, & Apostolicae Sedis auctoritas, ut vel ipsi sacrorum dogmatum profani, ac sacrilegi Temeratores Romam ausi sint ab universis Christiani Orbis partibus convolare; magnum se rati suscepti laboris, atque itineris pretium laturos, si subdole in ejus communionem irreperent, & aliquod inde fidei suae testimonium auferrent. Testem hujusce rei locupletissimum habeo Martyrem Cyprianum, his ad Cornelium Romanum Pontificem verbis

scri-

ſcribentem (a): *Navigare audent & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt.* Nimirum auſus id olim Valentinus (b), auſi Cerdon, & Marcion (c), auſus Praxeas (d), auſi Montaniſtae (e), auſus Celeſtius (f), atque ut alios vetuſtiores praeteream, auſus id etiam, ſuperiore labente ſaeculo, Molinoſius. Verum quae ſemper fuerit ejuſdem Romanae Eccleſiae ſingularis praerogativa, idem exponit Beatiſſimus Martyr, quum ſtatim eorum temeritatem his ſane graviſſimis verbis caſtigat: *Nec cogitare, eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo praedicante, laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Nam ut magna vis luminis in ipſos etiam latebroſos receſſus penetrat, & tenebras inde fugat, ac diſſipat: ita nulla unquam Romae fuerunt Haereticorum latibula, nulli receſſus, in quos tandem non penetraverit coeleſtis luminis vis, & fidei vigor, ac non in-

(a) Epiſt. 55. al. 52.
(b) Apud S. Irenaeum lib. 3. adverſ. Haereſ. cap. 4.
(c) Apud eundem ibid.
(d) Apud Tertull. lib. cont. Prax. cap. 1.
(e) Apud eundem ibid.
(f) Apud S. Auguſtin. lib. de peccat. Origin. cap. 23. & alibi.

inde latitantem perfidiam, atque hypocrisin exturbarit. Quandoquidem etsi in Urbem aliquando Valentini, Marciones, aliaeque pestes irrepserunt; eis tandem larva detracta est, & vel in fugam praecipites acti sunt, vel ipsorum coercita insania est.

Eximium hoc, BEATISSIME PATER, Ecclesiae Romanae decus obscurare, imprudens, credo, & incautus, adgressus est, qui nuper Sotum veluti Haereticorum Prodromum, & Haeretici Systematis Architectum, ac Praeformatorem traduxit. Non enim Sotus is est, cui tantum brevi, & quoad tempus obductas simulatione tenebras excuteret, Romanorum Pontificum gratia, & benevolentia frui, datum sit; sed in eis constantissime, & ad extremum usque spiritum perseveravit. Exstant hujusce rei perenne testimonium, Ecclesiasticis etiam insertae Annalibus, & monumentis Apostolicae Literae, quibus Paullus III. non semel tantum (a), aut iterum (b), sed & tertio (c), Soti pietatem, eruditionem,

Ca-

(a) Ap. Odoric. Raynald. ad an. MDXLV. n. 56. (b) Id. ad an. MDXLVII. n. 17.
(c) Exst. in Append. Documentor. ad lib. cujus tit. *Storia del dominio temporale della Sede Apostolica nel Ducato di Parma, e Piacenza.*

Catholicae Religionis, & Fidei zelum plurimum commendavit. Quae autem Pio IV. de illius virtutibus, doctrinae integritate, & rerum divinarum ſcientia fuerit exiſtimatio; hoc certe praeclaro argumento eſt, quod eum, tot inter clariſſimos ſummoſque Viros, quibus illa aetas adfluxit, ac plurimum illuſtrata eſt, primum delegit, ut Tridentinae Synodo tamquam ipſius Romani Pontificis Theologus intereſſet. Quo profecto ſubleſtae fidei Virum, & cujus non ſibi optime perſpecti fuiſſent, atque explorati de rebus ad religionem ſpectantibus ſenſus, neutiquam ſapientiſſimus Pontifex deſtinaſſet. At quam praeclare *So*tus functus eo munere ſit, & omnes praeſtantiſſimi Theologi numeros, ac partes impleverit; univerſi Patres teſtati ſunt, quum ſtudiis, ſuſceptiſque pro Religione laboribus fractum, & acerbo funere exſtinctum, perinde doluerunt, ac ſi unum *e ſuis maximis Luminaribus* (a), & totius Synodi *fulgentiſſimum Lumen* (b), occubuiſſet.

So-

(a) Card. Pallavicin. lib. 20. Hiſt. Conc. Trid. cap. 13.
(b) Raynald. ad an. MDLXIII. n. 71.

Sotum ergo noſtrum, imo & Tuum, ut quem ſibi tam arcte Praedeceſſores Tui, dum viveret, devinxerunt; & qui viciſſim tum ſumma, quoad in vivis fuit, Romanos Pontifices veneratione coluit, tum in ipſo extremo ſpiritu, dictata ad Pium IV. Epiſtola (a), ſupremam ſe Apoſtolicae Sedis in univerſam Eccleſiam, & Oecumenica Concilia auctoritatem agnoſcere profeſſus eſt; Sotum, inquam, Tuum, BEATISSIME PATER, jam vita functum, & pluribus criminationibus appetitum, eadem, qua olim ipſum & Paullus III., & Pius IV., benignitate complectere, & Apoſtolica auctoritate tuere: Meque ſub Tuis auſpiciis ejus in hoc libro cauſſam agentem SANCTITAS TUA Paterna benevolentia, & Apoſtolica benedictione dignetur.

PRAE-

(a) Apud eumd. ibid.

PRAEFATIO.



UAMQUAM Romani Pontifices, atque Ille imprimis, qui modo Ecclesiae universae clavum tanta aequitate, ac sapientia moderatur, ejusque Decessor Benedictus XIII. & superiore saeculo Innocentius XI. ad fovendam inter ejusdem communionis filios, ejusdemque mystici Corporis membra pacem atque concordiam, paterna sollicitudine intenti, Apostolicis decretis gravissime sanxerint, ne se invicem Catholici Theologi mordeant, & opinionibus, quas Ecclesia Romana vel probat, aut non improbat & permittit, haereseos, aliasve notas inurant: attamen, quae humanae naturae conditio est, rari admodum sunt, qui se scholae concertationibus immiscuerunt, quibus non aliquid exciderit, & qui se summa religione circumscriptis terminis continuerint. Difficile est enim in ipso disputationis aestu lima in omnibus uti, & sub judicium singula verba vocare. Sed haec levia mutuo nobis dare & condonare debemus: est enim impotentis animi, quolibet minus urbano, & paullulum asperiore dicto irritari. At contra, ubi omnibus decori & officii partibus ac legibus neglectis, Catholicis opinionibus, & Viris inter Catholicos spectatae integritais, ac fidei, pravae doctrinae & haereseos macula inuritur, stuporem potius, quam virtutem putarem, illatam tibi vel tuis contumeliam dissimulare, ac surdis auribus praeterire.

Nulli ergo mirum aut insolens videri debet, quod nuperum rerum Baianarum Historicum scriptis adgredi instituerim. Non enim ille Viros doctrina, pietate, ac religione insignes, verbo tantum minus cauto ac polito laesit, quod utique prudentia dissimulandum esset; sed palam in eos, & aperte invasit, ac veluti Calvinianae, et Baianae haereseos contagione adflatos, nulla prorsus Apostolicarum legum, ac decretorum habita ratione, perstrinxit. Neminem latet, Belgicas adversus Lessium et Hamelium Censuras, quamvis Romae saepius ad examen revocatas, nullo unquam Sedis Apostolicae decreto fuisse confixas. Constat, Lovanienses, quotiescumque Apostolicae Sedi significarunt, haud

aliam ab ipsis propugnari, quam expositam in iis Censuris doctrinam, toties Summorum Pontificum gratulatorias literas accepisse. Constat etiam, eosdem Lovanienses, velut avitam Majorum suorum hereditatem, earumdem Censurarum sensus adhuc, Sede Apostolica minime refragante, tueri. Denique constat, laudatas Censuras fuisse ab Henrico Gravio, Johanne Lensaeo, & Guillelmo Estio, Viris imprimis Catholicis concinnatas; a Belgicis Academiis & Episcopis, strenuis illo aevo & egregiis Catholicae fidei propugnatoribus, adoptatas; ac demum eorum fere omnium, ceterorumque Theologorum suffragio, & subscriptione munitas. Qui ergo debitum Romanorum Pontificum decretis obsequium Historicus non violavit, quum toto passim in Opere, ac praesertim libro tertio praefatas Censuras veluti Calvinianae, Baianae, & Jansenianae doctrinae surculos ac semina exagitavit; & Ecclesiae Belgicae Doctores, Academias, & Episcopos adeo indignis modis habuit, & confictis ad arbitrium narrationibus oneravit? „ Doctrina, „ inquit (*a*), *in Censuris exposita, merus Calvinismus est, non ille* „ *quidem durior, atque horridior, sed quodammodo temperatus; cujusmodi sub sequentis saeculi initium Synodus Dordracena proposuit:* „ *Baius illum ex Soto hauserat, adoptaverat, & in suis Discipulis* „ *propagaverat, qui utramque Belgii Academiam, & Episcopatuum,* „ *aliarumque Ecclesiae Belgicae Dignitatum partem maximam occupabant. Ut haec doctrina*, subjungit, *ab hinc annis* 130. *Ecclesiae* „ *pacem turbavit, statim sub Baianismi, deinceps sub Jansenismi nomine eam propriis Auctorum suorum verbis exponere, operae pretium* „ *est. Ita paucis verbis, Belgicis Academiis, Episcopis, Theologis, aliisque Ecclesiasticis, mollioris cujusdam, Calvinismi, Bajanismi, & Jansenismi notas inurit.*

At illarum Provinciarum Episcopi adversus errores Baii a Summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. proscriptos in excubiis erant. At Lovaniensis Academia Bullam, Ex omnibus afflictionibus, *debita*

(a) Ce n'etoit qu'un Calvinisme mitigé assez ressemblant à celui que le Synode de Dordrect adopta au commencement du siecle suivant. Baius l'avoit reçû de Pierre Soto ...... il l'avoit épousé & transmis à ses disciples, qui remplissoient les deux universitez de Flandre, & la plupart des Evechez & des postes de l'Eglise Belgique .... Comme cette doctrine a troublé l'Eglise depuis plus de 130. ans d'abord sous le nom de Baianisme, ensuite sous celui de Jansenisme, il est necessaire de la représenter en elle-meme dans les termes des Auteurs. Pag. 192.

veneratione susceperat. At Lovanienses Theologi ad suae doctrinae sensus Apostolicae Constitutioni conformandos dato sacramento, se obstrinxerant. Nihil horum inficiatur Duchesnius, imo haec omnia palam agnoscit, ac profitetur. Verum statim ac Censuram in Lessium & Hamelium adornarunt; Episcopi, Academiae, Theologi, mira prorsus & hactenus inaudita μεταμορφώσει, Calviniani, Baiani, & Janseniani evaserunt: „ *Episcopi*, inquit [a], *qui Baium audierant, veterem erga Magistrum, ejusque opiniones adfectum retinebant. Universa Facultas Theologica Lovaniensis Cancellario suo* „ (Baio) *devota erat, & ex ejus discipulis conflata. Sectarii, qui* „ *Facultatem Theologicam obtinebant, sacramenta ore praestabant,* „ *quibus & corde & opere refragabantur.*

His ille probris ac maledictis onerat spectatae virtutis, probataeque fidei Theologos. Ut enim alios praeteream; constat, in adornanda Censura Lovaniensi potiores Henrici Gravii, & Johannis Lensaei fuisse partes: Hos autem strenue Baianis erroribus restitisse, compertum est: atque eos propterea Gerberonius in Baianis *inter praecipuos Baii adversarios recenset; quorum scilicet opera factum est, ut ejus doctrina, & excerptae ex ejus libris propositiones proscriberentur. Et Johannes quidem Lensaeus totius Facultatis nomine, Gravio tum Decano id muneris demandante, confixis a S. Pio V. propositionibus auream Catholicae doctrinae Expositionem opposuit in XIV. Capita distributam, quam summis ipsemet Duchesnius in coelum laudibus effert, & insigne traditionis XVI. saeculi monumentum appellat. At vero Henricus Gravius, Censurae Lovaniensis Auctor, a Sixto V. ob exquisitam eruditionem Romam adscitus, & a Gregorio XIV. ejus successore honorifice in Aulam exceptus, Bibliothecae Vaticanae Custos est institutus, & Apostolicae* Typographiae *praefectus, Eminentissimis Cardinalibus, ac praesertim S. Carolo Borromeo, & Caesari Baronio, ob egregia merita carissimus fuit: ac paullo post praematura morte ereptus, illud obtinuit Epitaphium, quod ejus tumulo moerens ad-*

 po-

(a) Ils conservoient toujours de l'inclinati n pour leurs Maitres ..... La Faculté de Theologie de Louvain étoit toute à la devoti n de son Chancelier, & composée de ses eleves ..... La bouche des Sectateurs de Baius prêtoit des sermens que le cœur n'avouoit pas, & que la conduite démentoit. *Pag.* 191.

posuit laudatus Cardinalis Baronius, in ejus pietatis ac doctrinae perenne monumentum.

D. O. M.

Henrico Gravio, eximiae probitatis, spectataeque eruditionis Viro. Quem post quatuor lustrorum in florentissima Lovaniensi Academia Sacrae Theologiae publicam professionem, Sixus V. P. M. insignis eruditionis ergo Romam evocavit. Gregorius XIV. in Pontificiam Aulam excepit. Sed amplioribus dignum honoribus Christus in coelum evexit die 11. Aprilis Anno 1591. aetatis suae 55.

En quales Viros, Calvinianae, Baianae, & Jansenianae labis macula Duchesnius contaminavit, haereticis adjudicavit, & segregi Factioni duces & antesignanos praeposuit. Eos ab irrogatis contumeliis vindicare, non est hujusce Operis argumentum. Nam ad Lovaniensem & Duacenam adversus Lessium & Hamelium Censuras quod attinet; ut fabulae, quas iterum Historicus ingerit, centies ab aliis Scriptoribus dissipatae sunt, toties coctam & recoctam crambem recoquere, nullum esset operae pretium.

Aliud est ergo praesentis Operis institutum. Duchesnius enim Suorum de Belgicis Censuris ad arbitrium compositas narrationes descripsisse minime contentus; ut aliquod etiam ex novitate Historiae suae pretium compararet, novum, & hactenus inauditum e Dominicana Familia in scenam producit Baianorum & Jansenianorum Patriarcham. Scilicet eorum dogmatum invidia; quomvis ea primus damnaverit S. Pius V. quem PraedicatorumOrdo, antequam ipsum divina Providentia ad Petri solium eveheret, Angelicae doctrinae lacte nutriverat, in hujusce tamen Familiae & Scholae Theologos, velint nolint, derivanda est. Verum in eo Historici prudentia desideratur: quod non obscurum hominem elegit, ad quem Baianismum & Jansenismum velut ad fontem & originem revocaret, sed imprimis insignem, & cujus inter Catholicos tanta est celebritas nominis, ut vel ea, si alia momenta deessent, ab irroganda tanto Viro tam atroci contumelia, cohibere prudentem Historicum debuisset. Fuit is Petrus a Soto, qui non modo ea, qua fulsit pietate, atque eruditione Praedicatorum Ordinem plurimum illustravit; sed etiam rerum pro Ecele-

clesia gestarum gloria Hispaniam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Italiam, imo & universum Christianum Orbem implevit. At quis fuerit Petrus a Soto, quae illius virtutes, ac rerum divinarum scientia; qui in profligandis haereticorum erroribus, & Catholica Juventute erudienda labores; quanti eum Romani Pontifices, Tridentini Patres, & Summi Reges ac Principes fecerint: quibus eum laudibus amplissimi Cardinales, Truchsius, Hosius, Pallavicinus exornarint: quibus denique encomiis ejus doctrinam, morum sanctitatem, Catholicae fidei zelum, & cedro dignas lucubrationes, gravissimi quique Scriptores extulerint; deinceps lato calamo proferens eorum testimonia, demonstrandum adgrediar; quibus praeclare ac luculenter evincam, eum hactenus inter summos saeculi XVI. Catholicae fidei propugnatores omnium fuisse opinione recensitum. Paullus III. (*ut aliquid ex ejus laudibus in antecessum delibem*) *Paullus, inquam, tertius, aptissimus quorumque meritorum aestimator & judex, Apostolico Brevi ad ipsum dato, ejus* pietatem *commendat ac* singularem doctrinam. *Pius IV. eum primarium suum ad Tridentinam Synodum Theologum destinavit*. Summam, *in eo Christiani Orbis Consessu, obtinuisse* existimationem severae probitatis, solidaeque scientiae, *Cardinalis Pallavicinus testatur: qui & subjungit*, Soti mortem, cum perfecto religiosae pietatis exemplo conjunctam, summopere displicuisse Concilio: cui, *inquit*, visum est relinqui velut in infausta caligine, ademptis sibi ex omni genere quibusdam e suis maximis Luminaribus. *Cardinalis Hosius Pii IV. in eadem Synodo Tridentina Legatus, Brentii adversus Sotum* Prolegomena *libris editis confutavit: eoque in Opere cum impudentissimo Sycophantae graviter indignatur, quod* mendaciis tam sancti, *inquit*, hominis famam *contaminarit; tum miris eum laudibus ornat, eoque* vix quemquam hominem ea saecula tulisse sanctiorem, *tradit; &, quod in rem nostram maxime facit*, nullam *eum* aliam, praeter Catholicam fidem, didicisse, *testatur*. Virum & verbo, & opere ad docendum ea, quae sunt pietatis, potentem, *Cardinalis Truchsius appellat in Epistola Pastorali, qua Soti* de Sacerdotum Institutione *libros in Dilingana Academia publice legendos mandavit. Denique, ut alios quamplurimos, postea producendos, Soti laudatores praeteream, Nicolaus San-*

de-

derus, ejus in Oxoniensi Academia, & Anglica Juventute ab haereticis sordibus emaculandis, & Catholicis Dogmatis imbuendis labores & industriam praeclaro encomio commendat: atque inter cetera, ipsius & Sociorum opera Academiam ita profecisse, narrat; ut non aliunde, *inquit*, hoc fidei Catholicae semen, quod Deus in tam diuturno subsequente schismate, & tam immani persecutione nobis reliquit, exstitisse videatur:

Hunc ergo tanti nominis Virum, nec modo de Catholica religione, sed de ipsa etiam Societate praeclare meritum, Baianae Historiae novissimus Editor acerbissimis calumniis passim proscindere non est veritus, eumque tandem post duo ferme ab ejus obitu saecula, quo in Tridentina Synodo, susceptis pro Ecclesia laboribus fractus occubuit, veluti haeretici Systematis auctorem denotavit. Loquens enim de Petri a Soto cum Ruardo Tappero, de conciliatione gratiae, & liberi arbitrii, *Epistolari Disputatione*; Haec, *inquit Historicus*, inter duos hosce insignes Theologos disputatio, ovum fuit, si ita loqui fas est, unde Baianismus & Jansenismus prodiere. *Deinde postquam Soti doctrinam ad nonnullas revocavit propositiones, ab hujus Theologi mente omnino alienas, subdit, quod „ qui aliqua Baianorum Dogmatum notitia perfusi sunt, eorum in his; idest, in adfictis Soto propositionibus, fundum facile agnoscent. Alio loco hanc Fabulam narrat: Baio plurimum arrisisse Soti doctrinam, cum eo deinde amicitiae vinculo junctum fuisse, ejusque opera usum esse ad eam apud Pium IV. defendendam. Et alibi: Censura Parisiensis adversum XVII. Baii propositiones fruticantis sectae lineamenta detegit, quae Sotus informavit. Et rursus; duos, inquit, ex damnatis articulis Baius ex Soto descripsit: Et alio loco: Baius Soti de gratia & libero arbitrio opiniones amplexus erat. Atque ita passim in aliis ejusdem Historiae locis, deinceps examinandis, Baianismi & Jansenismi cunabula in Soti Epistolis collocat, ac Virum lacerat, quem Romani Pontifices, Oecumenica Synodus, amplissimi Cardinales, sanctissimi Episcopi, ac Theologi, nec non clarissimi quique ac doctissimi omnium gentium ad hanc usque aetatem scriptores inter summos Catholicae fidei Magistros, aedificatores, & athletas numerarunt, & cujus famae inlibatam integritatem nulla adhuc iniquae suspicionis labes aut umbra foedavit.*

Haec

Haec itaque adversus Sotum prolata quum legerem, ac mecum reputarem; quamvis ad ea penitus diluenda satis esse judicarem, optimam hanc de Soti doctrina & religione omnium Bonorum existimationem; attamen incessit animum cupido, rem hanc universam propius inspiciendi, ac Theologi nostri non modo in Epistolis, sed & in aliis ejus Operibus, de his rebus sensus penitius investigandi. Ac Sotum reperi non modo Baiani erroris immunem, sed etiam passim pro re nata proscripta postmodum ab Apostolica Sede Baii dogmata insectantem, & invictis momentis ac rationibus evertentem. Itaque postquam Soti mentem atque doctrinam erroris puram extrinsecis argumentis demonstravi, ad ea loca consideranda ac perpendenda animum contuli, ex quibus Auctori nostro pravae doctrinae conflabatur invidia: eaque in suam sedem, unde illa Historicus evulserat, restituta, & cum antecedentibus & consequentibus collata; Catholico dogmati congruere animadverti. Equidem fateor: Soti praesertim in Epistolis oratio non semper sine salebris fluit: sunt aliqua praerupta & aspera loca, quae complanare oportuit. Sed hoc officium debemus Catholicis Scriptoribus, qui antequam haereses grassarentur, quaedam liberius extulerunt, & quibusdam minus castigatis loquendi formulis usi sunt: ut scilicet eorum dicta benignius interpretemur, neque illa in deteriorem partem accipiamus, sed, quoad fieri potest, ad Catholicum sensum revocemus. Nam nisi hanc regulam adbibeamus; quid tot illis Scriptoribus fiet, qui; Arium quid illis, qui Pelagianos, eorumque reliquias praecesserunt? Hos utique Pelagianam haeresim informasse; illos autem Arianis praelusisse, imprudentes effutiemus. Ergo non est ab illis exigenda tam adstricta, & ad normam composita loquendi ratio: Hunc enim scimus, inter ceteros, Ecclesiae fructum haereses adtulisse, quod certi constituti sunt canones, ad quos non solum animi sensus, sed & verba exigeremus. Quapropter Soto, qui longe antequam tot de his rebus Theologorum concertationes haberentur, totque Romanorum Pontificum Constitutiones prodirent, hanc habuit cum Ruardo Tappero Epistolarem disputationem, culpae vertendum non est, si quaedam illi exciderunt, quibus ultima lima adbibita non esset: Multo autem minus haec cum Duchesalo sunt in deteriorem sensum interpretanda.

At

At ut fateor, esse quaedam in Epistolis Soti, quae primo adspectu dura videri possunt, & quae non immitem Censorem, sed aequum, ac benignum interpretem desiderant: ita plurima sunt, non solum nullo modo his erroribus adfinia, quos illis Historicus tribuit; sed quae etiam aperte, ac manifeste iisdem proscriptis erroribus adversantur: Ac certe mirabitur Lector, quum passim animadvertet, eorum dogmatum Dominicanum Theologum auctorem perhiberi, quae ab illo de industria rejecta, & validissimis rationibus profligata sunt: Verum admirationem deponet, ubi Sotum intelliget, pro gratuita praedestinatione, gratia suapte vi efficaci, & physica praemotione acriter decertasse; & pari vigore tum Baianos errores, aliaque Novatorum commenta evertisse; tum adversus Lovaniensem Cancellarium haec Thomisticae Scholae dogmata propugnasse.

In eamdem quidem adversus Ruardum cum Soto arenam descendit Judocus Ravestenius, ejusdem celeberrimae Universitatis Theologus. Sed hoc illi profuit, ut ab Historici censura tutus esset, nec Baianorum Catalogo adcenseretur, quod Dominicanam vestem non induit; nec tamdiu vitam produxit, ut Lovaniensem adversus Lessium, & Hamelium Censuram munire subscriptione sua posset. Ceteroquin & ipsum in eumdem cum Lensaeo, Gravio, Lindano, Estio &c. Novatorum censum Historicus retulisset. Quoniam vero, auctore Duchesnio, aut Baianum esse oportet, aut Molinianum; Ravestenium Baianis merito ereptum, Molinianis partibus adjudicandum existimavit; quem tamen constat, alios omnino a Ruardo de efficacitate divinae gratiae sensus induisse, ac Soti doctrinam in suis ad Cancellarium Lovaniensem Epistolis vindicasse. Has ergo Epistolas sedulo, ac diligenter versavi; & quae in eas Historicus adnotavit, ab earum mente ac proposito prorsus aliena esse, certissime comperi, &, ut puto, luculentissime demonstravi. Nam contra atque Duchesnius fabulatur; in his, quae ad fidem pertinent, cum ceteris Theologis consentire Sotum, Ravestenius ostendit: quod vero ad alios articulos spectat, de quibus cum Cancellario Lovaniensi Dominicanus Theologus digladiabatur, nunquam non Soti partes, adversus Ruardum, & opiniones amplectitur. Est autem maximi ad ejusdem Soti doctrinam ab omni suspicione vindicandam momenti Judoci testimonium; tum propter in-

insignem hominis auctoritatem; tum quod coaevus auctor fuit, & Baianismi suspicione adeo non laboravit, ut maxime fuerit Baianis infensus.

Sic ergo κατὰ πόδα *Historicum sequens, nihil omnino ad Sotum pertinens praetermittam, quod non in omne latus versem, atque ostendam, aut injuria, quod alienum a fide est, Soto adfingi; aut quod recte illi tribuitur, perperam damnatis ab Ecclesia Catholica erroribus adcenseri. In hoc autem Opere concinnando non id tantum mihi proposui, ut insignem Scholae nostrae Auctorem tuerer: verum etiam ut ipsius Ecclesiae Catholicae caussam agerem; dum non solum celeberrimum saeculi XVI. Theologum a Baianis erroribus alienum fuisse demonstro, sed eosdem etiam ab eo fuisse disertissime praedamnatos.*



INDEX

Capitum, Articulorum, &c. hujusce Libri.

DE PETRI A SOTO

ORDINIS PRAEDICATORUM,

ET JUDOCI RAVESTEYN

De Concordia Gratiae, & Liberi Arbitrii cum Ruardo Tappero Epistolari Disputatione.

CAPUT PRIMUM.

Quis Petrus a Soto: & prioris ejus ad Ruardum Tapperum Epistolae Analysis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Petro Soto, ejusque pietate, religionis zelo, fidei, atque doctrinae integritate, ac Theologica eruditione; Romanorum Pontificum, Summorum Principum, Purpuratorum Patrum, Episcoporum, nec non Oecumenici Concilii, atque Augustanae Synodi, & gravissimorum Scriptorum Testimonia. pag. 1.

I. *De Petro Soto ex Bibliotheca Scriptorum Ordinis Praedicatorum Elogium Historicum.* pag. 2.

II. *Pauli III. ad Sotum Literae Apostolicae, quibus singularem ejus doctrinam, ac pietatem commendat. Quo fuerit loco apud Summos Europae Principes, & Pium IV.* pag. 4.

III. De

III. *De suscepta per Sotum* Baianae *Doctrinae apud Sedem Apostolicam defensione, Duchesnii fabula confutatur.* pag.7.
IV. *Cardinali Truchses in instituenda Dilingana Academia, egregiam Sotus operam navat.* pag.9.
V. *Soti* de Sacerdotum Institutione *libros, eorumque Auctorem idem Cardinalis Episcopus summis iuCoelum laudibus effert.* pag.9.
VI. *Cardd. Poli, & Pallavicini, necnon Caroli V. summa de Soti Virtutibus existimatio.* pag.10.
VII. *Oxoniensi Academiae ab eodem Polo praefectus, Catholicae fidei redivivum semen in Anglia suscitat.* pag.11.
VIII. *Ejus obitum, velut unum e* suis maximis luminaribus *exstinctum esset, Tridentina Synodus luget.* pag.13.
IX. *Cardinalis Hosii insigne de Soti orthodoxa fide, ac virtutibus testimonium.* pag.14.
X. *Thomas Stapletonius.* pag.16.
XI. *Nicolaus Antonius.* pag.16.
XII. *Aubertus Miraeus.* pag.18.
XIII. *Christianus Lupus.* pag.18.
XIV. *Synodus Augustana.* pag.18.
XV. *Dupinius.* pag.20.
XVI. *Et Epistolarum ejus editor Soti fidem, pietatem, & Theologicam scientiam summis laudibus celebrant.* pag.21.

ARTICULUS SECUNDUS.

Prioris Soti ad Tapperum Epistolae Analysis. pag.22.

CAPUT II.

In priorem Petri de Soto ad Ruardum Tapperum Epistolam notae, & Observationes.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus rationibus impulsus fuerit Sotus ad Ruardum super conciliatione gratiae, & liberi arbitrii per literas consulendum.

I. *Duchesnii de Soto inanis, & injusta suspicio removetur.* pag.26.
II. *Verae ex ipsomet Soto rationes adferuntur.* pag.28.
III. Eas *deinde Praedicatores luculentius exposuerunt in Libello supplici ad Paulum V., quum celebres de auxiliis divinae gratiae controversias decreto Apostolico dirimi postularunt. Prima ratio,*

quod res ad fidem pertinens ageretur. pag.29.

IV. *Secunda ratio, quod inde universa ferme Theologia penderet*. p.20.

V. *Tertia ratio; ut quid a Deo petendum sit*; pag.30.

VI. *Quarta ratio, & quae Deo gratiae referendae; Fidelibus notum esset*. pag.31.

VII. *Quinta ratio, necessarium id esse, ad hominum temeritatem comprimendam*. pag.32.

VIII. *Sexta ratio, ad unitatem fidei & doctrinae in* Ecclesia *fovendam*. pag.32.

IX. *Septima ratio, ad graviora pericula praecavenda*. pag.32.

ARTICULUS SECUNDUS.

De quorumdam Theologorum opinionibus de Gratia, quae Sotum sollicitum habebant, & de quibus sibi Ruardum consulendum existimavit.

I. *Soti cum Baio, & Jansenio injusta comparatio*. pag.37.

II. *Quae Sotus in quibusdam sui aevi Theologis aegre tulerit*. p.37.

III. *De primo ipsorum dogmate; quod gratia Dei omnibus aequaliter adsit*. pag.38.

IV. *De altera eorum opinione; quod rectus usus gratiae sit ex vi, & natura liberi arbitrii*. pag.40.

V. *De tertia eorumdem propositione; quod discretio variorum hominum in Ecclesia sit ex vario per liberum arbitrium divinorum munerum usu*. pag.44.

VI. *De injuriis, quas S. Augustino, ejusque doctrinae iidem Theologi inferebant*. pag.48.

VII. *De praedestinatione, quam operum praesensionem antecedere inficiabantur*. pag.49.

VIII. *De propositis quaestionibus iidem omnino Soti, atque Eminentissimi Bellarmini sensus*. pag.56.

ARTICULUS TERTIUS.

De Theologis, qui Soto invisas de Gratia, & Praedestinatione opiniones id temporis propugnabant.

I. *Soti verba Duchesnius adulterat, ut ejus de Gratia opiniones pro haereticis; Molinianas vero pro totidem fidei articulis habitas fuisse demonstret*. pag.59.

II. *Quam*

II. *Quam nullo jure Veterum Lovaniensium Theologorum Duchesnius auctoritate nitatur.* pag.63.
III. *Maximam Theologorum vim pro gratia seipsa efficaci, & gratuita Praedestinatione fuisse.* pag.65.
IV. *Quid de iis senserit Seripandus; qui ab Augustino id temporis desciverunt.* pag.65.
V. *Augustini placita in Scholis Theologicis obtinuisse, quum quidam Viri eruditi ad instaurandam PP. Graecorum de Gratia, Praedestinatione, & Arbitrii libertate Theologiam incubuerunt.* p.66.
VI. *Soti verba, ubi de Theologis loquitur, qui Augustiniana dogmata id temporis deserverunt, esse ὑπερβολικῶς accipienda.* pag 69.
VI. *Quidam eorum ab Augustini doctrina verbis magis, quam sensibus discrepabant.* pag.72.
VIII. *Regulae recensentur, quibus in vindicando ab Arianorum calumniis S. Dionysio Alex. D. Athanasius est usus: eaedemque ad praesentem Soti caussam accommodantur.* pag.75.


CAPUT III.

Quis Ruardus Tapper, ejusque ad Sotum Epistolae Analysis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis Ruardus Tapper, & quam ejus doctrina de Gratia D. Augustini decretis & placitis consentanea.

I. *Ruardi Tapperi laudes.* pag.80.
II. *Ejus doctrinae aliquot naevi.* pag.82.
III. *Duchesnii de Ruardo Tappero, & Petro Soto judicium.* pag.82.
IV. *Quid senserint de Ruardo Tappero Theologi Lovanienses & Guillelmus Estius.* Pae.83.
V. *Faustum, Semipelagianorum Coriphaeum, Venerandis Ecclesiae PP. Ruardus accenset; ejusque in quaestionibus de Gratia, perinde atque Augustini veneratur auctoritatem.* pag.85.
VI. *Jacobus Sirmondus notatus.* pag.87.
VII. *Ruardus, quantum oportuit, a Semipelagianorum dogmatis non recessit.* pag.88.
VIII. *Plures ejusdem Auctoris aberrationes: quam ipse varius, & anceps, & in his rebus parum sibi constans.* pag.89.
IX. *Ut excusabilis sit Ruardus, ejus tamen in iis controversiis suscipienda*



da non est auctoritas. pag.91.

ARTICULUS SECUNDUS.

Analysis Epistolae Ruardi Tapperi ad Petrum Sotum. pag.94.

C A P U T I V.

De altera Petri a Soto ad Ruardum Tapperum Epistola

ARTICULUS UNICUS.

Analysis alterius Epistolae Petri Soti ad Tapperum. pag.100.

C A P U T V.

In praecedentes Ruardi Tapperi, & Soti Epistolas.

Notae, & observationes.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae de primo Ruardi principio Sotus docet, examinantur, Scripturarum, & Patrum auctoritate confirmantur, & a Duchesnii calumniis, & objectis vindicantur. pag.107.

§. I.

Ex S. Augustino, adlatisque ab eo Patrum ac scripturarum testimoniis, nec non rationibus Theologicis, primi illius principii veritas demonstratur. pag.108.

§. II.

Superioris doctrinae Consectarium primum.

Gratia, qua opus habemus ut convertamur, non solum dat, ut possimus converti, sed efficit, ut convertamur. pag.116.

§. III.

Consectarium secundum.

Omnino recte, & christiane aliquid operans, hanc habet gratiam, qua fit ipsum bonum opus: e contrario vero omnis secus operans, aut deficiens a recta regula, Christiana hac gratia caret. pag.119.

§. IV.

Consectarium tertium.

Ex iisdem pari fide putamus tenendum; hanc gratiam, de qua scriptura & PP. loquuntur, quamque ad singulos actus necessariam esse, & dari, antiqua Concilia & Augustinus contra Pelagium affirmant; non esse quamcumque inspirationem, sive bonae cogitationis immissionem, vel sancti alicujus propositi suggestionem, vel pulsum cordis; non, inquam, esse aliquid horum solum: sed Dei efficacem operationem, & motum, quo in anima nostra, & voluntate, & cum ea, atque per eam

eam efficit ipsam voluntariam operationem bonam, hoc est, ipsum velle, credere, vel quodcumque aliud bonum opus. pag. 124.

§. V.

Consectarium quartum.

Ex quibus omnibus manifestum habetur, nullum Dei donum, sive auxilium, quamvis magnum, nullam inspirationem, & vocationem, sine vera, & non ficta volitione boni, atque caritate, esse gratiam, quam ad bene operandum, Scriptura necessariam dicit, et de qua Paulus: Gratia Dei sum id, quod sum: *Et*: Non ego, sed gratia Dei mecum &c. pag. 130.

§. VI.

Aliae gravissimi momenti ad idem argumentum spectantes quaestiones pertractantur. pag. 141.

§. VII.

Consectarium quintum.

Ex his inferri credimus: hanc gratiam multis subtrahi; vel omnino, ut iis qui nunquam ex caritate bonum voluerunt; vel aliquando, sed non finaliter, ut peccatoribus ad vitam praedestinatis; vel certe finaliter, nempe praescitis damnari: aliis vero conferri: idque nullo in his praecedente discrimine, imo nonnunquam praecedente etiam discrimine, quo cui subtrahitur, vel natura, vel moribus propinquior illi erat, & cui conceditur, remotior. pag. 153.

§. VIII.

Consectarium sextum.

Unde pariter Fidei esse putaverim, in hoc discrimine, quo alii vocantur, idque proculdubio Dei aeterna, & inscrutabili ordinatione, non semper praecedere vel demeritum, vel reatum, quo quis adstrictus sit damnationi aeternae. pag 156.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quomodo, quave ratione divinae gratiae efficacitas cum arbitrii libertate conciliandа sit. pag. 160.

§. I.

Prima propositio.

Vis, & efficacitas divinae voluntatis prima caussa est, & radix contingentiae rerum, & humanae libertatis. pag. 161.

§. II.

§. II.

Secunda Propositio.

Cooperatio gratiae similis est cooperationi, qua Deus in omnibus rebus agit, eisque cooperatur. pag. 176.

§. III.

Propositio tertia.

Cum Deus, ut universale agens, ad naturalia opera efficaciter moveat voluntatem, non proponens, vel suadens tantum; sed in eam imprimens, ipsamque effective inclinans: ita per omnia, ut gratiae distributor, ad opera gratiae non minus voluntatem movet. pag. 183.

§. IV.

Soti de conciliatione gratiae, & liberi Arbitrii doctrina, ab Adversarii calumniis, pravisque interpretationibus vindicatur. p. 194.

ARTICULUS TERTIUS.

Quae in alterum Ruardi principium Sotus adnotat ad Fidei, & rationis amussim revocantur.

§. I.

An recte Soto observatum sit; generatim non omnem necessitatem, ex D. Augustino exitium adferre libertati. pag. 197.

§. II.

Quid ex praecedentibus, aliisque Sancti Augustini auctoritatibus concludat Sotus? An haeresim Iansenii in ejus tertia Propositione damnatam? pag. 210.

§. III.

Tertiam Jansenii propositionem Sotus praedamnavit. pag. 110.

§. IV.

Quo sensu dixerit Sotus: Quaedam peccata necessitate committi. p. 238

ARTICULUS QUARTUS.

De vi ac pretio bonorum operum, quae fidem, aut justificationem praecedunt.

§. I.

An Sotus nagaverit; bona opera, quae justificationem praecedunt; ad illam disponere. pag. 244.

§. II.

De merito bonorum operum, quae justificationem praeveniunt; quae fue-

fuerit Soti sententia. pag.248.

§. III.

An Sotus Baio ansam dederit ad docendum nonam, inter confixas ab Academia Parisiensi, propositionem: „ Haereticus, Schismaticus, „ & homo non pure infidelis meretur quandoque de condigno vi- „ tam aeternam. pag.255.

§. IV.

An Soti Doctrina fuerit:

Fidem, quum operatur, non operari, nisi per caritatem, neque ullum esse motum legitimum voluntatis, praeter actum caritatis, aut perfectae, aut inchoatae. pag. 269.

§. V.

An haec Baii propositio:

„ Liberum arbitrium hominis non potest absque speciali gratia Dei „ vitare peccatum, unde fit ut omne opus hominis pure infidelis „ sit peccatum; *jure Soto tributa fuerit.* pag.275.

CAPUT VI.

In quo Dogmaticum de Gratia, & libero Arbitrio Systema, quod Soto Duchesnius adfingit, ipsiusmet Soti testimoniis, & auctoritatibus profligatur. pag:279.

ARTICULUS PRIMUS.

De prima propositione, quam Soto Duchesnius tribuit: „ Gratiam „ praesentis status non esse aliud, quam caritatis inspirationem. *Eam Sotus erroris damnat.* pag.280.

ARTICULUS SECUNDUS.

De secunda propositione, cujus Sotum Duchesnius facit auctorem: „ Gratia hominis innocentis solam tribuebat boni operis potesta- „ tem; Gratia Jesu Christi nunquam ab actione disjuncta est. *Ea perperam Soto tribuitur.* pag.287.

ARTICULUS TERTIUS.

De tertia propositione, quam Soto Duchesnius adfingit: „ Quod „ Gratia praesentis status non omnibus datur adultis; quod In- „ fideles, nullatenus ejus participes sunt: quod quandoque ipsis „ etiam fidelibus, atque Iustis, absque ullo ipsorum praecedente „ demerito, denegatur. *Soti de hac re veram germanamque doctrinam omnis esse erroris immunem.*

§. I.

Sotus ab impactis calumniis vindicatur. pag. 290.

§. II.

Quid senserit Ruardus de universali divinae gratiae in omnes homines effusione. pag. 294.

§. III.

An Soti Doctrina possit adhuc, salva fide, & absque periculo haeresis sustineri. pag. 247.

ARTICULUS QUARTUS.

De quarta Propositione.

„ Non est in potestate liberi arbitrii rejicere gratiam, quum donata „ fuerit; & sine illa, nec boni aliquid fieri potest, nec vitari „ peccatum. *Eam Sotus aperte reprobat*. pag. 302.

ARTICULUS QUINTUS.

De quinta Propositione.

„ Subtractio gratiae non impedit, quominus voluntas ad bonum, „ & ad malum libera sit: quoniam auxilium efficax semper reci- „ pere potest: quoniam legem voluntarie transgreditur: denique „ quoniam necessitas transgressionis non oritur, nisi ex extrinseco „ impedimento; ex eo nimirum, quod gratia efficax denegetur. *Quae de his rebus Soti mens, ac sententia fuerit*. pag. 304.

§. I.

De prima parte quintae propositionis.

„ Subtractio gratiae non adimit arbitrii libertatem ad bonum, quo- „ niam semper auxilium efficax recipere voluntas potest. pag. 305.

§. II.

De secunda parte ejusdem quintae propositionis.

„ Subtractio gratiae non adimit homini libertatem, quoniam le- „ gem voluntariè transgreditur. pag. 315.

§. III.

De tertia parte quintae propositionis.

„ Necessitas transgressionis ex subtractione gratiae, non est nisi „ ex extrinseco impedimento. pag. 320.

ARTICULUS SEXTUS.

De sexta propositione.

„ Li-

„ Liberum arbitrium praesentis status consistit in voluntario: non
„ est necesse, ut illud sit immune a necessitate inevitabili; sed
„ sufficit ut sit exemtum a coactione. pag.330.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Quod reliquum est Baiani Systematis Sotus expresse rejecit, atque damnavit,

§. I.

Brevis totius Baiani Systematis delineatio. pag.332.

§. II.

De septem propositionibus, quas septimo capite Lovanienses examinant. pag.333.

§. III.

De distinctione peccati venialis, & mortalis: & infidelitate, ut vocant, negativa. pag.337.

§. IV.

De concupiscentia. pag.340.

§. V.

De Operibus, quibus divinae justitiae satisfacimus. pag.342.

§. VI.

De Propositionibus, quibus innocentis naturae status informatur. pag.345.

DE JUDOCO RAVESTEYN,

Ejusque cum Ruardo Tapper Epistolari disputatione.

CAPUT VII.

Quis Judocus Ravesteyn; ejusque ad Ruardum, & Ruardi ad ipsum Epistolarum Analysis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ravestenii pietate, & eruditione, ac fidei catholicae, avitaeque doctrinae zelo adversus Baianas novitates. pag.351.

ARTICULUS SECUNDUS.

Prioris Ravestenii ad Tapperum Epistolae Analysis. pag.355.

ARTICULUS TERTIUS.

Analysis Epistolae Ruardi Tapperi ad Judocum Ravestenium. p.357.

ARTICULUS QUARTUS.

Alterius Ravestenii ad Ruardum Epistolae Analysis. pag.361.

CAPUT VIII.

In praecedentes Epistolas Notae, & Observationes.

§ I.

Observatio prima. pag.367.

§. II.

Observatio secunda. pag.371.

§. III.

Observatio tertia: pag.378.

§. IV.

Observatio quarta. pag.382.

§. V.

Observatio quinta. pah.386.

§. VI.

Observatio sexta pag.390.

§. VII.

Observatio septima. pag.392.



NOS

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

HArum ſerie, noſtrique authoritate Officii licentiam concedimus R. A. P. Magiſtro Fr. Joſepho Auguſtino Orſi Congregationis noſtræ S. Marci de Florentia Cathedratico Caſanatenſi, ut typis mandare valeat Opus ab eodem compoſitum, cui titulus: *De Petri a Soto Ordinis Prædicatorum & Judoci Raveſteyn De concordia Gratiæ & Liberi Arbitrii cum Ruardo Tappero Epiſtolari Diſputatione*; iam reviſum & approbatum a duobus Religioſis Ordinis noſtri, videlicet ab A. R. P. M. Fr. Antonino Bremond, & R.P.L. Fr. Vincentio Dominico Elephante, Lectore publico in Collegio Urbano de Propaganda Fide: ſervatis tamen aliis de jure ſervandis. In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 16. Novembris 1733.

Fr. Thomas Ripoll

Mag. Ordinis.

Reg. Fol. 15.

Fr. Dominicus Ponſi
Mag. Exprovincialis, & Socius.

LIbrum cui titulus *De Petri a Soto &c.* jussu Reverendiss. Patris Thomæ Ripoll Ordinis Fratrum Prædicat. Generalis Magistri, qua par erat, attentione legi, incredibili quadam lætitia perfusus. Nec enim decet, ut in hæreseos suspicione quisquam sit patiens, & omnium maximi refert, ut, quibus Catholicorum fama laceratur, inofficiosas censuras retundat aliquis. Id in hoc erudito Opere sic egregie præstat spectatæ virtutis celeberrimus Auctor, ut non tam Fratri suo *Petro a Soto*, quam ceteris præstantissimis Viris per calumniam circumventis, & ipsimet Romanæ Matri Ecclesiæ operam navet ac studium. Cum igitur nihil in ipso offenderim vel a Fide, vel a moribus alienum, ipsum typis vulgandum censeo. Romæ in Cœnobio Sanctæ Mariæ supra Minervam Kalendis Novemb. MDCCXXXIII.

Fr. Antoninus Bremond
S.T.M., Collegii Casanatensis Theologus, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

QUanta in aestimatione, quove in pretio habitus semper fuerit ab Ecclesia Romana Clariss. Petrus de Soto ob ejus tum eruditionem, ac pietatem, tum labores in propugnandis adversus Sectarios ejusdem Ecclesiae Dogmatis strenue susceptos; quum res sit notissima, operam profecto luderet quisquis vel iis ostendere conaretur, qui leviter in literis sunt eruditi. Hinc ad credendum adducor, qui adversus tanti Viri famam, ac nomen calamum nuper acuit, Joannem Baptistam Duchesnium Historiae Baianismi e Societate Scriptorem, id unum prae oculis habuisse, ut quo suo Operi commendationis nonnihil quaereret, Virum quempiam magni nominis seligeret, in quem inveheretur. Cujus conatibus etsi literatis Viris (apud quos Soti existimatio sublimi sita est loco) nequeat imponi; indoctorum tamen, & incautorum, quibus artificiose conge-

sta

sta verba fucum persaepe faciunt, credulitas ne periclitetur, justa subit suspicio. Et quoniam qui minus vera pro veris venditat, indignus est, qui fidem apud quemvis inveniat; opportune in medium prodiit eruditissimus Vir *Joseph Augustinus Orsi*, non ut intortis in Dominicanum Theologum telis paria remitteret; sed ut conscriptam veri defensionem, Soto, eique consentienti Judoco Ravesteyn, Molinianis erepto, Thomisticaeque Scholae reddito, vindicandis; veluti scutum opponeret falsitati. Quod quum feliciter praestiterit, ejus Apologiam non tantum non despicient, verum summis plausibus excipient quicumque & avitam Romanorum Pontificum, Sanctorumque PP., potissimum Augustini, & Thomae de divina Gratia doctrinam in Romana Ecclesia ne minimum obscuratam; & Virorum ejusdem doctrinae adsertorum famam omnino intactam esse voluerint. Horum in numero quum me esse profitear, mirum est, quanta voluptate perfunderer, dum illam inscriptam: *De Petri a Soto Ord. Praed., & Judoci Ravesteyn de Concordia Gratiae, & liberi arbitrii, cum Ruardo Tappero Epistolari Disputatione &c.* jussu Reverendiss. P. nostri Generalis Magistri *F. Thomae Ripoll* sedulo perlegerem: in qua quum nihil Fidei Regulae, bonisque moribus adversum statuat Auctor; quinimo id unum curet, ut patefacto Duchesnii animo erga veritatem parum candido, quaenam fuerint Ecclesiae sensa in nostrorum temporum damnandis erroribus eadem opera explanet; idque ea eruditione, nitore, ac vi, quibus noster Auctor alia Apologetica adornavit: praelo dignissimam eam arbitror. Romae e Coenobio Minervitano 3. Nonas Novembres MDCCXXXIII.

Fr. Dominicus Vincentius Elefante
Ord. Praed., in Urbano Collegio
de Propaganda Fide Philosophiae
Professor.

AP-

APPROBATIO.

DUM volumen, cui titulus *De Petri a Soto ordinis Praedicatorum, & Judoci Ravesteyn &c.*, ad me jussu Reverendiss. P. Zuannelli Sacri Palatii Apostolici Magistri huc missum succisivis horis percurrerem; voluptate, quantum capere potui, maxima affectus sum. Nec mirum, dudum enim, scilicet ab annis fere decem et octo hujusmodi libros nec evolveram, nec pene tetigeram, & in hoc nedum nihil, quod Catholicae Fidei dogmatis, Christianaeve Ethices regulis adversetur, offendi, sed insuper omnia solide, ornateque pertractata reperi. Quae cum ita sint, & Autorem ab aequis rerum aestimatoribus laudem consecuturum immortalem, & opus typis mandandum esse existimo. Tibure die 25. Novembris 1733.

Ego Fr. Placidus

ind. Casae-Marii Abbas Episcopus Tiburtinus.

APPROBATIO.

DE mandato Reverendiss. Patris Johan. Benedicti Zuannelli Sac. Apostolici Palatii Magistri attente perlegi Librum, cujus titulus est, *De Petri a Soto, & Judoci Ravesteyn, de concordia gratiae, & Liberi Arbitrii, cum Ruardo Tappero Epistolari disputatione*, elucubratum studio, & opera Patris Magistri Josephi Augustini Orsi, Ord. Praedicatorum; in eoque nihil a Fide, Christianisque moribus dissonum reperi: imo in eo Auctor Sotum suum; Virum alioqui doctissimum, suoque nomine satis clarum; ita solide, aeque ac modeste à Bajanismi nota, his tandem postremis temporibus illi impacta defendit; ut dum tanti Confratris famae, ac doctrinae consulit, se ipsum, & pium, & doctissimum Augustino -- Thomisticae doctrinae sectatorem propugnatoremque prodat: quapropter utiliter typis mandari posse censeo.

Datum Romae die 2. Decembris anno 1733.

Fr. Benedictus Augustinus Gattini

Proc. Gen. Ord. Erem. S. Augustini.

AP-

APPROBATIO.

DE mandato Rmi Patris Joh. Zuannelli S. Ap. Palatii Magistri diligentissime legi librum, cui titulus *De Petri a Soto Ordinis Praedicatorum, & Judoci Ravesteyn, de Concordia gratiae, & liberi arbitrii cum Ruardo Tappero Epistolari disputatione*. Nihil in eo offendi, quod à Catholica Fide, Regulis morum, Ecclesiae, Sedisque Apostolicae Decretis vel minimum recedat. Quin verò ubique suspexi, admiratusque sum eximiam, profundamque Auctoris doctrinam in rebus Theologicis, argumentorum etiam perspicuitatem ac pondus, quibus Dominicanae Familiae Decus amplissimum, sodalem suum Petrum a Soto, doctissimum aetatis suae Theologum, atque de Catholica Ecclesia universa optime meritum, ab inusta ei praeformati Baiani, ac Janseniani systematis nota, egregie vindicat. Dignissimum propterea librum censeo, qui publica donetur luce.

Ex Monasterio S. Pauli extra Urbem die 26. Decembris 1733.

D. Petrus Aloysius de Turri
S. Theologiae, ac Sacr. Canonum Professor
& ejusdem Coenobii Prior.

AP-

APPROBATIO.

Librum hunc Apologeticum, in quo Petri a Soto Dominicani Instituti Professoris clarissimum Nomen, & doctrinae integritas, a recentis Historici censuris vindicatur per R. P. Josephum Augustinum Orsi ejusdem Ord. Praedic., & Cathedraticum Casanatensem, de mandato Rmi P. Joannis Benedicti Zuannelli Sac. Apost. Palatii Magistri accuratè examinavi; nihilque in eo deprehendi, quod Catholicae fidei dogmatibus, & Christianae pietatis regulis refragari possit. Immo observavi longe multa erudite, ac sapientissime pertractata, quae Auctoris doctissimi famam, tot jam publicatis Operibus sibi apud Litterariam Rempublicam comparatam, egregie sustineant; dum memorati celeberrimi Viri, insignisque Theologi Petri a Soto doctrinam valide, ac sapientissime defendit, & post duo saecula ab ejusdem Soti obitu insurgentem nunc Adversarium, pari modestia, ac eruditione confutat: opportunum justae defensioni fore locum existimans, qua manifestum reddat universis, procul omnino a Baianis erroribus distare summi Viri Confratris sui, tot in Ecclesiam, & Christianam Rempublicam meritis cumulati, doctrinam, ac de conciliatione Gratiae, & liberi arbitrii sententiam: Tantumque abesse, ut ille assertionibus suis Bajanae sectae viam straverit, ac Lovaniensi inclytae Academiae doctrinae erroneae virus propinaverit, quin potius omnia ab eo tradita Sacrorum Conciliorum, ac SS. PP. Romanorumque Pontificum difinitionibus, Canonibus, ac sententiis apprime consona esse demonstrat. Quapropter librum hunc Apologeticum publica Luce dignissimum censeo.

Datum Romae ex Ædibus S. Silvestri in Quirinali xv. Kalendas Januarii 1733.

D. Cajetanus M. Merati
C.R., Sac. Rit. Congr. Consultor.

AP-

APPROBATIO.

Jussu Rmi P. Jo. Benedicti Zuannelli Sac. Apostolici Palatii Magistri legi librum, cui titulus -- *De Petri a Soto Ordinis Praedicatorum, & Judoci Ravesteyn de Concordia Gratiae, & liberi arbitrii, cum Ruardo Tappero Epistolari Disputatione*, in quo cum nihil Catholicae Religioni, aut bonis moribus adversum offenderim, imo omnigenam in eo eruditionem cum solida doctrina conjunctam ubique suspexerim, opus clarissimo Auctore dignum ut typis mandetur, e Republica literaria esse censeo.

Romae è Collegio Nazareno die 19. Januarii anno 1734.

Joseph Augustinus à S. Nicolao
Schol. Piar. Sacrae Theologiae Lector.

IM-

IMPRIMATUR.


Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojan. Viceſ.

IMPRIMATUR.

Fr. Joannes Benedictus Zuannelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Mag.

DE



DE
PETRI A SOTO
ORDINIS PRAEDICATORUM
ET JUDOCI RAVESTEYN,

De Concordia Gratiae & liberi Arbitrii, cum Ruardo Tappero

EPISTOLARI DISPUTATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Quis Petrus à Soto: & prioris ejus ad Ruardum Tapperum Epistolae Analysis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Petro Soto, ejusque pietate, religionis zelo, fidei atque doctrinae integritate, ac Theologica eruditione, Romanorum Pontificum, Summorum Principum, Purpuratorum Patrum, Episcoporum, nec non Oecumenici Concilii, atque Augustanae Synodi & gravissimorum Scriptorum testimonia.

I *De Petro Soto ex Bibliotheca Scriptorum Ordinis Praedicatorum Elogium Historicum.*

II *Paulli III. ad Sotum Literae Apostolicae, quibus* singularem *ejus* doctrinam, *ac* pietatem *commendat. Quo fuerit loco apud summos Europae Principes, & Pium IV.*

III De su scepta per Sotum Baianae doctrinae apud Sedem Apostolicam defensione, Duchesnii fabula confutatur.

IV Cardinali Truchses, in instituenda Diligana Academia, egregiam Sotus operam navat:

V Soti de Sacerdotum Institutione *libros, earumque Auctorem idem Cardinalis Episcopus summis in coelum laudibus effert.*

VI Cardd. Poli & Pallavicini, nec non Caroli V. summa de Soti virtutibus existimatio.

VII Oxoniensi Academiae ab eodem Polo praefectus, Catholicae fidei redivivum semen in Anglia suscitat.

VIII Ejus obitum, velut unum e suis maximis luminaribus *exstinctum esset, Tridentina synodus luget.*

IX Cardinalis Hosii insigne de Soti orthodoxa fide, ac virtutibus testimonium.

X Thomas Stapletonius,

XI Nicolaus Antonius,

XII Aubertus Miraeus,

XIII Cristianus Lupus,

XIV Synodus Augustana,

XV Dupinius,

XVI Et Epistolarum ejus Editor, Soti fidem pietatem, & Theologicam scientiam summis laudibus celebrant.

I 

Nimadversione profecto digna res est, quod quum R. P. Duchesnius nullum fere alicujus nominis Virum vel semel in Historia sua memoret, cujus statim in subjectis notis non adtexat elogium; unum Petrum de Soto, cujus identidem meminit, debito encomio fraudarit; scilicet verebatur, ne si tanti Viri laudes adtigisset, vel etiam per summa capita delibasset; sapiens ac prudens Lector ejus damnaret temeritatem, qua insignem Theologum, & fortissimum Catholicae Religionis Athletam, & antiquae fidei in Anglia restauratorem, ne dum turpissimi erroris nota inquinare, post duo ferme ab ejus obitu saecula, tandem ausus est, sed & nefariae sectae auctorē facere,

facere, & haeretici systematis architectum. Verum ea est Soti nostri celebritas, ut, quamvis inlaudatus, objectas sibi criminationes nominis sui claritate dispellat; ut apud aequum eruditumque Lectorem nullisque praejudiciis occupatum, frustra fuisse non dubitem inofficiosi Censoris in ejus meritis laudibusque dissimulandis industriam. Non abs re tamen erit, hanc Baianae Historiae veluti lacunam implere, ut cujusmodi Virum Duchesnius Haereticae Sectae coriphaeum dederit, Lector intelligat; secumque reputet, an verosimile sit, Hominem tot in Ecclesiam, & Christianam Rempublicam meritis cumulatum, totque Romanorum Pontificum, amplissimorum Cardinalium, Summorumque Regum ac Principum, & gravissimorum Scriptorum testimoniis ornatum, haeretico fuisse spiritu adflatum, & haereticum virus florentissimae Academiae propinasse.

„ Fr. Petrus de Soto, *ut est apud Echardum nostrum*, (a) clarissi-
„ mum Hispaniae saeculo XVI. sidus, ac fidei Catholicae firmissimum
„ adversus Haereses propugnaculum, quas, quoad vixit, summa ani-
„ mi contentione, parique eruditione, seù privatis, seù publicis
„ solemnibusque congressibus, styloque etiam validissime debellavit,
„ atque prostravit; natus is est Cordubae nobili stemmate, & a puero
„ literis egregie instructus, acri ingenio, memoriaque tenaci prae-
„ ditus, adolescens Ordini se Salmanticæ Anno MDXIX. Kal. April.
„ votis solemnibus mancipavit. Vir evasit brevi scholasticis con-
„ certationibus, sacra doctrina, Patrum, & Conciliorum assidua
„ lectione, morum ad haec integritate & innocentia conspicuus; unde
„ & a Carolo V. Imperatore delectus est ab arcanis & sacris confes-
„ sionibus, & Consiliarius. At ab eo Principe in Germaniam du-
„ ctus, ubi regiones illas a Luthero & Asseclis populatas vidit, ar-
„ dens in pectore pro religione studium continere non potuit: a
„ Caesare itaque missionem petiit, & abstulit, quo se pro domo Dei
„ adversus inrumpentes haereses murum opponeret. Tum ejus consi-
„ liis Otho Truchesius Cardinalis Episcopus Augustanus Dilingae
„ Svvevorum Academiam instauravit, cui se ad sacras ibidem do-
„ cendas literas obtulit: idque muneris eo majori fructu implevit,

(a) Tom. II. de Scriptoribus Ord. Praed. pag. 183.

„ quod genuina SS. Augustini & Thomae dogmata tradens, Hetero-
„ doxorum adversus Catholicos de derelicta ab iis passim horum San-
„ ctorum doctrina objectum revicit ac confutavit. Istis incumbe-
„ bat diligentius & ardentius, cum Anglorum Regina Maria An-
„ no MDLIII. Sceptrum adepta, de redintegranda in ea Insula Ca-
„ tholica Religione meditabatur. Tum vero Philippus Hispaniae
„ Princeps, qui eam sibi desponsarat, Sotum cum Bartholomaeo Car-
„ ranza, & Johanne de Villagarzia, itidem nostris, Viris omni exce-
„ ptione majoribus, secum in Angliam duxit, qui Universitates
„ Oxoniensem & Cantabrigiensem, fermento haeresis a Martino Bu-
„ cero, & Petro Martyre contaminatas, expurgarent, azymisque
„ sincerae, ac verae fidei concurrentes illuc undique Anglos enutri-
„ rent. Sed brevi stetit haec Angliae felicitas. Mortua enim An-
„ no MDLVIII. die XV. Novembris Regina Maria, Petro de Soto,
„ & Collegis hinc exulandum fuit. At renovata paulo post, Anno sci-
„ licet MDLXI. Synodo Tridentina, eo se conferre a Pio IV. jussus
„ est Sotus, ut Theologorum a Pontifice missorum Princeps. Quan-
„ tum vero apud Patres sibi nomen fecerit, narrant rerum Concilii
„ Historici legendi. Brentium certe haereticum Protestantem, a
„ Duce Witembergensi missum, in publico congressu vicit ac prostra-
„ vit, quem & antea scriptis confutarat. At dum omnes Viri sapien-
„ tiam mirantur, communique ore Theologorum antesignanum accla-
„ marent, morbo is ex assumptis laboribus contracto, ingenti totius
„ Synodi luctu & desiderio, cum maxime necessarius videbatur, piis-
„ sima morte evolavit ad superos Anno MDLXIII. die XX. Apri-
„ lis. En qualem virum Duchesnius per summam injuriam velut Hae-
reticorum antesignanum traduxit. Non enim domesticos Scripto-
res, veluti privatis adfectibus indulgentes, dum ejus vitae syno-
psim adornarent, ultra modum Soti res gestas amplificasse, clarissi-
morum cujuslibet ordinis Virorum ad haec usque tempora, quae mox
subjiciam de ipsius pietate & eruditione testimonia demonstrant;
quae non solum ad ejus Orthodoxiam vindicandam eluendamque
praeposteri Censoris criminationem, verum etiam ad ejus nomen &
famam plurimum commendandam inlustrandamque valebunt.

II Exordium ducam ab iis literis, quas ad Sotum, per Gabrie-
lem de

lem de Gusman, Paullus III. Romanus Pontifex dedit, quibus cum *singularem ejus doctrinam, ac pietatem* commendat; tum pios labores commemorat, quos in publicum Christianae Reipublicae bonum, pro revocanda inter Caesarem, Galliarumque Regem concordia, susceperat.

(a) Dilecto Filio Petro de Soto Ordinis Praedicatorum & Sacrae Theologiae Professori, Serenissimi Caesaris Confessario.

PAULUS PAPA TERTIUS.

Dilecte Fili Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VEniens nuper ad nos dilectus Filius Gabriel de Gusman Ordinis Praedicatorum & Sacrae Theologiae Professor, Christianissimae Reginae Franciae Confessor, pro expeditione cujusdam Monasterii, ad quod eum Rex Christianissimus nobis nominavit, multa retulit de tua singulari doctrina, ac pietate; utque in negotio pacis inter Caesaream Majestatem, & dictum Regem Christianissimum nuper confectae, una secum pie ac diligenter laboraveris, quae etsi erant nobis antea de te cognita, tamen ex ipso etiam Gabriele audire, jucundissimum nobis fuit; Teque de hoc summopere in Domino commendamus: rem enim procurasti, non solum illis Principibus, & eorum Regnis, verum etiam & universae Christianitati salutarem: quae ut diutissime conservetur, nobis, ac tibi, & bonis omnibus laborandum est. Quamobrem nos publicae utilitatis, quae ex hoc dependet, desiderio ducti; quum nonnulla ad ejusdem praeservationem pacis pertinentia, nobis in mentem venissent, ea per ipsum Gabrielem istic redeuntem tibi nota esse voluimus; ut in his Serenissimo Caesari ad commune bonum suadendis, pietatem tuam exerceas. quemadmodum ea plenius & uberius idem Ga-

(a) Exstant ap. Odoric. Raynald. ad Annum MDXLV. num. LVI. & Tomo IV. Bullarii Ord. Praed. ubi Cl. Editor. ampliori nota Theologum Nostrum ab ea potissimum haeresi, adversus Gallum Soc. Scriptorem, vindicandum suscepit, quae in tertia Jansenii Propositione continetur; quod ad libertatem *praesentis status* requiratur immunitas a coactione, non autem ab inevitabili necessitate e

Gabriel nostro nomine tibi referet. Dat. Romae XXII. Mart. MDXLV. Pont. Nost. Anno XI.

Constat ex iis literis, quantum Sotus apud Caesarem, & Galliarum Regem gratia & auctoritate valuerit; quantum conciliandae tuendaeque inter potentissimos illos Europae Principes paci, ad commune Reipublicae & Ecclesiae commodum, difficillimis illis temporibus, adlaboraverit; quaenam denique (quod caput est, & ad rem nostram maxime pertinens) de illius *pietate ac singulari eruditione*, Romano Pontifici, ac Summis Europae Regibus haereret existimatio.

Nec semel tantum, sed iterum Apostolicae humanitatis, & summae de se existimationis sparsas ejusdem Pontificis literas Sotus accepit, Quum enim, ut est apud Raynaldum ad Annum MDXLVII.
„ Caesar maximas iras adversus Paulum Pontificem concepisset, qui ar-
„ canis literis transferendo Concilio favisset, ac jure translatum con-
„ tenderet, cumque ex hoc dissidio imminentia mala praesentiret Pe-
„ trus Soto Ordinis Praedicatorum, Vir eximiae prudentiae, & insignis
„ christianae demissionis, qua oblatas dignitates constantissime respuit,
„ qui Caesaris sacras exhomologeses excipiebat; Alex. Card. Farne-
„ sium monuit, ut partes suas adhiberet apud Pontificem, ut Conci-
„ lium Tridento restituendum curaret; de quo certior factus a Card.
„ Farnesio Pontifex significavit Petro a Soto, quantis studiis Caesa-
„ rem semper esset complexus; additque, vehementer dolere se a
„ malevolis omnia pia studia sua in odium adduci; deque transla-
„ tione Concilii addidit, se inconsulto eam factam: posse vero eos,
„ qui Tridenti haeserant, Bononiam accedere; ac dein vel Triden-
„ tum, vel alium locum designatum iri. Haec summa est Apostoli-
„ carum literarum Paulli III. ad Sotum nostrum, quarum heic solum adtexam initium. Dilecto Filio Petro a Soto &c. Dilecte Fili. *Ex literis, quas Dilecto Filio nostro Alex. Card. Farnesio misisti, ipso nobis referente cognovimus, quo tu animo, & quo erga nos, & hanc Sanctam Sedem devotione capiaris &c.* Cetera videsis apud laudatum Rainaldum loco citato num. 17. His certe encomiis virum suspectae fidei ac doctrinae numquam summus ille Pontifex decorasset.

At nondum, inquis, per ea tempora ad Ruardum Tapperum *de Concordia gratiae & liberi arbitrii* Epistolas dederat, ob quas his demum

demum temporibus in haereſeos ſuſpicionem adductus eſt. Verum ſemel partam Religionis ac Theologicae eruditionis apud Romanos Pontifices, ſummoſque Principes opinionem egregie adhuc tuitus eſt, poſtquam animi ſui ſenſa, circa difficillimam illam controverſiam, cum Ruardo Tappero communicaverat. An non publica erat Lovuanii celebriſque evaſerat Epiſtolaris ea concertatio, quum in Angliam a Philippo Hiſpaniarum Principe ductus eſt ad ſanam inlibatamque doctrinam in Oxonienſem & Cantabrigienſem Academias, quas Haereticorum Patriarchae occupaverant, poſt liminio revocandam? Philippus enim in Angliam trajecit Anno MDLIV; Epiſtolae autem ad Lovanienſem Cancellarium Anno MDLI. conſignatae *ſunt*. Annon etiam per plures annos in celeberrimis illis Angliae Univerſitatibus Theologiam docuerat, ſuaſque adeo de gratia Chriſti, & arbitrii libertate opiniones, quum a Pio IV. *juſſus eſt* Concilio Tridentino tamquam ipſius Summi Pontificis Theologus adeſſe? Anglicanas enim Academias, quoad Regina Maria in vivis fuit, id eſt, ad Annum uſque MDLVIII, una cum ſymmiſtis Praedicatoribus adminiſtravit, & confluentem illuc ex toto Regno juventutem publicis lectionibus inſtituit. Si ergo eo temporis intervallo Lutheranas plane Calvinianaſque de gratia & libertate opiniones Anglis adflavit; quî vigilantiſſimum Pontificem latuit ad avitae fidei puritatem integritatemque tuendam toto pectore intentum, & per Legatos ſuos, ſtrenuos, atque impigros, ac ſummi nominis & ſcientiae viros, in Anglia potiſſimum & Germania, in id operis incumbentem? Hic ergo Pontificis delectus clariſſimo argumento eſt, quod nulla eum adhuc iniquae ſuſpicionis aura pervaſerat, ſed ſpectatam fuiſſe exploratamque Pontifici Soti noſtri Religionem, atque ipſius fidei inlibatam integritatem: qui tamen toto jam ferme decem annorum curriculo de praecipuis adverſus gliſcentes Haereſes fidei noſtrae capitibus publicas & pene quotidianas in Germania, & in Anglia lectiones ac diſputationes habuerat; & animi ſui ſenſus, cum editis libris univerſo Orbi, tum praeſertim celeberrimae tum temporis in Eccleſia Catholica Academiae, ejuſque Cancellario per literas aperuerat.

III Heic vero, quoniam ſemel in hunc locum incidimus, confutanda venit inſida Hiſtorici Galli & ad arbitrium compoſita & interpolata narratio:

narratio: ait enim(*a*)Soti doctrinam Michaeli Baio admodum placuisse; cum eo deinceps amicitiam iniisse, ejusque opera usum esse Baium ad eamdem Pio IV. adprobandam, & apud Sedem Apostolicam defendendam; denique Soti opiniones Baiano systemati fundamenti loco fuisse. Citat vero, hujusce commenti testem, celebrem Baii ad Cardinalem Simonetam Epistolam, ex qua vel maxime adparet effraenis ipsius in suis visionibus venditandis, & optimo Viro calumniis appetendo licentia. Ita enim habet Epistola: *Mitto, quod* (*b*) *ante annos quinque dominus Hessels, & ego scripsimus; & primum per Reverendissimum & Illustrissimum Dominum Granvellanum; deinde etiam per eximium virum D. Petrum de Soto, qui paullo ante adventum nostrum Tridenti defunctus est, fel. rec. Pio IV. misimus super una sententia, quam nunc in Bulla etiam damnatam reperi.* Haeccine significant, Petrum de Soto operam suam Baio accommodasse, ad ejus doctrinam, ac systematis ipsius fundum apud Summum Pontificem propugnandum? *Misimus*, inquit, *super una sententia*; non ergo super universo systemate. Deinde non adfirmat Baius, ejusmodi *sententiae* defensionem Petrum apud Pontificem suscepisse; annon verosimilius est, quemadmodum per Granvellanum, ita per Theologum nostrum Baium super illa *una sententia* Sedem Apostolicam consuluisse? Ad haec; si de unica illa Propositione constaret; dispiciendum esset, an iisdem verbis, & eundem omnino sensum praeferentibus, Granvellano, & Soto fuerit a Baio proposita, ut ab ipso, & Hesselio Lovanii reapse propugnabatur. Verbum additum, aut detractum propositionis sensum plurimum variat; & Novatorum in suis fucandis opinionibus artificium Baianarum rerum Historico incompertum esse non potest. Ut ut sit; si ex citato Baianae Epistolae loco Baianismi reus efficiendus est Sotus; ejusdem quoque pravi dogmatis invidia in Granvellanum derivanda est: nam per utrumque ad Pontificem scripsisse se Baius adfirmat. Quid vero absurdius, quam Cardinalem Granvellanum, quo maxime id operis urgente, Baiana haeresis profligata est, in ejusdem erroris societatem, aut suspicionem vocare? Sed pergendum est.

Quum

(*a*) Ce qui est de certain, c'est que Bajus gouta fort la doctrine de Pierre Soto, se lia dans la suite avec lui, & l'employa aupres du Pape Pie IV. pour la defendre il fit de ces opinions le fond de son systeme lib. 1. pag 18.

(*b*) Ap. Gerb. in Baian. pag. 124.

IV Quum Otho Cardinalis Truchses, Episcopus Augustanus, Dilingae Svvevorum, uti superius dictum est, Academiam aperuisset, ad Germanicam Juventutem optimis disciplinis ac dogmatis imbuendam; Sotus noster insigni se apud Caesarem munere abdicavit, quo illi erat a Confessionibus sacratioribusque consiliis: quo scilicet in recens instituta Academia ad gliscentes Haereses profligandas, curis omnibus Aulaeque negotiis expeditus, incumberet, totumque se formandae instituendaeque Catholicae Juventuti devoveret. Quam vero in ea re perficienda operam Cardinali navaverit; testes appello ipsius Societatis Scriptores, Sacchinum, Schottum, Alegambium, Pallavicinum. *Cohonestarant*, inquit laudatus Sacchinus (*a*) *ad id loci Academiae hujus exordia gravissimi virtute Viri, sapientiaque praestantes Doctores, Petrus imprimis Soto Praed. ex Ordine, cujus operae, consilio, auctoritati prima deberi fundamenta operis, & incrementa, usque eo Cardinalis profitebatur, ut aliter neutiquam processurum in eum locum fuerit.*

V Lectiones in ea Academia id temporis habitae, quo de gratia & libero arbitrio cum Lovaniensi Cancellario per Epistolas disserebat, jussu ejusdem Cardinalis editae hoc titulo sunt: *Lectiones de Institutione Sacerdotum*; eisque doctam, & elegantem Epistolam idem Cardinalis praefixit, in qua & Opus, & Auctorem, ejusque pietatem & eruditionem summis laudibus celebrat: mandatque, ut deinceps in Dilingana Academia Soti Institutiones, formandis ibidem ad pietatem, & ad Ecclesiasticam ministeria, Clericis praelegantur. Postquam enim varia tum Veterum Patrum, tum recentium Theologorum ejusdem generis & argumenti Opera commemorasset; *Inter ea*, subjungit, *& unum exstat, quod a R. P. D. Petro a Soto Dominicani Ordinis Theologo doctissimo, tempore quo Scholae nostrae primarius praefuit moderator, ore pronunciatum, & a discipulis quibusdam ipsius in certas Lectiones digestum, exceptum est: in quo Vir ille, & verbo & opere ad docendum ea, quae sunt pietatis, potens; multa ad doctrinam sanam, & Catholicam; multa ad officium Pastorum Ecclesiae; & reformandam eorum, totiusque Cleri vitam & mores pertinentia, tanto pietatis studio, & dicendi ordine composuit,*

B

(*a*) Lib. 8. Hist. Societ. num. 110.

posuit, ut dignus nobis videatur hic Liber, qui ad promovenda pietatis studia, in publicum edatur; omnibusque Animarum curam, vel jam administrantibus, vel in futurum administraturis, communicetur. Damus igitur vobis doctissimi simul & pientissimi, & numquam satis laudati hujus Viri de Institutione Sacerdotum librum; omnibus, qui curam Animarum suscipiunt, non solum utilem, sed etiam necessarium; & in hoc ab Auctore ipso Discipulis suis, nobis idipsum ab eo petentibus, praelectum, ut deinceps in hac nostra Schola velut Enchiridion quoddam esset, ex quo ad pietatem erudienda Iuventus, non solum quae Christiano Homini ad bonae beataeque vitae institutionem, sed etiam ad scientiam curae Pastoralis adquirendam, necessaria sunt, discere posset. Nos igitur in hac Schola nostra educare volentes, quos ad regendas Parochias mittere, & ad alia ministeria Ecclesiastica deputare possimus, intentioni Auctoris omnino satisfacere, & quod de legendo isto Libro in Schola nostra instituit, ut in posterum ita servetur, decrevimus. Ideoque & Professoribus Scholae nostrae injungimus, ut hunc Librum Discipulis suis, maxime quos ad pietatem sumtibus nostris institui volumus, perpetuo quodam ordine a principio usque ad finem legant, & finitum rursus legere incipiant, atque ejusmodi lectionem ad eumdem modum singulis annis continuent: ut sic discipuli in his, quae ad scientiam pietatis, & imprimis curae Pastoralis, ac institutionis Sacerdotalis pertinent, sufficienter eruditi, sacris initiandi, in examine Ordinandorum ad sacros Ordines admitti possint. Ita enim a Nobis certo constitutum est, & Examinatoribus Nostris mandatum, ut non alios ad sacros Ordines suscipiendos admittant, quam quos praedicto modo instructos esse, deprehenderint. Haec de Soti Institutionibus sapientissimus Cardinalis, quae profecto ditissimum adversus grassantes haereses Ecclesiae Catholicae armamentarium dici merito possunt; & a Baianis dogmatis adeo distant, ut quas postea SS. Pontifex Pius V. damnavit Baii propositiones, singulas fere Sotus eo in Opere praedamnasse videatur: quod adcurate, ac data opera, instituto parallelo, Cl. Bullarii nostri Editor demonstravit (*a*).

VI Quum Dilinganam Scholam adhuc moderaretur; Cardinalis Po-

(a) Tom. 5. Bullar. Ord. Praed.

Polus, Legatus a Pontifice in Angliam destinatus, Soti opera apud Caesarem vsus est, qui varias huic legationi, quam minime probaverat, in dies obices opponebat. Profectus itaque Bruxellas Sotus, tantum apud Caesarem gratia valuit, ut quod alii, summae etiam dexteritatis & auctoritatis Viri ne quidquam adgressi fuerant, ipse unus perfecerit, & ad Legatum suscipiendum Caroli animum inclinaverit. Sed praestat haec enarrantem audire Cardinalem Pallavicinum: *Equidem*, inquit (*a*) *enarrare plane non possum, quam impenso studio, quantaque solertia Polus curaverit ea repagula tollere, prolixis admodum nervosisque literis per idoneorum hominum missiones ad Caesarem, ad Reginam, & ad Pontificem. Sed efficacissimam ad id Petri Soti operam expertus est. Hic sacrarum Caesaris confessionum olim auditor, tutius postea duxerat saluti animae suae, curam illius deponere, a qua innumerabilis animarum numerus pendebat. Quare ad privatas exercitationes secedens, nobile Juventutis Seminarium Dilingae administrabat; qui postea Concilio sub Pio IV. interveniens, amplae de se laudis materiam Historiae nostrae suppeditabit. Is itaque ea de caussa Bruxellas se contulit cum literis Poli ad Caesarem; ac tandem ejus cohortationibus commotus Carolus, remisso ad Polum urbano responso, ejus admittendi invitandique in Aulam voluntatem praesetulit*. Qua in re ut praeclare emicat Soti in rebus agendis dexteritas atque prudentia; ita triplex occurrit summorum Virorum de illius merito ac singulari virtute testimonium; Poli scilicet, a quo ad Caesarem missus; Caesaris, qui ad ejus se voluntatem inflexit; Cardinalis denique Pallavicini, qui rem narrat, & a quo adeo praeclarum tulit elogium.

VII Quid vero de illius fidei atque doctrinae integritate laudatus Polus cogitaret, tum maxime ostendit, quum Anglicani Regni Administer, expurgandae ab haeresum sordibus Oxoniensi Academiae, & in primaevum splendorem restituendae, Sotum praefecit. Is vero injuncto sibi munere quam praeclare functus sit, narrat illorum fere temporum Scriptor, Nicolaus Sanderus, iis verbis, quibus profecto nihil unquam luculentius in cujusquam Theologi laudem adferri, aut cogitari potuit: *Id vero*, inquit [*b*] *summum erat Catholicorum*

 Re-

(a) Lib. 13. Hist. Conc. Trident. cap. 8. (b) Lib. 2. de Schismate Anglic.

Regum novorum, ac illustrissimi Cardinalis in Oxoniensem Universitatem beneficium; quod Petrum a Soto Ordinis S. Dominici excellentissimum Theologum Hispanum, in Insulam accersitum, illic Professorem instituerit; ut a Petro Martyre omnia paullo ante diruta aedificaret, Scholasticen restitueret, ac meretricium illorum Haereticorum in docendo & decipiendo fucum Gymnasiis pelleret. Quod ille, accitis aliquot aliis ex Hispania, & Germania sui Ordinis doctissimis Collegis, brevi tempore perfecit. Horum enim opera factum est, ut Juventus fere universa Catholicae, & Scholasticae, solidaeque doctrinae capax & cupida quam citissime redderetur. Atque hunc Petrum à Soto, praeceptorem jam suum, ita priori Pseudo-Apostolo, Petro Martyri compararunt (probe enim memini) sicut D. Augustinus (a) Faustum Manichaeum, Magistrum antea suum, B. Ambrosio olim comparavit. Nimirum dictionis meretriciae, orationisque magis hilarescentis ac mulcentis ornamentis Sotum facile superasse: sed illum ab isto vicissim rerum sacrarum scientia, & judicio ita superari; ut ipsius, Haereticorumque omnium levissimae, & fallacissimae institutionis in posterum taederet, ac puderet. Certe his Magistris sapientissimis ita profecit Academia, ut non aliunde hoc fidei Catholicae semen, quod Deus in tam diuturno subsequente schismate, & tam immani persecutione nobis reliquit, exstitisse videatur. Infelix profecto & adulterinum semen! si, quod Duchesnius somniavit, Sotus noster Baiani dogmatis primordia Anglorum pectoribus commendasset. Verum absit, ut illius fidei semina repudiemus, unde in immani illa persecutione, ut ait Sanderus, tot Confessores & Martyres exstiterunt: ne propter pravam Anglorum per Sotum institutionem tot olim in Anglia Confessores & Martyres existimemus perperam coronatos. Quae dum mecum reputo, in mentem venit, quod olim Haereticis sui temporis εἰρωνικῶς quodam in loco Tertullianus objecit (b): *Aliquos Marcionitas, & Valentinianos* (aliquos in Anglia posteriores Theologos) *liberanda veritas exspectabat: Interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur Tot millia millium perperam tincta; tot opera fidei perperam administrata; tot virtutes, tot charismata perperam operata; tot sacerdotia,*

(a) Lib. 5. Confess. cap. 13. (b) Lib. de Praescriptionib. cap. 29.

tia, tot ministeria perperam functa; tot denique martyria perperam coronata.

VIII Defunctis uno eodemque die, summo Bonorum omnium luctu, Catholica Anglorum Regina Maria, ac Reginaldo Polo Regni Administro; & ad ejusdem Regni gubernacula admota haeretica Elisabetha; Soto, ejusque Symmistis, ac ejusdem fidei strenuis defensoribus, Anglia discedendum fuit. Quare in Hispaniam profectus, non multo post a Pio IV. Tridentum se se conferre jussus est, ut Synodo Pontificius Theologus interesset. Quam porro in illo Christiani Orbis consessu; tum fidei Catholicae zelo, ac rerum divinarum scientia; tum morum probitate, sibi conciliarit omnium admirationem; quove intempestiva ejus mors luctu ac moerore Patres adfecerit; narrant rerum in Synodo gestarum Historici. Audiendus prae ceteris Cardinalis Pallavicinus (a): *Res memorabilis, quae id temporis accidit, narrationem nostram a Gallis ad Hispanum convertit. Fuit hic Petrus Sotus, de quo plurima a nobis habita mentio. Summam ille obtinebat existimationem severae probitatis, solidaeque scientiae.* Et infra: *Soti mors, conjuncta cum perfecto religiosae pietatis exemplo, summopere displicuit Concilio; cui visum est, relinqui velut in infausta caligine, ademtis sibi ex omni genere quibusdam e suis maximis luminaribus.* Similia legere est apud Odericum Rainaldum ad annum MDLXIII. n.71. ubi Sotum pietate & eruditione Eminentissimis Patribus comparat, Herculi Gonzagae, & Hieronymo Seripando, Sedis Apostolicae in eadem Tridentina Synodo Legatis, paullo ante importuno funere exstinctis: *Sed inter haec nova accepta clades, quasi rescissa gravissimi vulneris cicatrice, coegit Tridentinos Patres non tam novum suscipere, quam pristinum e duorum Praesidentium morte conceptum continuare dolorem, quum geminis illis facibus exstinctis, tertium quoque fulgentissimum lumen, dignitate quidem longe, eruditione tamen ac pietate non inferius, ereptum viderent. Fuit is Petrus Sotus e Praed. Familia, a Pontifice ad Concilium directus, summae eruditionis, ac existimationis Theologus. Is &c* Viden, cujus meriti fuerit, quem Duchesnius jejune nunc Dilinganum Theologum appellat, nunc Dilinganum Doctorem, & le

(a) Lib. 20. Hist. Conc. Trid. cap. 13.

& *le Theologien Allemand*? qui tamen Synodi Oecumenicae judicio unum fuit *e maximis* Orbis Catholici *luminaribus*. Quum Baius & Hesselius paullo post Soti obitum ad Synodum accessissent; opiniones, quibus in transversum agebantur, non adeo dissimulare potuerunt, quin, referente eodem Eminentissimo Historico (*a*), Patribus innotuerint. Nec mirum: Novorum enim systematum Architecti prodire ut plurimum gestiunt, & qua esse solent ferventioris ingenii indolè, contineri nequeunt, quin aut palam efferant, quae perperam excogitarunt, aut ea passim ad aures omnibus insusurrent. At nihil ejusmodi in Soto est unquam Patribus animadversum; sed ob dogmatum castitatem perinde ac propter morum integritatem admirationi omnibus fuit; unde conjectura exsistit, nihil ei vel inter disserendum excidisse, quod modestum sobriumque Theologum dedeceret; ac proinde a novis opinionibus aut excogitandis, aut amplectendis longe illius animum abfuisse.

IX Nec illud praetermittendum, longe antequam Concilio in ejus ultima convocatione Sotus adesset, praeclaram illi operam in confutando Brentio navasse. Quum enim audacissimus Haereticus fidei suae Confessionem, Wirtembergensis Ducis nomine, Synodo obtulisset; huic *Catholicae Fidei Adsertionem* Sotus opposuit; quam deinde procaci stylo Brentius adgressus est. Verum Hæretici hominis furorem, non modo editis adversus ejus *Prolegomena* libris, Sotus ipse repressit; sed illud quoque ad ejus gloriae cumulum accessit, quod fidei suae vindicem, & impensum laudatorem nactus est, pietate non minus ac rerum sacrarum scientia, quam Purpura fulgentem, Stanislaum Hosium, Pii Quarti in eodem Concilio Tridentino Apostolicum Legatum; cujus heic omittere, aut mancum seu mutilum dare de Petri laudibus testimonium, maximum operae damnum existimarem: (*b*) *Vidit hoc* (Brentii scilicet recens symbolum) *Homo quidam Hispanus, Petrus a Soto*, QUI NULLAM ALIAM, PRAETER CATHOLICAM, FIDEM DIDICERAT... *Quamobrem tenere se non potuit, quin ipse quoque suam* Adsertionem *ederet, sed non singulariter tamen suae, verum* Catholicae Fidei. *Quem librum ita scribi curavit, ut ex una facie Con-*

cio-

(a) Lib. 15. cap. 7. (b) Confutat. Prolegm. Brentii.

cionatorum Ducis Confessionem ostenderes, ex altera Catholicam; & doctrinae Ducis, Catholicam doctrinam; auctoritatibus scripturae, auctoritates non pauciores; testimoniis Patrum, testimonia pariter opponeret. Et infra: *Qui scripsit* Adsertionem *hanc* Fidei Catholicae *contra singularem Brentii* Confessionem, *ei nomen est* Petro, *cognomen* a Soto: *loci nomen id sit, an Familiae, mihi non satis liquet. Sed est insignis Brentici petulantia ne dicam, an improbitas? Non ei dignatur cognomen suum tribuere, sed eum per contumeliam vocat* Asotum. *Dicuntur autem* ἄσωτοι *Graece, qui Latine* decoctores, *nequam homines, lucri, ganeaeque studio perditi, qui bona sua abligurierunt omnia. At cui Viro probrum hoc objicit Brentius, ut eum per summam injuriam* Asotum *vocet?* EI QUO VIX QUEMQUAM HOMINEM HAEC NOSTRA SAECULA TULERUNT SANCTIOREM. *Qui non verbis magis quam factis pridem huic saeculo nequam nuntium remisit: ac quo magis vacare possit, S. Dominici sequutus Institutum, ante complures annos in illius Familiam transiit, non aliis, quam sacrarum literarum studiis deditus:. cujus & doctrinae, & vitae, pie sancteque traductae, tanta fuit fama, ut eum sibi prae ceteris omnibus eligeret Christianissimus Imperator, cui secretiora suae conscientiae vulnera detegeret; a quo sanandis illis medicinam peteret; cujus ministerio remissionem peccatorum se consequuturum speraret. Solent autem potentissimi quique Reges non alios ad id munus adsciscere, quam qui sunt excellenti doctrina, vitaeque sanctimonia commendati. Quo magis autem intelligas, quod minime sit suo de illo judicio frustratus, pientissimus Imperator; inter cetera hac quoque in re integritatis suae specimen de se praebuit singulare; quod quum ultro fuisset Episcopalis illi dignitas delata, respuit, ac pauperem vitam potius elegit, in qua reliquum aetatis suae tempus consumeret. Equidem vidi Hominem, quum abs Te, Serenissime Rex, missus, ad Majestatem Imperatoriam proficiscens, Dilingam ad Cardinalem Augustanum, Virum, cum praeclaris à Deo multis dotibus ornatum, tum Catholicae, & Orthodoxae Fidei propugnatorem acerrimum, divertissem. Is nunquam satis eximias, & singulares hominis virtutes apud me praedicare potuit. Hunc igitur talem Virum audet impurus Homo* Asotum *appellare. Quid est hoc*

aliud,

aliud, niſi lucem tenebras, bonum malum dicere? ſed unde liceret agnoſcere Lutheri diſcipulum e Sathanae ſchola profectum, niſi mendaciis ejuſmodi tam ſancti Hominis famam contaminarit? Quid autem ei deinceps erit credendum, qui ſtatim in ipſo limine ſic impegit, ut aperte falſo convitio uti non vereretur? Neque tamen ille ſatis libidini ſuae feciſſe ſe exiſtimabat, niſi quo falſo probro Virum ſumma pietate religioneque praeditum affecerat, eodem etiam univerſum Epiſcoporum, & Sacerdotum ordinem perſtringeret, quos vocat Praelatos Aſoticos. Haec dum apud me reputo, multa animo occurrunt in hunc ſapientiſſimi Cardinalis locum animadvertenda; quae tamen libens praetereo. Illud profecto nemo facile intelliget, quid in mentem venerit Catholico Scriptori, ut in optimo Viro calumniis dehoneſtando, audaciſſimum Haereticum, quam in eodem a Novatorum calumniis vindicando, doctiſſimum ac piiſſimum Epiſcopum, maluerit aemulari.

X His ſummorum Pontificum, ſummorumque Principum ac Regum, & Purpuratorum Patrum de Soti moribus, ſapientia, & fidei candore graviſſimis judiciis; alia heic adtexere libet inſignium quorumdam Scriptorum teſtimonia; quae certe ejuſmodi ſunt, ut ab exercenda in Cl. Virum adeo iniqua cenſura deterrere prudentem & aequum Hiſtoricum debuiſſent. Itaque praeter Sanderum, cujus jam ſupra verba retulimus, audiendus imprimis eſt alius ex eadem Gente praeſtantiſſimus Theologus, & Angliae ſuae fulgidiſſimum lumen, Thomas Stapletonius, qui Cardinalem Hoſium, & Sotum noſtrum duo praeclara aevi ſui lumina appellat: *Scripſerunt*, inquit (*a*) *de hoc argumenti genere varia, duo praeclara hujus aetatis lumina, Illuſtriſſimus Card. Hoſius, & Venerabilis, ac eruditiſſimus Vir Petrus a Soto in defenſione Catholica adverſus Brentium.*

XI Audiendus etiam Nicolaus Antonius, cujus hoc exſtat de Soti virtutibus Encomium (*b*) *F. Petrus de Soto Cordubenſis, nobili loco natus, Dominicanus, Familiae iſtius, celeberrimorum hominum parentis, decus eximium, Salamanticae ad S. Stephanum ſacro Inſtituto adſcriptus, eas dotes ingenii, ſtudiique, memoriaeque ad ſacrarum ſtudia literarum adduxit, ut in praeſtantiſſimum brevi Theologum evaſe-*

(a) Praefat. Operis de Princip. Fidei Doctrinalib. (b) Biblioth. Hiſpanic.

evaserit; doctrinae, atque insuper pietatis merito dignus mox existimatus, qui Augustissimi Hispaniarum Regis, Romanorumque Imperatoris Caroli confessiones Christiano ritu per aliquot annos exciperet. Qui cum Caesare in Germaniam deveniens, nova insolentique Sectariorum tyrannide miserabiliter oppressam atque labefactatam; nil antiquius duxit Vir industrius atque impiger, ejusque mali Auctores, plusquam ditis, quod in proverbio est, januam exosus, quam ut veram Ecclesiae fidem; vel relicta Curia, & munere suo honorifico in Patroni Regis manus consignato, adversus Haereticorum impressiones, summa animi praestantia & contentione, tueretur. Quod quidem Dilingae Svevorum, atque aliquando etiam Oxoniae in Anglia, D. Thomam interpretatus, viva voce, styloque egregie praestitit. Oxoniae, inquam, perlatus eo a Philippo Hispaniarum Principe, recensque Anglorum Rege, ut simul cum Joanne Villagarcia, ejusdem Familiae Theologo, caliginosi tetrique illius Gentis tot erroribus obcaecati ingenii tenebras, orthodoxae, hoc est, antiquae saniorisque doctrinae radiis plusquam solaribus excuteret. Quae quidem Catholici Principis cura, moriente brevi Maria Regina, summo illius nobilissimae, atque olim piae imprimis atque Catholicae Nationis velut fatali malo, in irritum cecidit. In Concilio demum Tridentino sub Pio IV. P. M. in quem totius Orbis Romani consessum, una cum aliis Familiae suae Theologis, venerat, ab eodem evocatus, eam sui opinionem, aut verius, admirationem Patribus injecit, ut PRINCEPS THEOLOGORUM, FERE OMNIUM SENTENTIA, REPUTARETUR. *At contracto ibi eximia fatigatione & studiis morbo, per ipsum tempus almae Synodi, placida, quum oportuit minus, morte capitur, anno* MDLXIII. *Aprili mense.*

XII Sed ne Scriptor Hispanus eximio Gentis suae Theologo & ornamento nimium tribuisse videatur; operae pretium erit, aliquot etiam producere aliarum Gentium Scriptores. Aubertus Miraeus Belga (a) inter cetera, duas fuisse observat optimi, & sanctissimi Viri dotes, quarum, inquit, *altera in bonorum fortunae despicientia, altera in animi celsitudine posita. Rebus namque saeculi valere jussis, quum se Dominicanis sodalibus adjunxisset, & Ca-*

(a) Biblioth. Ecclesiast. int. Script. Saec. XVI. cap. 82.

& Carolo V. Imperatori a sacris jam esset confessionibus, Religionis avitae, pessum in Germania euntis, ac Juventutis Germanicae vicem dolens, à Carolo, in Belgica commorante, missionem petiit; atque una cum Martino Olavio (post Soc. Jesu Sacerdote) eo consilio in Germaniam ipsam se contulit, ut Lutheranorum furori murum pro Domo Dei se se objiceret. Commodum tunc Otho Truchsius Cardinalis, & Antistes Augustanus, in eamdem curam cogitationemque ingressus; Dilingae, Dioecesis suae Oppido, Gymnasium, instituendis pie Adolescentibus, inchoaret, Huic Sotum, & Olavium, magno Juventutis bono, praefecit, aluitque liberaliter. Sotus porro, non voce tantum, sed & scriptis prodesse volens, fidei nostrae dogmata adversus Brentium, ceterosque Wirtembergensis Scholae Ministros acerrime propugnavit. Parochis ad haec optima vitae praecepta ac consilia reliquit. Post in Hispaniam reversus, indeque Tridentum ad Synodam missus, ibidem vita, anno MDLXIII., *excessit.*

XIII Alium ejusdem Belgicae Nationis Scriptorem, pietate, eruditione, & libris editis celeberrimum, praeterire non possum, Christianum Lupum, Augustinianae Gentis eximium decus; cui quum semel atque iterum citandus esset Petrus a Soto, his eum ornavit encomiis: (*a*) *In Catholicis suis Scholiis* (ad Confessionem Wirtembergensem) *scribit magnum Ord. Praed., & totius Ecclesiae lumen, Caroli V. Augusti Confessarius, Petrus a Soto.* Et rursum: (*b*) *Eximias hujus Petri laudes, ejusque numquam satis praedicanda in omnem Ecclesiam merita, videre possis in Nicolai Sanderi Opere de Schismate Anglicano.*

XIV Quum itaque inter Soti Laudatores, ex Italia produxerimus Summum Pontificem Paulum III., Cardinalem Pallavicinum, & Odoricum Raynaldum; ex Germania Cardinalem Truchsium; ex Anglia Nicolaum Sanderum, & Thomam Stapletonium; ex Polonia Cardinalem Hosium; ex Hispania Nicolaum Antonium; & ex Belgio Aubertum Miraeum, & Christianum Lupum; ut ex Gallia quoque, praeter domesticos Quetif & Echard (*c*); quibus adjungendi Natalis Alexander (*d*), & Antoninus Reginaldus,

(a) Epist. Familiar. ad Henric. Noris de cont. & attrit. cap. 2. (b) Ibid. cap. 3.

(c) Tom. 2. de Scriptorib. Ord. Praed.

(d) Histor. Eccles. Saec. XVI.

dus (*a*), & alii; exterum quoque Scriptorem habeamus; unum hic, & alterum ex illius Gentis Scriptoribus proferam; quos quamquam alias Duchesnius repudiare jure posset; a ferendo tamen pro Theologo nostro testimonio repellendi non sunt; quod cum aliis optimae fidei testibus probe conveniant. Sed antequam eorum verba describam, castigandus mihi est laudati Antonini Reginaldi error, ut hac interim arrepta occasione, quod mihi jam pene exciderat, de Soti nostri doctrinae integritate, non unius aut alterius privati Scriptoris, sed publicum ac sollenne totius Synodi testimonium proferam. Quum enim quaedam ex libris *de Institutione Sacerdotum* pro gratia se ipsa efficaci Reginaldus loca describeret; sequens Augustanae Synodi Decretum convenire in id Operis existimavit: (*b*) *Quoniam autem interesse plurimum constat, qua ratione pueri & rudes catechizentur; Parochis nostrae Dioecesis Catechismum, sive libros* de Institutione Christiani hominis, *R. P. D. Petri de Soto ex Praedicatorio Ordine, Theologi Hispani, & Caesarae Majestatis Confessoris, doctissimi, & religiosissimi Viri, legendos docendosque commendamus. Alios vero, de Haeresi aut Schismate suspectos, ex usu eorum tolli praecipimus.* Hoc Synodi Augustensis Decretum postquam laudavit Reginaldus, statim subjungit: *Ex his ergo est colligere, doctrinam in* Sacerdotum Institutione *contentam, non solum habere auctoritatem ab eo piissimo & doctissimo Theologo* (Petro Soto ejus auctore) *verum etiam ab ipso Cardinali Augustano, ejusque Concilio, quod, licet Dioecesanum, Tomis Generalium Conciliorum insertum est* (*c*). Fallitur tamen; nam, ut vel ex ipsa Epigraphe, seu librorum Titulis adparet; Liber *de Institutione Christiani hominis* Synodo laudatus, alius est a libro *de Institutione Sacerdotum*. Deinde Synodus Augustensis anno MDXLVIII. Dilingae celebrata est; Lectiones vero *de Institutione Sacerdotum*, ut constat ex Epistola Cardinalis Augustani, qui eas primum edi curavit, nonnisi decem post annis typis vulgatae sunt; quum tamen Synodus, *Christiani hominis Institutionem*, veluti librum, jam Parochis notum, & jamdudum publici juris factum commen-

(a) De mente Conc. Trid part. 2. cap. 81.
(b) Synod. August. An. MDXLVIII. cap. 8.
(c) Vid. tom. 19. Concil. novissim. Venet. Edit. col. 1295.

det. Non ergo ad libros *de Institutione Sacerdotum*, sed ad alium Soti librum, qui eo Titulo in ejus Operum syllabo recensetur (*a*), illud Augustanae Synodi Decretum referendum est. Ut nullum omnino Sotus librorum genus promulgarit, quod non insigni aliquo testimonio commendetur. Nam, ut vidimus, libros Dogmaticos ad Sacerdotes Cardinalis Truchsius, libros Polemicos adversus Brentium Cardinalis Hosius, libros denique Catecheticos Synodus Augustana, suffragio suo comprobarunt: his autem tribus generibus omnia Soti opera continentur. Sed est in orbitam redeundum.

XV Primus eorum, quos, ut jam dixi, Gallia Soti laudatores exhibet, prodeat Dupinius, qui Theologi nostri in Concilio Tridentino obitum his verbis narrat: (*b*) *Eo tempore Petrus a Soto Ordinis S. Dominici, qui ob pietatem, atque doctrinam in magna erat apud omnes existimatione, in morbum incidit; tribusque ante obitum horis, dictavit, signavitque ad Pontificem Epistolam, veluti quamdam fidei suae confessionem super articulis, de quibus in Concilio tum acriter disceptabatur; & Sanctitatem suam enixe rogabat, ut vellet, institutionem & residentiam Episcoporum juris esse divini, in Synodo definiri. Et Epistola quidem ad Pontificem missa est: sed ejus* ἀπόγραφον *Ludovicus a Soto, Petri Socius, apud se retinuit, ex quo plura Exemplaria cum Amicis communicavit. Porro varia fuerunt Patrum ac Theologorum de hoc monumento judicia: Quidam, haud exigui momenti ejusmodi testimonium esse ducebant, ut ab homine profectum, qui aeternitatis fines jam proxime adtigisset, & quem anteactae vitae exempla commendabant: aliorum*

(a) Biblioth. Scriptor. Ord. Praed. tom. 2.

(b) En ce temps-la Pierre Soto, Religieux de l'Ordre de Saint Dominique, estimé pour sa pieté & pour la doctrine, tomba malade, & trois heures avant sa mort dicta & signa une lettre pour le Pape, où il declaroit par maniere de confession ses sentimens sur les points controversez dans le Concile, & conjuroit sa Sainteté de consentir, que l'Institution & la Residence des Eveques fussent declarées de droit divin. Sa lettre fut envoiée au Pape, mais il en resta une copie entre les mains de Louis Soto son Compagnon, qui en donna plusieurs autres copies a ses amis. Sur ces Copies repandues dans Trente chacun raisonnoit: les uns faisoient un grand fonds sur le temoignage rendu par un Docteur d'un vie exemplaire dans les approches de la mort: les autres disoient, que Soto n'avoit pos écrit de son propre mouvement, mais par celui de l'Archevêque de Brague: ceux qui tenoient la Residence de droit divin s'appuioient fort sur cette lettre. Bibliothecq. Ecclesiastiq. tom. 16.

rum opinio erat; *Sotum, non proprio privatoque consilio, sed Bracharensi Archiepiscopo suggerente, ad ea per literas Pontifici consulenda, animum adjecisse. Qui Episcoporum residentiam juris esse divini propugnabant, hac Epistola plurimum nitebantur*. Eadem ferme habent, locis superius laudatis, Eminentissimus Pallavicinus, & Odoricus Rainaldus, qui & earum literarum exemplar e Vaticanis Codicibus refert. Haec autem aperte luculenterque demonstrant, quae fuerit hominis in illa Synodo auctoritas; & quanti illius suffragium, in dogmatis fidei constituendis, sanciendisque praecipuis Christianae Disciplinae capitibus, haberetur. Privati enim Theologi Epistola Oecumenicam Synodum non admodum sollicitam habuisset, nisi Auctorem summa pietatis, doctrinae, & Ecclesiasticae eruditionis fama & opinio commendasset.

XVI Denique heic libet adtexere, quae de Soto habet Auctor Praeloquii ad Antonini Reginaldi, & aliorum Opera *de Gratia*, Antuerpiae anno MDCCVI. unico Volumine edita: *Ceterum*, inquit, *ut eruditione, sic & pietate, & rerum omnium abdicatione longe superior Tappero* (qui tamen, ut deinde videbimus, inter summos illius aevi Theologos numeratur.) *visus est Petrus de Soto, Vir ejusmodi, quem Gratia ipsa intrepidum sibi defensorem finxit rerum omnium humanarum contemtu, sola rerum coelestium cogitatione, ac studio*.

Quum igitur ejusmodi fuerit Summorum Pontificum, Purpuratorum Patrum, Episcoporum, Theologorum, necnon Dioecesanae, ac demum etiam Oecumenicae Synodi de Soti pietate, religione, doctrina, fidei morumque castitate, & eruditione judicium; quum eum clarissimi quique doctissimique omnium Gentium ad hanc usque aetatem Scriptores inter summos Catholicae fidei Magistros, aedificatores, & athletas numerarint; quum nulla eum adhuc, ejusque famae inlibatam integritatem, iniquae suspicionis labes aut umbra foedarit; quis non miretur nuperi Scriptoris (ut modeste cum illo agam, verboque utar honestissimo) consilium, quo se operae pretium facturum existimavit, dum egregium Virum, fidei & Ecclesiae columen, ac monstrorum errorumque omnium debellatorem, Haereticis adjudicaret, ac perditae factioni ducem



ducem & antesignanum praeponeret ? Quo certe consilio, & Ecclesiae Catholicae caussae plurimum obfuit, & Adversariorum partes egregie juvit; quorum scilicet in eo praecipuus labor, ac studium omne versatur, ut doctissimos quosque, ac veteres Augustini discipulos ad suas partes adgregent; ut non ex eis quorum denotantur nominibus, profana dogmata profecta esse videantur; sed ex purissimis jugiterque manantibus incorruptae traditionis fontibus profluxisse demonstrent: quibus propterea resistendum est, & in eo conatus noster & industria collocanda, ut, quoad ejus fieri potest, Catholicorum Virorum, & in Ecclesiae pace defunctorum, queis nulla unquam aut profanae novitatis, aut minus sinceri dogmatis labes adhaesit, suffragium eis atque auctoritatem eripiamus, & Ecclesiae Catholicae vindicemus. Qui secus faxit; & clarissimorum hominum dicta, non in meliorem, quod pietatis est, sed in deteriorem sensum detorqueat; ille non Ecclesiae caussam agere censendus est; sed privatis adfectibus indulgere, & aemulatione in transversum abripi. Quod quidem de Gallico Societatis Scriptore ne temere judicemus, facit paullo apertius, quam oportuit, atque exploratius ejus in conscribenda Baiana Historia propositum; quod, ut deinceps luculentius exponam, in eo potissimum versatur, ut Catholicae fidei summam per Tapperum, Lessium, & Hamelium in Molinianam Scholam; in Thomisticam vero per Sotum, & Professores Lovanienses, atque Bannesium, Baianismi medullam, propagatas esse demonstret.

ARTICULUS SECUNDUS.

Prioris Soti ad Tapperum Epistolae Analysis.

AB ipso Epistolae exordio Sotus rationes aperit, quibus impulsus, ad scribendum animum appulisset. Ait enim, se imprimis incitatum esse, exemplis Hilarii & Prosperi; qui cum aegre ferrent, lucidissimam Augustini de coelesti gratia doctrinam, Massiliensium Disputationibus infuscari; eorum querelas atque difficultates ad ipsummet S. Doctorem deferendas existimaverant. Horum

ergo

ergo zelo excitatus, quum & ipsi alicubi videretur, ex quorumdam, cum Haereticis liberi Arbitrii eversoribus, quotidianis acribusque concertationibus, Romanorum Pontificum, Conciliorum, & veterum Patrum, avita de Christi gratia doctrina atque traditio periclitari; Virum doctum quaerebat, cui animi sui de his rebus sensus & aegritudines aperiret, & quaestiones aliquot proponeret, in quibus controversiae summa posita videbatur. Nullum vero, addit, praeter ipsum Tapperum, ad animum occurrisse, quem potissimum consuleret; quem nimirum sciebat optimo cum judicio, in hac arena, studio, ac pietate versatum: quum ii, ex quibus ipsi prima mali labes fluxisse videbatur, ad haec docenda atque explananda, ingenii potius lumine freti, quam Patrum lectione subacti, eorumque auctoritate muniti, studium atque operam contulissent.

In his vero duobus cardinem esse ac momentum difficultatum. Primo, an liberi arbitrii jura ne violentur, gratia opus sit, quae omnibus ingeratur; cujus tamen sit vis atque natura versatilis; quaeque in utramlibet partem pro cujusque hominis nutu atque arbitratu flectatur. Secundo, an gratiae omnibus ingestae non modo pravus, sed rectus quoque usus, adeo ex nativa ipsius liberi arbitrii virtute, ac facultate pendeat; ut (Deo, quantum in ipso est, omnes aequaliter volente, sanctos ac beatos esse;) inde oriatur Praedestinatorum Reproborumque discrimen.

Hanc fuisse quorumdam illius aevi Scriptorum de Gratia & libero Arbitrio doctrinae summam; quos inter Pighium primo recenset, & Eckium: atque in eam nonnihil ipsi inclinare videbantur Dominicus Soto, Driedo, Latomus, aliique Belgii, Galliae, & Italiae illius aetatis Theologi; quorum aliqui ipsas eo detorquebant Tridentinae Synodi de Gratia & libero Arbitrio definitiones.

Paucis deinde rationes indicat Sotus, ob quas eorum doctrina ipsi minime probabatur. Nam, ut omittam, inquit, innumera S. Augustini testimonia, quibus utrumque illud novae doctrinae caput confutat; quid exempla illa, tum duorum parvulorum, quorum alius ante Baptismum, alius illo suscepto moriatur; Tum

Jacob

Jacob & Esau; tum denique ipsius Christi Domini, quae toties S. Doctor inculcat; quid, inquam, exempla illa probant; *nisi paribus exsistentibus meritis & caussis, electioni gratiae tribuendam esse salutem hominum?*

Quod vero speciatim ad primum spectat hujusce disputationis argumentum; si Deus omnium aequaliter miseretur, & quamdam natura sua versatilem gratiam omnibus impertitur; quid est, quod Deus, scriptura teste, *cujus vult, miseretur; & quem vult, indurat*; quod *non omnes capiunt* divinum *verbum; sed quibus datum est*: & quod olim *permisit, omnes gentes ingredi vias suas?* Haec enim profecto aperte significare videntur, non sine quadam divini judicii discretione fieri coelestium munerum in homines distributionem.

Deinde, si, ut alius habet articulus, per vim, & facultatem liberi arbitrii, recte, aut secus utentis divina gratia, homines invicem discernuntur; quid est etiam, quod idem Apostolus ait: *Quis enim discernit te? quid enim habes, quod non accepisti?* Hoc tantum differre videtur istorum a Pelagiano dogmate opinio, quod Pelagiani libero arbitrio salutis initium: hi vero tribuere videntur consummationem.

Ad haec, ipsos hujusce opinionis Auctores optime intelligere, atque etiam fateri, eam cum doctrina S. Augustini, de quibusdam ex Dei gratuita praedeterminatione efficaciter salvandis, conciliari non posse: quare exosam hanc eis esse S. Doctoris sententiam; ac temere illos effutire, quod pugnet cum divina misericordia, magnamque illi adferat contumeliam. Pighii hos esse sensus, & Catharini: atque hujus quaedam de his rebus opinionum portenta paucis Ruardo ob oculos ponit.

Denique, haec Ruardo in summa proponit totidem quaestionum argumenta.

I An sine quadam omnibus communi, & natura sua versatili gratia liberum hominis salvari possit arbitrium.

II An ipso libero arbitrio primum discernatur justus a peccatore; & magis justus ab eo, qui minore justitia praeditus est.


III An in bonis operibus distinguendum sit, quod liberi arbitrii

bitrii eſt ab eo , quod gratiae ; & quaſi inter Deum & Hominem dividendum.

IV An juſtificationem praecedat meritum hominis.

V Quid ſentiendum de illa Pighii , & Catharini , & aliorum de Praedeſtinatione ſententia.

De his vero , ut ab illis Theologis defenduntur , tria haec Sotus communiter ex Ruardo audire deſiderat ; an falſa ſint ; an contraria ſcripturae ; an etiam fidei , & apertae Eccleſiae diffinitioni. Quibus ut ſatis ab ipſo factum fuerit, ſe de aliis, ait , quae ſit illius mens ac ſententia , requiſiturum.



CAPUT II.

In priorem Petri de Soto ad Ruardum Tapperum Epistolam Notae & Observationes.

ARTICULUS PRIMUS:

Quibus rationibus impulsus fuerit Sotus ad Ruardum, super conciliatione Gratiae & liberi arbitrii, per literas consulendum.

I *Duchesnii de Soto inanis & injusta suspicio removetur.*
II *Verae ex ipsomet Soto rationes adferuntur.*
III *Eas deinde Praedicatores luculentius exposuerunt in Libello supplici ad Paulum V., quum celebres de auxiliis divinae gratiae controversias decreto Apostolico dirimi postularunt. Prima ratio, quod res ad fidem pertinens ageretur.*
IV *Secunda ratio, quod inde universa ferme Theologia penderet.*
V *Tertia ratio, ut quid a Deo petendum sit;*
VI *Quarta ratio; & quae Deo gratiae referendae, Fidelibus notum esset.*
VII *Quinta ratio; necessarium id esse, ad hominum temeritatem comprimendam.*
VIII *Sexta ratio, ad unitatem fidei & doctrinae in Ecclesia fovendam.*
IX *Septima ratio, ad graviora pericula praecavenda.*

I NOvissimus Baianarum rerum Historicus, cui fixum animo & constitutum erat, Cl. Viri gloriam calumniarum suarum nebulis infuscare; ab jacienda in eum temeraria suspicione historiam, seu fabulam suam orditur: *Post sacri*, inquit (*a*), *Concilii Tridentini de libero arbitrio definitiones, aliquae adhuc Soti spiritum difficultates angebant. Quare quum doctum Theologum quaereret, in cujus sinum suas dubitationes conferret, ad Lovanien-*

(a) Apres les decisions du St. Concile de Trente sur le libre arbitre, il resta dans l'esprit de Soto quelques scrupules. Il chercha à déposer ses doutes dans le sein de quelque habile Théologien. Il jetta les yeux du coté de l'Université de Louvain qui passoit alors pour la plus sçavante dans la connoissance des dogmes, & s'adressa a Tapper. lib. 1. pag. 8.

vaniensem Academiam, quae dogmatum cognitione praestare ceteris, videbatur, oculos cogitationesque convertit; ac Tapperum sibi consulendum statuit. Non potuit iniquiorem, in Virum, doctrina, pietate, ac religione insignem, suspicionem conferre. Quid enim Tridentini Concilii de libero arbitrio sanctiones commemoraret, nisi ut ea nobis oriretur suspicio, ex ipsismet Concilii decretis subortas esse Petro de Soto, quae ipsius animum vexabant, difficultates? sed unde id sibi Historicus colligere visus sit, prorsus ignoro; quum ne verbo quidem Sotus indicet, ullis animum suum, ob Tridentinae Synodi de libero arbitrio definitiones, fuisse scrupulis axagitatum. Ait quidem, nonnullos Theologos ipsius Concilii Tridentini verba ita esse interpretatos; ut, quae ipsi minus probabantur, de gratia & libero arbitrio opiniones in ea Synodo definitas contenderent: *Nonnulli*, inquit (*a*), *ipsius Tridentini Concilii verba ita interpretantur, ut hoc ipsum ibi diffinitum dicant*. Sed ab hac sententia adeo alienus erat Soti animus, & adeo persuasum illi erat, ab ejusmodi quorumdam Theologorum novis de gratia & libertate opinionibus sacram Synodum abhorrere, ut sui muneris, & Theologi partes esse, & summopere Ecclesiae interesse judicaret, eas ad Patres examinandas configendasque deferre. En ejus verba, ut fiducia, ita zelo & vigore plena: (*b*) *Quomodo non pertinet ad nos, ut coram Ecclesia clamemus, & petamus, auferri hoc scandalum, in quod plures Catholicorum impingunt; putantes, defendendam sententiam, quam Catholicus contra Haereticos scripsit? Quod & scandalizat Haereticos ipsos, dum ab Ecclesia putant haec probari; & sub fidei Catholicae nomine a multis praedicari & doceri contra se vident. Certe pacificorum Doctorum esse puto*, DE HOC ADMONERE COACTUM JAM CONCILIUM, *nec ullis hic parcere laboribus. Et puto, nunc articulum esse, in quo fides haec periclitatur; atque eo magis, quod sub colore veritatis invehitur ab his, qui Catholico nomine gloriantur, tantus error; quam si sub timore proponeretur tempore persecutionis ab aliquo Tyranno.* Hae certe voces non sunt hominis, cui aliquem Tridentina de libero arbitrio decreta scrupulum injecerant, quem sibi ex animo evellendum Ruar-

(a) Epist. 1. col. 3. (b) Epist. 2. col. 63.

do proponeret. Facessat itaque cum miseris suis conjecturis ac suspicionibus Duchesnius: verasque rationes, quibus ad scribendum impulsus est, ex ipsomet Soto discamus.

II Quae olim S. Augustinus de Gratia Christi adversus Pelagianam haeresim, ejusque tum in Africa, tum in Galliis reliquias, divino veluti adflatus spiritu, disseruerat; quaeque de eadem re veterum Romanorum Pontificum, & Conciliorum fuerant auctoritate sancita; Sotus noster, omnia optime perspecta, ac velut innumerato habens; cum iis contulerat, quae de libero arbitrio eademque Christi gratia docti quidam illius aevi Theologi adversus Haereticos elucubrarant. Magnum sibi visus est, horum inter & illorum de hoc argumento decreta, discrimen animadvertere; & Neotericos illos Scriptores magno intervallo ab Augustino, & vetustis Ecclesiae regulis recessisse, & propius jam Massiliensibus seu Semipelagianis abesse. Ea igitur, in quibus Theologo nostro visi sunt ab Augustino, ac tritis Patrum semitis declinare, ille non ejusmodi esse judicavit, in quibus nullum aut fidei, aut religionis, ac pietatis, morumque disciplinae periculum versaretur: quaeque adeo essent (ut alia innumera, nullius fere momenti, quae Theologicas Scholas exercent argumenta) Scholasticorum disceptationibus permittenda: *Quum enim*, inquit (a) *quid D. Augustinus de hac hodie tam exagitata quaestione, de concordia scilicet gratiae, & liberi arbitri, senserit, intueor; & quantum id ipsum pietati Christianae, doceri & intelligi, expedire crediderit: & tandem video, quid illius temporis Concilia, & Sanctissimi Pontifices, Romani maxime, diffinierint de his rebus; adduci non possum, ut non credam; maxime gloriae Christi; salutique Fidelium convenire, ne haec doctrina Patrum supprimatur, aut obscuretur: quod tamen ita fieri per eos qui maxime & se putant, & ab aliis putantur Catholicam fidem contra haereses tueri, metuo*. En igitur verae ac germanae rationes, quae Sotum ad scribendum impulerunt; ardens nimirum zelus ac studium, avitam de Christi gratia doctrinam sartam tectamque tuendi; & Theologo digna sollicitudo, ne lucidissima inlibataque veteris Ecclesiae dogmata novis aut obscurarentur commentis, aut opinionibus

(a) Epist. 1. col. 1.

nionibus depravarentur; quod neque gloriae Christi, neque Christianae pietati, neque Fidelium saluti convenire, ipse optime intelligebat.

III Has easdem rationes disertius postea ac pluribus exposuerunt, primum Hieronymus de la Nuza Ord. Praed. Vir sanctitate ac doctrina insignis, in Libello supplici ad Philippum II. Hispaniarum Regem; ac deinde Capitulum Generale ejusdem Ordinis in eodem Libello, novis per Thomam de Lemos momentis communito, & Paulo V. Summo Pontifici oblato; quo rogabant, ne silentio exortae Praedicatores inter ac Societatem de auxiliis divinae gratiae disceptationes involverentur; sed quid Catholicis de illis tenendum esset, nitido & aperto Apostolicae Sedis oraculo sanciretur. Ex laudato Libello aliqua heic describere visum est, unde indicatis a Soto rationibus lux major adfulgeat; &, quam juste illius animum permoverint, zelum accenderint, ac sollicitudinem excitarint, melius intelligatur.

(*a*) Ex Africanis Patribus, & praesertim Augustino, illud imprimis Praedicatores observant „ duo illa, quid natura ex Adamo „ contracta possit, quid gratia per Christum operetur in nobis, to- „ tius esse Christianae fidei fundamenta: & ex Thologorum omnium „ sententia, sacram Theologiam ad duo capita revocari; naturae, „ videlicet ab Adamo contractae, & gratiae a Christo Domino re- „ stitutae: sic ut tota pene in hisce duobus Theologia vertatur; quid „ a Christo, quid ab Adamo teneamus. Ea, *inquiunt*, de caussa „ praeteritis olim temporibus voluit Ecclesia, ut ea potissimum „ capita nitida atque distincta definitione sancirentur. *Quod eorum-* „ *dem Africanorum Patrum testimonio*, *&* *Innocentii I. ad eos Re-* „ *scripto demonstrant*; *in quo* id etiam, *inquiunt*, *Innocentius* ob- „ servat: In omnibus sacrarum scripturarum paginis divinae gratiae „ necessitatem & efficaciam commendari; ut intelligerent universi, „ quam certo, quam distincte teneri ab omnibus debeant; quae „ nobis toties in sacris Literis inculcat Spiritus Sanctus. *Et post* „ *plura in eamdem rem ex iisdem monumentis adlata*, *id jure meri-* „ *toque conficiunt*, *quod sequentibus verbis subjungunt*: Non itaque im-

(*a*) Exst. in Appendic. ad Histor. Congregat. de auxiliis num. 17.

„ impraesentiarum Ecclesiae Dei sufficere putandum est, ut divinae
„ gratiae efficaciam vagis tantum speciosisque vocibus Theologi pro-
„ fiteantur, quas nonnisi ex abusu Doctores nuper exorti, ad fucum
„ incautis faciendum usurpant: sed Apostolico judicio distincte &
„ explicate definire necessum est, quam re ipsa vim & efficaciam in
„ hominum voluntates obtineat; ne quam voce tenus efficaciam
„ profitentur, re ipsa ac facto negare pergant.

IV *Aliam deinde rationem his verbis subjiciunt*: „ Accedit alte-
„ ra ratio, superiori admodum adfinis, qua palam ostenditur,
„ quantum Ecclesiae Dei congruat, controversiam istam ultimo ju-
„ dicio eliquari. Quum enim quaestiones de divinae gratiae effi-
„ cacia, liberique arbitrii viribus fundamenti loco sint universae
„ Theologiae; ex iis profecto pendent omnes pene gravissimae
„ controversiae, quae de divina Praedestinatione, Scientia, Justifi-
„ catione, Providentia, Voluntate, Merito, Redemtione Christi,
„ Sacramentorum efficacia, aliisque bene multis agitari solent: quas
„ omnes idcirco nutare necessum est, quamdiu certum firmumque
„ de divina gratia & libero arbitrio canonem non habemus: uni-
„ uersamque Theologiam novitatibus infici, proclive erit; si nova
„ & hactenus inaudita fundamenta poni sinat Ecclesia. *Quae deinde*
„ *pluribus illustrant, & tertiam rationem his verbis efferunt*.

„ V Alia quoque de caussa expedit Ecclesiae Dei, caussam istam
„ ultimo definiri; ut nimirum Fideles noverint, quid a Deo suis
„ orationibus debeant postulare. Hanc rationem potissimum urget
„ Concilium Cartaginense in sua ad Innocentium Epistola; ut eum
„ ad divinae gratiae efficaciam contra Pelagium & Caelestium
„ statuendam adducat. Quia nimirum nostris ad Deum precibus ef-
„ flagitamus, quae propriis conatibus praestare ex nobis ipsis mini-
„ me possumus. Idcirco quid propriae vires possint, nosse congruit,
„ ut Deum prudenter oremus... Quam quidem rationem usque
„ adeo probavit Sanctissimus Pontifex, easque se ad maturandam
„ Pelagianismi damnationem adductum fuisse significavit; ut illam
„ potissimum in suo ad eosdem Rescripto ponderarit, & inculca-
„ rit... Nec minus eleganter S.Augustinus Epist.89. ad Hilarium
„ multis momentis ostendit; frustra ad Deum preces a nobis fundi,
„ nisi

„ nisi ejus dona noverimus ..... Non absimiliter impraesentiarum
„ inferre licet. Si etenim Deus omnipotentissima gratiae suae prae-
„ venientis energia voluntates nostras interius non inflectit, agit,
„ rapitque ad se se; frustra petimus, ut id praestet; immeritoque
„ orat Ecclesia, *ut nostras ad se etiam rebelles compellat propitius*
„ *voluntates*: frustra rogamus, ut auferat a nobis cor lapideum, det-
„ que cor carneum: frustra, ut voluntates mostras ad se convertat,
„ corda mutet, efficaciter ad bonum inclinet &c.

VI *Quarta Praedicatorum ratio ejusmodi erat*: „ Hoc ipsum
„ etiam definiri Ecclesiae congruit, ut Fideles agnoscant, quas Deo
„ grates rependere debeant. Tametsi enim Apostolus dixerit; *In*
„ *omnibus gratias agentes*; satis nihilominus significavit, non esse
„ de iis rebus gratias Deo optimo referendas, quae in liberi arbitrii
„ potestate sunt positae; sed quae Dei liberalitate conferuntur, ut
„ Fides, Caritas, Justificatio &c. Hinc illa longe celebratissima ejus-
„ dem Apostoli verba: *Quis te discernit? Quid habes, quod non ac-*
„ *cepisti? Si autem accepisti; quid gloriaris, quasi non acceperis?*
„ quae toties Augustinus in Pelagianos retorsit. *Et infra*: Receptis-
„ sima S. Augustini sententia est, a S. Cypriano petita; nihil in no-
„ bis esse, in quo tamquam in nostro gloriemur ..... Jam si id ve-
„ ritate niteretur, quod hodierni liberi arbitrii Elatores obten-
„ dunt; in ipsis bonis operibus secernendum esset, quid a Deo,
„ quid ab innatis nobis viribus habeamus, ut Deo partem, partem
„ nobis adscriberemus: quo nihil magis a pietate alienum excogitari
„ potest. Qui divinae gloriae studio ac zelo ardent Sancti Dei ho-
„ mines, divinae gloriae virtutem, humanaeque voluntatis infirmi-
„ tatem perpetuo commendarunt. Ea de caussa suam ad Romanos
„ Epistolam scripsit Apostolus ...... Non absimiliter Augustinus
„ eo adversus Pelagium fine pugnavit, qui quantum divinae gratiae,
„ tantum divinae gloriae detrahebat: eumque hoc argumento sae-
„ pius exagitavit Sanctissimus Doctor: potissimam justificationis par-
„ tem libero arbitrio adscriptum iri, si ex innatis viribus voluntatis
„ inclinatur & determinatur ad bonum. Porro si Molinianos audia-
„ mus, ea ad bonum determinatio, & bonus, ut ajunt, liberi arbi-
„ trii usus ab ipsa liberi arbitrii innata virtute oritur, uti & a nobis

in ha-

„ in habitis Congregationibus oſtenſum eſt, & a conſtitutis Iu-
„ dicibus pronuntiatum. Perſpicua etiam Molinae confeſſio eſt
„ I. P. Quaeſt. XXIII. art. IV. & V. diſput. I. memb. X.

VII *Quintam rationem in hunc modum ex praecedente conficiunt*: „ Hinc oritur altera promulgandae definitionis efficaciſſima
„ ratio; ut nempe vanam de propriis viribus fiduciam deponant pec-
„ catores. Ubi etenim audiunt in humanae libertatis viribus poſi-
„ tum eſſe, ut applicetur & determinetur ad bonum, alterutrumque
„ pro nutu ſuo eligat, aut refugiat; in peccato ſordeſcunt, mollique
„ deſidia torpent, falſa prorſus ac ſegni fiducia tuti, qua ſe, ubi li-
„ buerit, peccatum depoſituros confidunt, nullius gratiae victricis
„ ope, quae rebelles voluntates frangat, & a Daemonis tyrannide
„ omnipotentiſſima virtute redimat; Paulo Apoſtolo in oppoſitum
„ reclamante ad Philip. II. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram*
„ *operamini: Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle & perficere,*
„ *pro bona voluntate*.

VIII *Sexto loco hanc promulgandae definitionis proponunt Pontifici rationem*: „ quod ea neceſſaria videretur ad ſcandala procul ar-
„ cenda. Res, *inquiunt*, in comperto eſt, nihil aeque Eccleſiam tueri
„ ac fovere, quam fidei atque doctrinae unitatem, ſic ut licet varia
„ ſint dona ac talenta Praedicantium, unum tamen ab omnibus Evan-
„ gelium, una veritas praedicetur...... Quae cum ita ſint, nemo
„ non videt, quantae neceſſitatis ſit, pendentem controverſiam de-
„ finire, ſeu verius, latam pridem definitionem promulgare. Cum
„ partes hinc inde diſſidentes, tutandae famae, cauſaeque promo-
„ vendae ſtudio in ſcholis perinde ac pulpitis ſua pro arbitrio vendi-
„ tent, non ſine ceterorum morſu, ſummoque Fidelium ſcandalo &
„ offenſione. Nec vero reponere juvat, controverſias iſtas in judi-
„ cium vocatas, non Religionis, ſed ſcholae rixas eſſe. Quantum
„ enim novis illis opinationibus Religio laeſa ſit, demonſtratum a
„ nobis eſt; & in Congregationum Commentarios relatum, quid de
„ iis conſtituti Judices cenſuerint &c.

IX *Ultimo loco, Eccleſiae definitionem neceſſariam eſſe, contendunt*, ad ea, *inquiunt* „ pericula praecavenda, quae ex diuturniori
„ judicii procraſtinatione ſuboriri poſſent. Quia cum univerſi in al-

teru-

„ terutrius partis ſtudia veniant, omneſque pro alterutrius ſcholae
„ affectu opiniones ebibant; res eo demum perducentur; ut quae
„ nunc facili negotio componerentur, nullo demum conatu, nulla
„ induſtria reſarciri poſſint. Continuo ſi quidem uſu monſtra miteſ-
„ cunt, & errores, ſectatorum multitudine, vires accipiunt.... No-
„ va diſſeminantur in dies; exoticae in dies opiniones procudun-
„ tur, inaudita petulantium ingeniorum audacia. Jactis jam ruinoſis
„ fundamentis, unuſquiſque pro arbitrio ſuperaedificat, ac Turres
„ veluti Babelicae exſtruuntur: tanta eſt in ſentiendo atque loquen-
„ do diſſonantia! E re catholica igitur eſt, ut Pontificio judicio cer-
„ ta fundamenta ponantur, qualia ab Apoſtolis, ac Patribus conſti-
„ tuta eſſe, probatum, ac demonſtratum eſt; quibus ſolis doctrinam
„ de divina gratia ſuperſtruere liceat.

X Haec igitur praecipua ſunt rationum momenta, quibus Praedicatorum Capitulum generale, cui (quod de Africanis Conciliis, & Auguſtino canebat olim Proſper (a) *Ingenium Lemoſius erat*;

.... Quem Chriſti gratia cornu
Uberiore rigans, noſtro lumen dedit aevo
Accenſum vero de lumine

Haec, inquam, praecipua ſunt rationum momenta, quibus Ordinis Praed. Capitulum generale, Anno MDCXII. Romae celebratum, apud Sedem Apoſtolicam urgebat Pontificii decreti promulgationem, quo minime dubitabat, Propheticam, Evangelicam, Apoſtolicam, Eccleſiaſticam, Auguſtinianam, ac Thomiſticam de gratia vi ſua victrici doctrinam ſancitum iri. Hae porro rationes cum illis optime congruunt, quibus olim, ut vidimus, Petrus a Soto apud Concilium Tridentinum agendum exiſtimabat, ut eadem doctrina ſpeciali ac diſtincto Canone ſanciretur. Priores enim rationes ex Africanis Conciliis, ex Innocentii I. ad eadem Concilia Reſcriptis, & ex Auguſtino depromtae ſunt; quorum etiam imprimis auctoritate Sotus nitebatur. Quum vero iidem Praedicatores demonſtrandum ſuſcipiunt, neceſſariam eſſe hujuſmodi rerum nitidam definitionem, I. ut intelligamus, quam fractae fuerint per peccatum humanae naturae vires, & quam potens & efficax medicina, quam Chriſtus in ſuo

E ſan-

(a) Carm. de Ingrat. cap. 3. v. 91. &c.

ſanguine noſtris curandis vulneribus praeparavit: II. ut plurimarum inde pendentium Theologicarum ſummi momenti quaeſtionum ideam juſtam, ac genuinam notionem habeamus: III. ut *quid oremus, ſicut oportet*, minime ignoremus; neque, quum petimus, noſtras a Deo rapi, agi, & inflecti, atque in bonum converti, ac tranſmutari voluntates, noſtra ſit, uti S. Auguſtinus monet (*a*) *irriſoria petitio; quum id ab eo petitur, quod ſcitur, non ipſum dare, ſed ipſo non dante, eſſe in hominis poteſtate*: IV. ut, quod inde facile ſequitur, ac ſponte fluit, *ſciamus, quae a Deo donata ſunt nobis*; neque, quum Deo pro bono uſu liberi arbitrii gratias rependimus, *irriſoria ſit*, ut eodem loco S. Auguſtinus adjungit, *etiam illa actio gratiarum, ſi ex hoc gratiae aguntur Deo, quod non donavit ille, nec fecit*: Et tandem, ut intelligant homines, quod Apoſtolus admonet, *cum metu & tremore* ſalutem eſſe procurandam, quod *Deus* ſit, non autem ipſi per innatas liberi arbitrii vires, *qui* non pro aliquo juſtitiae debito, ſed *pro bona voluntate ſua*, & libera ſuae gratiae diſtributione, *operatur in eis velle & perficere*; Quum haec, inquam, omnia, Praedicatores demonſtrare in eo libello adgrediuntur; nonne id tandem conficiunt, quod Sotus paucioribus verbis complexus eſt, quum ait; *Gloriae Chriſti, Chriſtianae pietati, ac ſaluti Fidelium maxime convenire*, ne antiquitus tradita de Chriſti gratia doctrina novis commentis, & exoticis opinationibus obſcuretur?

Eodem ſpectant & duae poſtremae rationes, ob quas Praed. Ordo Sedis Apoſtolicae oraculum ardentiſſime efflagitabat; ne videlicet in rebus tanti momenti, & quae fidem ac religionem proxime adtingunt, eſſent in ſcholis opinionum divortia, neve laſcivientium ingeniorum licentiâ nova in dies commenta procuderentur; ſed firma & immota conſiſterent poſita ab Apoſtolis & Patribus fundamenta, quibus ſolis eſſet doctrina de Gratia ſuperſtruenda, non erraticae rationis fluxis ac nutantibus conjecturis. Cum quibus optime congruit, quod ajebat Sotus: (*b*) Si nova comminiſcentibus dogmata, & vetera in dubium vocantibus, poſt adeo illuſtres tot Romanorum Pontificum & Conciliorum definitiones, *conniveant alii Doctores, & tamquam de re diſputabili cum eis agant; neſcio, quid certi in Eccleſia*

(a) Lib. de bono perſev. cap. 2. (b) Epiſt. 1. col. v.

clesia tandem habere poterimus : & quod Virum doctum puderet, tum (*a*) *ignaviae & socordiae multorum*, quos nulla ejusmodi rerum cura & solicitudo tangebat; *tum aliorum facilitatis & libertatis in judicandis his atque docendis, ingenii potius lumine, quam Patrum autoritate*: & quod futurum ominabatur; semel revulsis, quos immotos manere oportebat, antiquae traditionis limitibus, nullis circumscriptum iri terminis effraenem ingeniorum licentiam: (*b*) *Ecce, quomodo proceditur in his, & quomodo quotidie extenditur novitas haec, unde magis offenduntur haeretici; quanto vero fructu, non video.*

His itaque rationibus Petrus a Soto permotus, & Prosperi & Hilarii, ut ait (*c*), exemplo incitatus(qui quum variis Massiliensium criminationibus & cavillis praeclarissimam, & regulae fidei maxime consonam S. Augustini doctrinam obscurari animadverterent, id aegre tulerunt, & sui muneris esse judicarunt, ipsummet S. Doctorem de excitatis ab eis difficultatibus sententiam rogare) horum, inquam, exemplo incitatus Sotus, doctissimum, atque imprimis insignem ea aetate Theologum, super exoticis quibusdam, & alienis ab Augustino opinionibus sibi consulendum existimavit; ne, ut ait (*c*), *inter tanta novorum dogmatum verba & scripta, de esse & officio & gradui* suo, *atque ita Ecclesiae, & Christo*, videretur. Qua in re quid a piissimo Viro, Duchesnii opinione, peccatum sit, prorsus non intelligo; nisi forte Molinianus Historicus scholae suae dogmata adeo sacrosancta reputet; ut religioni sibi ducere Theologus debeat, si in controversiam vocet, an illa reapse cum Romanorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum, & Augustini de Gratia oraculis ac definitionibus congruant.

Est quidem summae temeritatis, Ecclesiae, aut Sedis Apostolicae judicium praevertere; & dum illa, post rei haud segnem & perfunctoriam consultationem, rem interim in suspenso esse jubet; inhibetque, ne se invicem diffidentes Theologi alicujus censurae acerbitate lacessant, donec peremtorium judicium fuerit promulgatum; est, inquam, summae temeritatis, Apostolicis decretis immorigerum se praebere; aut, quod etiam sibi quidam nimium arroganter usurpant, eadem imperite traducere. Sed ab hac cogitatione longissime abfuit

 Sotus,

(a) Epist. 1. col. 1. (b) Epist. 2. col. 65. (c) Epist. 1. sub init.

Sotus, & perquam alieni fuere Praedicatores; quum vel ille quorumdam illius aevi Theologorum opiniones ad Concilium Tridentinum deferendas censuit; vel hi nupera Molinae dogmata ad Sedem Apostolicam detulerunt; & , datis etiam supplicibus Libellis, quam utilis videri posset ac necessaria Decreti Apostolici promulgatio, pluribus demonstrandum susceperunt: adhuc enim quieti ac modesti expetitam communibus eorum votis definitionem praestolantur; & eorum audaciam damnant, qui interjectas moras secus accipiunt, ac perperam interpretantur. Porro debitum Sedi Apostolicae obsequium ille minime laedit, qui rationes, quibus movetur, ei excutiendas ac dijudicandas proponit; sed ille, qui aut futurum ejus judicium praevertit; aut latum suscipere detrectat; aut ejus auctoritatem elevare ratiunculis & cavillis contendit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De quorumdam Theologorum opinionibus de Gratia, quae Sotum solicitum habebant, & de quibus sibi Ruardum consulendum existimavit.

I *Soti cum Baio & Jansenio injusta comparatio.*
II *Quae Sotus in quibusdam sui aevi Theologis aegre tulerit.*
III *De primo ipsorum dogmate; quod gratia Dei omnibus aequaliter adsit.*
IV *De altera eorum opinione; quod rectus usus gratiae sit ex vi & natura liberi arbitrii.*
V *De tertia eorumdem propositione; quod discretio variorum hominum in Ecclesia sit ex vario per liberum arbitrium divinorum munerum usu.*
VI *De injuriis, quas S. Augustino, ejusque doctrinae iidem Theologi inferebant.*
VII *De praedestinatione, quam operum praesensionem antecedere inficiabantur.*
VIII *De propositis quaestionibus iidem omnino Soti, atque Eminentissimi Bellarmini, sensus.*

I Im-

I IMprudentiae, inanisque metus Theologum nostrum rerum Baianarum Historicus arguit; quod (*a*) veritus sit, ne quidam illius aevi Theologi, dum in Haereticos impetum faciebant; S. Augustini, Patrum, ac Summorum Pontificum, qui Christianae Religionis saeculo quinto floruerunt, de Gratia & libero arbitrio doctrinam per latus invaderent; ac Pelagiani erroris reliquias ab inferis revocarent. Qua in re Sotum cum Baio & Jansenio componit, atque hoc uno distare adfirmat; quod Baius & Jansenius Soto audaciores; quod hic solum verebatur, illi Ecclesiae Catholicae reapse accidisse, obfirmate adseruerunt: atque hoc jecisse, ait, systematis sui fundamentum. quod utique propterea additum est, ut Sotus Baiani & Janseniani systematis primum quoque, ut ajunt, posuisse lapidem, existimetur.

II Sed quantum Dominicani Theologi metus ac suspiciones a temerariis Baii & Jansenii judiciis adsertionibusque differrent, ut Lector perspectum habeat; constituenda illi ob oculos sunt praecipua de gratia & libero arbitrio doctrinae capita; quae Soto, ut in ejus Epistolae Analysi observavimus, in quibusdam Theologis neutiquam dissimulanda videbantur: & quae tamen illi pro totidem Catholicae fidei articulis venditabant.

Primo itaque statuebant; (*b*) Deum, qui *est omnium Pater*, omnium *aequaliter* velle salutem; & ex hac generali Dei voluntate communem quamdam, & natura sua versatilem gratiam in omnes omnino homines derivabant.

Secundo, ejusmodi communem omnibus gratiam libero esse arbitrio subjectam; ut *post eam datam liberum omnibus maneat; per ipsam liberi arbitrii vim & naturam illa vel uti, vel certe eam respuere.*

Tertio, *nullum discrimen in Ecclesia Dei aliquorum futurum, nisi ex hac liberi arbitrii differentia, quia alii non utuntur, alii minus hac divina gratia; Deo, quantum in se est, omnes* AEQUALITER *& volente sanctos esse, & sanctificante.*

Quar-

(a) Le Dominicain craignoit que les Docteurs de son temps ne donnassent atteinte a la doctrine de Saint Augustin, des Peres & des souverains Pontifes du cinquieme siecle, sur la grace & sur le libre arbitre, & ne resuscitassent par là le Semi-Pelagianisme. Baius & Jansenius plus hardis ont assuré que ce que Soto craignoit, étoit réellement arrivé dans l'eglise; & ont bâti leur sistême sur cette supposition. pag. 8.

(b) Epist. 1. col. 3.

Sotus, & perquam alieni fuere Praedicatores; quum vel ille quorumdam illius aevi Theologorum opiniones ad Concilium Tridentinum deferendas censuit; vel hi nupera Molinae dogmata ad Sedem Apostolicam detulerunt; & , datis etiam supplicibus Libellis, quam utilis videri posset ac necessaria Decreti Apostolici promulgatio, pluribus demonstrandum susceperunt : adhuc enim quieti ac modesti expetitam communibus eorum votis definitionem praestolantur; & eorum audaciam damnant, qui interjectas moras secus accipiunt, ac perperam interpretantur. Porro debitum Sedi Apostolicae obsequium ille minime laedit, qui rationes, quibus movetur, ei excutiendas ac dijudicandas proponit; sed ille, qui aut futurum ejus judicium praevertit; aut latum suscipere detrectat; aut ejus auctoritatem elevare ratiunculis & cavillis contendit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De quorumdam Theologorum opinionibus de Gratia, quae Sotum solicitum habebant, & de quibus sibi Ruardum consulendum existimavit.

I *Soti cum Baio & Jansenio injusta comparatio.*
II *Quae Sotus in quibusdam sui aevi Theologis aegre tulerit.*
III *De primo ipsorum dogmate; quod gratia Dei omnibus aequaliter adsit.*
IV *De altera eorum opinione; quod rectus usus gratiae sit ex vi & natura liberi arbitrii.*
V *De tertia eorumdem propositione; quod discretio variorum hominum in Ecclesia sit ex vario per liberum arbitrium divinorum munerum usu.*
VI *De injuriis, quas S. Augustino, ejusque doctrinae iidem Theologi inferebant.*
VII *De praedestinatione, quam operum praesensionem antecedere inficiabantur.*
VIII *De propositis quaestionibus iidem omnino Soti, atque Eminentissimi Bellarmini, sensus.*

I Im-

I IMprudentiae, inanisque metus Theologum nostrum rerum Baianarum Historicus arguit; quod (*a*) veritus sit, ne quidam illius aevi Theologi, dum in Haereticos impetum faciebant; S. Augustini, Patrum, ac Summorum Pontificum, qui Christianae Religionis saeculo quinto floruerunt, de Gratia & libero arbitrio doctrinam per latus invaderent; ac Pelagiani erroris reliquias ab inferis revocarent. Qua in re Sotum cum Baio & Jansenio componit, atque hoc uno distare adfirmat; quod Baius & Jansenius Soto audaciores; quod hic solum verebatur, illi Ecclesiae Catholicae reapse accidisse, obfirmate adseruerunt: atque hoc jecisse, ait, systematis sui fundamentum. quod utique propterea additum est, ut Sotus Baiani & Jansenìani systematis primum quoque, ut ajunt, posuisse lapidem, existimetur.

II Sed quantum Dominicani Theologi metus ac suspiciones a temerariis Baii & Jansenii judiciis adsertionibusque differrent, ut Lector perspectum habeat; constituenda illi ob oculos sunt praecipua de gratia & libero arbitrio doctrinae capita; quae Soto, ut in ejus Epistolae Analysi observavimus, in quibusdam Theologis neutiquam dissimulanda videbantur· & quae tamen illi pro totidem Catholicae fidei articulis venditabant.

Primo itaque statuebant; (*b*) Deum, qui *est omnium Pater*, omnium *aequaliter* velle salutem; & ex hac generali Dei voluntate communem quamdam, & natura sua versatilem gratiam in omnes omnino homines derivabant.

Secundo, ejusmodi communem omnibus gratiam libero esse arbitrio subjectam; ut *post eam datam liberum omnibus maneat; per ipsam liberi arbitrii vim & naturam illa vel uti, vel certe eam respuere.*

Tertio, *nullum discrimen in Ecclesia Dei aliquorum futurum, nisi ex hac liberi arbitrii differentia, quia alii non utuntur, alii minus hac divina gratia; Deo, quantum in se est, omnes* AEQUALITER *& volente sanctos esse, & sanctificante.*

Quar-

(a) Le Dominicain craignoit que les Docteurs de son temps ne donnassent atteinte a la doctrine de Saint Augustin, des Peres & des souverains Pontifes du cinquieme siecle, sur la grace & sur le libre arbitre, & ne resuscitassent par là le Semi-Pelagianisme. Baius & Jansenius plus hardis ont assuré que ce que Soto craignoit, étoit réellement arrivé dans l'eglise; & ont bâti leur sistême sur cette supposition. pag. 8.

(b) Epist. 1. col. 3.

Quarto (*a*), *Augustini sententiam de aeterna illa salvandorum a damnandis discretione, illis quidem sola gratia vocatis, istis justitia derelictis, pugnare cum divina misericordia, magnamque illi irrogare contumeliam.*

Quinto, *de praescientia boni usus illius gratiae, vel abusus & negligentiae, aliis Deum parasse praemium, aliis poenam.*

Non illud in praesentia quaerimus, an Semipelagiana reapse haec dogmata sint; & an pro Semipelagianis habendi, qui ea doceant. Nobis enim constitutum est, Apostolicis decretis debitum praestare obsequium, & obedientiam. Illud igitur quaerimus; An omni ratione caruerit metus, qui Soti animum pervasit; ne qui ejusmodi dogmata propugnabant, veterem de Christi gratia doctrinam labefactarent, & Semipelagianorum systema, jamdudum & Summorum Pontificum sanctionibus, & Conciliorum decretis, & Patrum scriptis prostratum & eversum erigerent, atque instaurarent. Id autem haud immerito Dominicanum Theologum timuisse; haud aegre fatebitur, qui ad singula, quae recensita sunt, dogmata paullulum animum adtenderit. Porro non adeo meam de illis sententiam proferam, quam jamdudum ab Emo Bellarmino de singulis pronunciatam: quare Historici potius partes agam aliorum sensus referentis; quam Theologi, qui suum de iis judicium interponat.

III Sed circa priorem Propositionem observandum est; illam non eo a Soto erroris damnari, quod gratiam utcumque statuat omnibus esse hominibus communem; sed quod ex generali Dei voluntate, qua omnes, *quantum in se est*, velit *aequaliter* salvos; communem quamdam, uti dictum est, & natura sua versatilem gratiam in omnes homines derivet; ut nulla sit admittenda ex parte Dei circa Electos specialis gratia, qua primitus Deus *secundum propositum* suum, ut post Apostolum loquitur Augustinus, illos discernat a Reprobis. Hanc fuisse Soti mentem, ex eo perspicue apparet, quod sententiam, quae supernaturalem gratiam omnibus omnino adultis hominibus impertitur, (*b*) cum Ruardo *piam & probabilem* vocet; quod de illa contendere ac disceptare, cum eodem Ruardo noluerit; quod paratus esset, ad aliorum potius de illa sensum & att-

(a) Ibid. col. 4. (b) Epist. 2. col. 44.

auctoritatem amplectendam, quam ut proprio vellet judicio pertinacius adhaerere: *De altera pia & probabili sententia, quam vocas, non est, quod tecum disputem. Dentur omnibus, quas placuerit dicere, inspirationes, & sanctae cogitationes.... libentissime sensui alieno & auctoritati volumus credere magis, quam nostro.* Quod autem in ea Propositione dignum Soto animaduersione videbatur; *Deum scilicet per aequalem gratiam omnibus adesse*, nec speciali & *secundum propositum* vocatione Electos a Reprobis discriminare; etiam laudatus Bellarminus gravi censura percellit, id inter Pelagianorum errores recensens (*a*). Contrariam vero propositionem; quod *auxilium gratiae Dei non aequaliter omnibus adsit*; *in divinis literis ita luculenter haberi*, docet, *ut mirum*, inquit, *videri possit, ab ullo unquam fuisse negatam*. Quod iisdem fere sacrarum literarum testimoniis demonstrat, quibus ad idem probandum & Sotus usus est (*b*): velut illo Sap. IV. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus &c.* & illis Christi Domini Matth. XI. *Si in Tyro & Sidone haec facta fuissent, in cinere & cilicio poenitentiam egissent*: & cap. XV. *Vobis datum est, nosse mysterium Regni Dei, ceteris autem non est datum*: & illis Apostoli ad Rom. IX. *Cujus vult, miseretur; & quem vult, indurat*: & cap. XII. *Unicuique Deus divisit mensuram fidei*: & II. ad Thess. III. *Non omnium est fides*: & ad Philip. II. *Vobis donatum est, ut in illum credatis.*

„ Denique, *subjungit idem doctissimus Cardinalis*, ut innume-
„ rabilia praetermittam; si gratia aequaliter omnibus adest; quomo-
„ do Deus *in praeteritis generationibus permisit, omnes ingredi vias*
„ *suas*; *nunc autem annunciat, ut poenitentiam agant*, ut legimus
„ Act. XIV. & XVII.? Cur Paulus illo ipso tempore, quo spirabat
„ minas & caedes in Discipulos Domini, divino miraculo, Christo
„ ipso eum vocante, convertitur; quum tam multos minus fortasse
„ malos, in delictis suis Deus jacere permittat? Cur ex parvulis
„ morientibus, interdum filius optimi Viri sine baptismo decedit,
„ & perit: filius adulteri, vel incestuosi baptismo abluitur, &
„ regno potitur aeterno? Cur demum inscrutabilia esse, dicit Apo-
„ stolus, judicia Dei, & investigabiles vias ejus in electione & re-

„ pro-

(a) Lib. 2. de Grat. & lib. Arbitr. cap. 2. (b) Vid. Epist. 1. col. 3. & Epist. 2. col. 44.

„ probatione mortalium, si gratia aequaliter omnibus adest, & ex „ arbitrio hominum pendet, ut eam capiant, vel abjiciant? Vide „ S. Augustinum in lib. de Praed. SS. & Prosperum in lib. cont. Collatorem, Petrum Diaconum in lib. de Incarnat. & grat. Christi, „ Fulgentium in lib. ejusdem argumenti, Johannem Maxentium in „ Professione fidei, & totum Arausicanum Concilium, ubi diligen„ tissime totus hic PELAGIANORUM ERROR evertitur. Non itaque Bellarmini judicio Sotus excessit, quum opinionem, aequalem omnibus hominibus gratiam ingerentem, veluti Semipelagianam traduxit; eamque a B. Augustino *tamquam apertissimum errorem innumeris* adseruit (a) *sacrae Scripturae auctoritatibus confutari*. Nihil enim statuit, quod non superioribus verbis laudatus Bellarminus disertissime confirmaverit.

IV Ex ea opinione, sive, ut Bellarminus loquitur, eo *Pelagianorum errore*, de gratia in omnes aequaliter descendente, alia manabat opinio, quam secundo loco Sotus commemorat; quod *post eam* gratiam *datam, omnibus liberum maneat, per ipsam liberi arbitrii vim & naturam; illa vel uti, vel certe eam respuere*. Utramque S. Prosper opinionem simul conjunxit in Carmine *de Ingratis*, & hanc secundam ex illa priore derivavit; utramque Semipelagianis adtribuit; utramque iisdem fere argumentis, quibus postea Sotus, rejecit, & confutavit: (b)

Gratia, qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi,
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Praeteriens, studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.

En priorem opinionem de gratia omnibus sine delectu & aequaliter atque indifferenter ingesta, ex qua posterior opinio nectitur ac dependet, de gratiae recto perinde ac perverso usu per vim & naturam liberi arbitrii, de qua statim subjungitur:

Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque suo mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quae se non subtrahat ulli.

Se-

(a) Epist. 1. col. 3. (b) Cap. 10. & seqq.

Sequitur deinde utriusque opinionis confutatio ; & priorem quidem sequentibus verbis adgreditur :

Jam quia summatim , ut potuit , sententia vestra
Decursa est : dic , unde probes , quod gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis , qui generantur
Praetereat , cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit &c.

Et infra :

Sed tamen haec aliqua si vis ratione tueri ,
Et credi tam stulta cupis : jam pande quid hoc sit ,
Quod bonus , omnipotensque Deus non omnia subdit
Corda sibi ; pariterque omnes jubet esse Fideles ?
Nam si nemo usquam est , quem non velit esse redemtum ,
Haud dubie impletur quidquid vult summa potestas .
Non omnes autem salvantur , magnaque pars est ,
Quae sedet in tenebris mortis , nec vivificatur .

Quos proinde salvari non vult Deus efficacissima illa & omnipotentissima voluntate,qua vult Electorum salutem: proindeque etsi omnes *antecedente* , ut ajunt , voluntate salvari velit ; falsum tamen est , quod omnium aequaliter velit salutem , & per auxilium gratiae omnibus aequaliter adsit .

Alteram deinde S. Prosper ex priore illa defluentem opinionem insectatur , quod ex vi & natura liberi arbitrii sit , quod una eademque gratia in alio conversionem operetur , in alio effectu suo & operatione frustretur :

An varii motus animorum talia gignunt ,
Libertasque facit caussam non omnibus unam ?
Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas ,
Aut etiam invalida est , operis cui finis in illo est .

Hac S. Prosperi auctoritate eo libentius usus sum , quod paucis unam & alteram ex praecipuis rationibus complectatur,quibus Sotus ejusmodi opinionem evertit : *Movet me* , inquit (*a*) *non parum , quod putantes se ipsi a Pelagianis discedere , minus tribuunt gratiae, quam illi . Nam illi nobis initium quoddam imperfectum quidem tribuerunt: isti*

(a) Epist. 1. col.4.

ipsi vero Deo initium, nobis consummationem tribuunt. Quid enim aliud est dicere, Deum AEQUALITER *omnes sua gratia tangere.... ceterum arbitrio suo se facere aliquem majori gratia dignum?* Quod S. Prosper optime intellexit, quum ex eo Semipelagianorum dogmate consequens esse vidit, in hominis positum esse libero arbitrio boni operis *finem*, seu *consummationem*.

. . . . *Operis cui finis in illo est.*

Nec minus efficax est, & haud secus etiam veterum Patrum, ac praesertim Augustini, & Prosperi auctoritate nititur altera ratio, qua Sotus eamdem opinionem eodem loco refellit: *Illi*, inquit, *adsertioni de discretione per liberum arbitrium, non video, quomodo non contradicat Paulus, cum inquit:* „ Quis enim discernit te: quid „ enim habes, quod non accepisti? „ si enim Deus per aequalem gratiam omnibus adest, & ex liberi arbitrii vi & natura est, quod sub eadem gratia alius scelerum sordes deponat, alius in eodem haesitet luto; plane sequitur, non in Deum, sed in liberum arbitrium revocandam esse unius ab altero discretionem: & prorsus fatendum est, quod Semipelagianis objicit S. Prosper;

Quod varii motus animorum talia gignunt,
Libertasque facit caussam non omnibus unam.

Id tamen ex eorum Theologorum systemate, quos heic Sotus adgreditur, consequens esse, Duchesnius inficiatur: [a] *Ejusmodi consecutiones ex duobus illis principiis haud necessario proficiscuntur, vel haeretico sensu inde neutiquam derivantur; sed eae tamen*, inquit „ faisoient ombrage au Theologien Allemand.

Verum non modo *Theologum Allemanum*, sed ipsum quoque Bellarminum ejusmodi consecutiones solicitum habuerunt (b), qui Theologos existimantes, *in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quae alioquin ex se non esset nisi sufficiens*; quae ipsissima est, quam Sotus impugnabat, opinio; tum pluribus S. Augustini testimoniis refellit, tum illo potissimum ex Apostolo: *Quis enim te discernit &c.* „ Nam si vera, *inquit*, esset opinio „ istorum; fidelem ab infideli plane discerneret liberum arbitrium.

„ Nam

(a) Ces Deux consequences ne sortent pas necessairement des Deux principes, ou n'en sortent pas dans un sens Heterodoxé pag. 9.

(b) *Lib.* 1. de grat. & lib. arb. cap. 12.

„ Nam si duo sint, qui eumdem Concionatorem audiant, & eam-
„ dem interius inspirationem habeant; & unus credat, alius non
„ credat: nonne dicere poterit is, qui credidit, se discerni ab in-
„ fideli per liberum arbitrium, quia ipse inspirationem acceperit,
„ quam alter rejecit? Nonne gloriari poterit contra infidelem,
„ quod ipse Dei gratiae cooperatus sit, quam ille contemsit? Et
„ tamen Apostolus hoc omnino prohibet; & ideo non solum posse
„ credere, sed etiam ipsum credere, dicit esse donum Dei, Phi-
„ lip.1. & Deum in nobis operari, non solum ut possimus velle,
„ sed etiam ut velimus, Philip.2.

Altera consecutio, quam ex iisdem principiis Sotus elicit, & quam inde necessario pendere, Duchesnius inficiatur, ea est; quod iis positis, omnino concidat oportet Augustiniana de Praedestinatione sententia. Id, inquam, inde consequens esse, adversus Dilinganum Theologum Gallus Historicus negat; agnoscit tamen cum Soto, atque invicte demonstrat sequentibus verbis idem doctissimus Cardinalis: *(a)* „ Denique haec opinio evertit omnino fundamen-
„ tum Praedestinationis divinae, quam S. Augustinus ex divinis
„ literis solidissime comprobavit: inde enim pendet certitudo atque
„ infallibilitas praedestinationis, quod Electis Deus efficacem gra-
„ tiam praeparavit: *Quos enim praedestinavit, hos vocavit*, voca-
„ tione illa, ut Augustinus monet in lib. de Corrept. & grat. cap.7.
„ *secundum propositum*, de qua dictum est: *Omnia cooperantur in*
„ *bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti*: quos au-
„ tem vocavit secundum propositum, hos justificavit, justificatione
„ videlicet secundum propositum, quae adjunctam habet perseve-
„ rantiam usque in finem: quos vero ita justificavit, hos magnifi-
„ cavit. Quod si vocatio efficax non penderet a proposito Dei, sed
„ ab humana voluntate, nullus locus praedestinationi relinqueretur,
„ sed tantum praescientiae: neque Apostolus dixisset: *Ut secundum*
„ *electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vo-*
„ *cante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est*
„ *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*.

Denique id adeò cum superioribus illis principiis coniunctum est,

(a) Ibid.

est, & individuo nexu cohaerens, ut id ultro novi illi Theologi faterentur, *coacti videlicet*, inquit Sotus (*a*) *duarum illarum sententiarum consequentia, & rationis, ac ingenii sui efficacia*: unde colligere est, quid de nuperi Historici ingenio statuisset, qui ejusmodi principiis, atque opinionibus semel admissis, gratuitae praedestinationis dogma ab imis fundamentis eversum iri negavit.

V Tertia opinio (quae etiam ex duabus superioribus sponte fluit) *nullum statuebat discrimen in Ecclesia Dei aliquorum futurum, nisi ex liberi arbitrii differentia: quia alii non utuntur, alii verò minus hac divina gratia; Deo, quantum in se est, omnes aequaliter & volente sanctos esse, & santificante*. Itaque non in aliquod, aut speciale propositum divinae voluntatis, aut vocationem *secundum propositum*, aut specialem, & efficacem gratiam referendum illi Theologi existimabant discrimen Praedestinatorum, ac Reproborum; eorum, qui convertuntur, & qui in infidelitate, vel peccatis obfirmantur; eorum, qui in accepta Justitia ad exitum usque perseverant, & qui ab ea resiliunt: Sed illud tantum petendum esse ex vario usu liberi arbitrii, quod nempe suamet vi, ac suopte nutu Deum trahentem, vel sequitur, vel ei pertinaciter obluctatur; coelestem vocationem vel pronis, arrectisque auribus audit, vel eam negligit, & contemnit; oblata gratia vel utitur, eamque efficacem reddit; vel non utitur, ac propterea voluntate, & electione sua efficit, ut mere sufficiens sit, & inefficax.

Hanc vero ipsorum Doctrinam inter Semipelagiorum opiniones post D. ProsperumCl. refert Petavius: Semipelagiani enim, ut est apud mox laudatumTheologum (*b*) „ nullam peculiarem electionis esse divinae gratiam putabant, quam tantummodo certis hominibus indulgeret Deus. Verum quidquid praedestinatis ab illo donatum fuerit, id posse & amittere ipsos, & retinere propria voluntate. Quod de perseverantiae dono similiter adfirmabant. Hoc enim in potestate esse cujusque, ut si velit, perseveret, nec tale istud esse, quale constituebat Augustinus lib. deCorrept., & grat. cap. XI., & XII. non solum ut sine illo dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum nonnisi perseverantes

(a) Epist. 1. col. 4.   (b) Lib. Hae resi Pelag., & Semipelag. cap. 7. §. 4.

„ tes ſint, hoc eſt, ut certo perſeveraturi ſint; neque non perſe-
„ veraturi ſint. Ita Hilarius in Epiſtola ad Auguſtinum. Proſper
„ in lib. de Ingratis.

Eſſe autem edoctis iſtam communiter aequam
Libertatem animis, ut curſum explere beatum
Perſiſtendo queant finem, effectumque petitum
Dante Deo, ingeniis qui nunquam deſit honeſtis
Sed quia non idem eſt cunctis vigor, & variarum
Illecebris rerum trahitur diſperſa voluntas;
Sponte aliquos vitiis ſuccumbere, qui potuiſſent
A lapſu ſervare pedem, ſtabileſque manere.

De hac igitur veteri (ut illam Petavius vocat) Semipelagianorum opinione, quam novi illi Theologi inſtaurabant, poſtquam Sotus ait, eam a B. Auguſtino velut apertiſſimum errorem validiſſimis Scripturae Sacrae auctoritatibus confutari, haec ſubiungit: (a) *Nam rationi illi, quam de duobus parvulis in lib. de Bono perſeverantiae, & quam de Jacob, & Eſau, de quibus ad Simplicianum; exemplo etiam, quod de Chriſto adfert eodem de Bono perſeverantiae libro, & multis aliis locis; neſcio, quomodo reſponderi poſſit, niſi fateamur, paribus exiſtentibus meritis, & cauſis, electioni gratiae tribuendam eſſe ſalutem hominum.*

Conſona his omnino ſunt, quae ſuperius ex Bellarmino retulimus; quod juxta Sacrarum Scripturarum teſtimonia, & luculentiſſima Auguſtinianae Doctrinae principia, admittendum omnino ſit ſpeciale Divinae Voluntatis de Electorum ſalute propoſitum, ac ſpecialis eorum delectus. Nunc aliqua ex eodem Eminentiſſimo Scriptore ſubjiciam, quibus eamdem opinionem refellit, quatenus in ipſa gratia, quae datur Electis, ut ad finem uſque in Juſtitia ſtabiles perſeverent; & quae datur Reprobis, ut poſſint perſeverare; nullum diſcrimen agnoſcit, quod non ex humanae voluntatis uſu pendeat: ideoque nullam inter gratiam, qua poſſumus bonum operari, & illam, qua reapſe operamur, differentiam ſtatuit intercedere, quàm quae ex eventu deſumitur; quod nempe illa ſua operatione fruſtretur, haec verò ſuum effectum adſequatur, quia voluntas hu-

. ma-

(a) Epiſt. 1. col. 3.

mana sua innata virtute cooperatur. De hac igitur opinione ita laudatus Cardinalis citato loco pronunciat: „ Haec opinio aliena est
„ omnino a Sententia B. Augustini, & quantum ego existimo, a Sen-
„ tentia etiam Scripturarum Divinarum. Nam S. Augustinus libr.
„ de Praedestin. SS. cap. 8. dicit; Gratiam, efficacem videlicet a
„ nullo duro corde respui, quia ipsa cor emollit; ubi vides, effi-
„ caciam tribui gratiae, non voluntati humanae: & lib. de Spiritu,
„ & lit, cap. 34. quaerens; cur Deus uni ita suadeat, ut persuadeat;
„ alteri non ita, non respondet; quia unus consentit, alter non con-
„ sentit; sed exclamat: *O altitudo divitiarum!* Itaque refert in
„ arcanum divinae voluntatis, cur uni detur gratia efficax, alteri non
„ detur. Et in Epist. 107. ad Vitalem reprehendit eos, qui dicunt
„ omnes fuisse accepturos gratiam Dei (*scilicet efficacem*) si non illi,
„ quibus non datur, eam sua voluntate respuerent... Non igitur
„ vult S. Augustinus, gratiam efficacem pendere ab humana volun-
„ tate, sed a Divina. Denique tam est hoc in Operibus S. Augusti-
„ ni frequens, & obvium, ut supervacaneum sit id pluribus confirmare. Praeterquamquod enim S. Doctor in omnibus fermè suis adversus Pelagianos libris, & Epistolis hanc doctrinam frequentissime inculcat; ad eam unice stabiliendam, & ab Adversantium obiectis, & criminationibus vindicandam incumbere videtur integris libris de Gratia Christi, de Gratia, & libero arbitrio, de correptione, & Gratia, de Praedestinatione SS., & de dono Perseverantiae.

„ Quod attinet ad Scripturas Sacras, verba illa Domini Jo. VI,
„ *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*, satis perspi-
„ cue docent, in quo sita sit efficacitas gratiae; illi enim infallibili-
„ ter veniunt ad fidem Christi, sive per fidem ad Christum, qui
„ Patrem coelestem habent Doctorem, itaut infallibilitas effectus
„ non habeat pro causa studium Discipuli, sed excellentiam Magi-
„ stri: allegat enim ibidem Dominus Prophetiam Isaiae cap. 54. *Est*
„ *scriptum*, inquit, *in Prophetis, erunt omnes docibiles Dei*, vel ut
„ clarius habetur in Textu Graeco διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, *docti a Deo*,
„ juxta illud Psalmi 93. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine*.
„ Vide Augustinum tractantem hunc locum libro de Praedest. SS.
cap. 8.

(a) Libr. 1. de grat. & lib. arb. cap. 12.

cap. 8. Et postquam quae superius adlata sunt Sacrae Scripturae loca enucleavit, id optime animadvertit; „ quod esset abuti vocabu-„ lis, vocare gratiam efficacem, eamque a sufficiente distinguere, „ si nulla omnino in ipsa gratia distinctio esset, & totum discrimen ab „ humana voluntate penderet. Atqui *admittendam esse gratiam efficacem, quae certo, & infallibiliter dat velle, & operari, certam esse, ac indubitatam Fidei doctrinam*; celebris quidam Theologus docet Molinianis minime invisus (*a*) *Quia* inquit, *ea doctrina certa est de fide, quam & Scriptura, & universa Ecclesiae traditio confirmat: atqui talis est doctrina, quae statuit, admittendam esse gratiam efficacem, seu operis, & actionis, quae certe dat velle, ac perficere*: Igitur indubitatum de gratia Christi Fidei Catholicae dogma; Theologi, quos Sotus adgressus est, tueri alia ratione non poterant quàm rerum, ac nominum ideas, atque notiones labefactando; sive, uti Bellarminus observat, in alienum sensum consecrata Scholarum, & Ecclesiae usu vocabula detorquendo.

Adeo vero suspecta fuit ejusmodi doctrina laudato Cardinali, atque invisa, ut Claudio Aquavivae Societatis Praeposito Generali auctor fuerit ad celebre illud Decretum edendum, perque universam Societatem promulgandum, quo potissimum istud Molinianae Doctrinae caput, in speciem saltem ad declinandam invidiam, & verbo tenus rejiciebatur. Ita enim statutum est: *Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quae effectum re ipsa habet, atque efficax dicitur, & eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso actu primo, quod, posita scientia conditionalium, ex efficaci Dei proposito, atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit; atque eo modo, & tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura; aliis usurus, si haec inefficacia praevidisset. Quare semper moraliter, & in ratione beneficii, plus aliquid in efficaci, quam in sufficiente gratia, & in actu primo contineri: atque hac ratione efficere Deum, ut re ipsa faciamus, non tantum quia dat gratiam, qua facere possimus. Quod idem dicendum est*

(*a*) Tournely de gratia Christi Quaest. 9. art. 1.

est de perseverantia, quae procul dubio donum Dei est. Quam porro ejusmodi Decretum fortunam expertum sit, & ab aliis deinceps Praepositis Generalibus quam varie vexatum, aut expositum, & confirmatum, aliaque huc pertinentia; videat Lector Historiae Congregationum *de Auxiliis* libro 4. cap. 31. Ita praecipuum, ut jam dixi, Molinianae Doctrinae caput, specie saltem, ac verbo tenus, Societas abjecit, ac proindè tum victoriam Praedicatoribus adjudicavit, qui potissimum ob ejusmodi dogma litem Molinae intentaverant, ejusque *de Concordia* librum ad Pontificem detulerant; tum etiam latum jampridem a Soto nostro de eadem opinione judicium comprobavit.

VI. Quarto loco solicitum habebatSotum illa quorumdamTheologorum opinio, quod *Augustini* de gratuita Praedestinatione, & ob solum peccatum originis, Reprobatione, ut ajunt, *negativa*, sive a coelesti Regno exclusione *pugnaret cum Divina Misericordia, magnamque illi irrogaret contumeliam*. Ejusmodi enim de Augustiniano hoc dogmate censorium judicium e Semipelagianorum fonte descendere, adeo explorata res erat, ut merito Vir Sapientissimus vereretur, ne si nuperi quidam Scriptores adeo contumeliose Augustinum, ejusque doctrinam traducere sinerentur, aliis deinceps ad graviora tentanda animus adderetur: quem ejus timorem haud inanem fuisse, postea demonstravit eventus. De Massiliensium adversus Augustini de Praedestinatione, ac Reprobatione sententiam criminationibus haec habet S. Prosper celebri illa sua ad eumdem Augustinum Epistola, praefixa libro de Praedestinatione SS. *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante Mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliae sint creati; & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis adferre: eo quod in utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit, accidere: & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, quum si aliud habeat Praedestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praeveniat vo-*

voluntates, & sub hoc Praedestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem, aut diversarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quam factus est. Et infra, in eo *Justitiam Dei* positam esse dicebant, *ut qui non crediderint, pereant: Bonitas in eo appareat, si neminem repellat a vita, sed* INDIFFERENTER *universos velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Quae ipsissima sunt argumenta, quibus Catharinus, aliique apud Sotum paullo antiquiores Theologi, ac deinceps Lessius, Molina, & alii gratuitae Praedestinationis systema evertere moliti sunt: proindeque ex Massiliensium officina arma illi mutuati sunt, quibus in Augustinum impetum facerent. Porro in superioribus verbis animadvertere est, Soto quidem observatam, sed Duchesnio minime intellectam horumce dogmatum connexionem, & consecutionum sibi mutuo coherentium, & unius ex altera germinantis derivationem. Ex quo enim Deus *indifferenter* dicitur, omnes velle homines salvos fieri, & nullum in ipso admittitur de salute Electorum speciale propositum, seu voluntas; plane sequitur, ut gratia quoque sua omnes *indifferenter* vocet, & nulla sit *secundum propositum*, ac specialis Dei miserentis vocatio; indeque fit, ut variorum hominum in Ecclesia varia, & diversa sors ex vario divinorum munerum per vim, & naturam liberi arbitrii usu repetenda sit, prout nimirum alii solertius, alii segnius, ac remissius coelestibus bonis utuntur. Hinc autem illae in Augustinum criminationes, & ejus dogmatis odium, & aversatio: & quod jam proxime sequitur, & Sotum maxime offendit, alia ab ea, quam S. Doctor luculentissime docuit, ac validissimè propugnavit, de Praedestinatione, ac Reprobatione sententia, de qua jam nobis paucis differendum est.

VII. *Deinde*, inquit Sotus, *adfirmant, de praescientia boni usus illius gratiae, vel abusus, & negligentiae, aliis Deum parasse praemium, aliis poenam.* Crimini Theologo nostro Duchesnius vertit, (*a*) quod hanc de Praedestinatione sententiam (*b*) *veritati, Scripturae, & Ecclesiae contrariam* putaverit; ea tamen animi moderatione, & modestia, ut ex Ruardo audire cuperet, an falleretur. At

 Ruar-

(*a*) Que la Predestination a la gloire subsequente aux merites surnaturels prévûs étoit une opinion aussi recuë dans l'Ecole que l'antecedente. En quoi il n'y a rien d'heterodoxe. *In not. subject. pag.* 9.

(*b*) Epist. 1. col. 5.

Ruardo ipsi non minus succensere debuit, qui super hocce articulo Soto respondens, illum absque ulla haesitatione Pelagianum vocavit, atque uti etiam Sotus adnotaverat, ex Pelagiano, & haeretico profluxisse principio animadvertit: (a) *Qui initium salutis gratiae tribuunt, & nobis consummationem, vere sunt Pelagiani, & Haeretici*: Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere: *& ex sensu eorum haeretico proficiscitur eorum sententia alia Pelagiana, de Praedestinatione, & Reprobatione, quod ex praescientia boni usus gratiae, quam omnibus volunt offerri* AEQUALEM, *vel abusus, & negligentiae, aliis praeparat Deus praemium, aliis aeternum supplicium. Nec ego Pighium sine horrore legere potui in his locis, quae citas ex libro ejus octavo*. Quid ergo Dominicanum Theologum culpat Societatis Scriptor, quod veritus sit, *an veritati, scripturae, & Ecclesiae* consona ea esset opinio, quam Tapperus, quem veluti Lessiani, & Moliniani systematis praeformatorem veneratur, *Pelagianam* dicit, & ex Pelagiano, & *haeretico* principio derivatam?

Verum Soti nostri quaestionibus cumulatissime postea satisfecit Eminentissimus Bellarminus. (b) Tria, ut jam observavimus, ex Tappero Sotus quaesierat; primo an illa de Praedestinatione sententia *falsa* esset; secundo, *an contraria Scripturae*; tertio, *an etiam Fidei, & apertae Ecclesiae diffinitioni*. His autem tribus quaestionibus totidem Capitibus ita Bellarminus respondit, ut eum potius Sotus, quam Tapperum, consuluisse, videri possit. Tota in hunc locum ea doctissimi Cardinalis disputatio transferenda esset; sed paucis contentus ero; quae tamen Dominicani Theologi de iis quaestionibus sensum, & judicium, non solum ab omni temeritatis nota vindicabunt, sed justum ac moderatum fuisse, demonstrabunt.

Veram esse S. Augustini de gratuita Praedestinatione sententiam adeoque falsam, quam in Scholas, & in Ecclesiam quidam Soti aevo Theologi invehere moliebantur, variis rationibus probat laudatus Eminentissimus Scriptor „ non ex sola, *inquit*, speculatione nostra, „ sed ex ipsis sacrarum literarum, & traditionis Ecclesiasticae fontibus „ derivatis. Prima ratio; sine fide nemo salvari potest: *Qui enim*
„ *non*

(a) Epist. ad Sotum vers. fin:
(b) Lib. 2. de Grat., & lib. Arbit. cap. 11., & seqq.

„ *non crediderit, condemnabitur* Marc. ult. Fides autem donum Dei „ est, quod non omnibus datur, sed iis tantum, quibus eam Deus „ donare voluerit: *Vobis enim* (inquit Apostolus ad Philip. 1.) *donatum est pro Christo, non solum ut in illum credatis, sed etiam ut* „ *pro illo patiamini*. Igitur soli illi salvantur, quos Deus gratis salvari decreverit. Praescivit ergo Deus ante Mundi constitutionem, „ quibus salutem gratis daturus esset, & hoc ipsum ab ipsa aeternitate decrevit, & praeordinavit; cum Dei scientia, & propositum „ aeterna, & immutabilia sint. Igitur vera erit sententia S. Augustini de gratuita praescientia, & praedestinatione divina: adeoque falsa, de qua *an falsa* esset, Sotus ex Ruardo intelligere desiderabat.

„ Ad hanc rationem, *subjungit doctissimus Cardinalis*, duobus „ modis responderi solet, sic tamen ut MODUS UTERQUE ET „ SCRIPTURIS REPUGNET, ET A PELAGIANA HAERESI „ NON RECEDAT. Primum igitur aliqui respondent, fidem esse „ donum Dei, sed hoc donum iis omnibus dari, quos Deus praevidit per bonum usum liberi arbitrii dispositos fore ad illud donum „ recipiendum; hoc est, qui fecerint ante, quod in se est, ex viribus naturae.

„ Haec responsio (*quae Molinae est*) incidit in illam damnatam „ sententiam Pelagianorum, gratiam secundum merita nostra dari, „ ut copiose tractabimus in VI. lib cap. IV. V. & VI. Meritum enim „ appellant Patres in hac quaestione quodlibet opus bonum, ratione „ cujus gratia, vel auxilium homini detur, ut patet ex Augustino „ lib. 11. ad Bonifacium caput VIII, & ex Prospero lib. con. Collatorem cap. VI. Et preter alia argumenta, refellitur ista solutio ex „ orationibus Ecclesiae, quae funduntur pro infidelibus & persecutoribus. Si enim Deus ordinarie fidem donaret iis, quos ex bono usu liberi arbitrii dispositos esse videret, frustra oraretur pro „ infidelibus, maxime obstinatis & persecutoribus. Praeterea, si res „ ita se haberet, initium salutis esset ex nobis; & petenti Apostolo; „ *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti?* 1. Corinth. IV. „ responderi posset; discernit me bonus usus liberi arbitrii, & hoc „ habeo, quod non accepi; & hoc modo gratia non omnino esset indebita; ac per hoc non omnino esset gratia.

„ Dicunt ergo alii, fidem esse donum Dei, sed non omnibus dari,
„ quia non omnes volunt accipere (Deum enim omnes vocare , &
„ auxilium sufficiens omnibus praebere , quo possint credere , si ve-
„ lint) proindeque Praedestinationem pendere ex praevisione boni
„ usus gratiae sufficientis : illos enim esse praedestinatos, quos Deus
„ praevidit cooperaturos gratiae sufficienti, & inde credituros: illos
„ esse reprobatos , quos praevidit gratiae sufficienti non cooperatu-
„ ros , & inde non credituros .

Verum & de hac solutione , de qua , quemadmodum & de superiori , jam dixerat , quod *a Pelagiana haeresi non recedit* , iterum ait, quod *repugnat aperte sacris literis* ; idque probat variis earumdem sacrarum literarum testimoniis , quae plane & aperte demonstrare videntur , ad re ipsa & actu credendum, praeter gratiam sufficientem, necessariam esse aliam specialem gratiam efficacem , quae ita suadeat, ut persuadeat,& quam Deus non omnibus tribuat: non enim omnium est fides ; neque omnibus donatum est , ut in Christum credant ; neque omnes sunt docibiles Dei , seu docti a Deo ; neque omnium aperit corda Deus , sed eorum tantum , quibus voluerit Filius revelare, & qui ad aeternam vitam , aut haec saltem dona reapse consequenda, efficaci Dei intentione ac voluntate praeordinati sunt . Aliis deinde rationibus ejusdem Augustiniani dogmatis veritatem demonstrare pergit , quae apud ipsum videri commode possunt . Quae enim descripta sunt , pro Theologi nostri priore ad Ruardum quaestione sufficere posse videntur .

Secunda Dominicani Theologi quaestio erat ; an sententia constituens praedestinationem post operum praevisionem , sit non solum falsa , sed etiam sacrae scripturae contraria . Sed & hanc quaestionem optimo in lumine collocat Bellarminus , perspicuis ac lucidissimis Evangelii & Apostoli testimoniis sequentes demonstrans propositiones „ I. quosdam electos esse ex omni genere humano. II. electos esse
„ ad regnum coelorum. III. electos efficaciter, ut infallibiliter ad re-
„ gnum perveniant. IV. electos omnino gratis. Denique electos esse
„ ante omnem operum praevisionem . Singulas hasce propositiones
„ variis,uti dixi, ac disertis cum Evangelii, tum Apostoli testimoniis confirmat & illustrat ; sed in eo potissimum enucleando immoratur ,

quod

quod ex Capite nono ad Romanos proferri solet : *Quum nondum nati essent &c.* „ quoniam , *inquit* , illum praecipue Ambrosius Catharinus , & alii quidam Recentiores non recte exponunt . Sed haec indicasse sufficiat : & ad tertiam quaestionem accedamus .

Tertio itaque loco quaerebat Sotus ; an illa quorumdam Theologorum opinio de praedestinatione praevisionem operum consequente , non solum falsa esset , & veritati , & scripturae contraria , sed etiam fidei & apertae Ecclesiae diffinitioni . Nullus dubito , quin vel hanc tantum quaestionem proposuisse , idque vel in controversiam vocasse , pro temerario ausu , Moliniani Scriptoris judicio habendum sit . Propterea enim Sotum cum Baio & Jansenio comparandum existimavit . Sed videamus , cujusmodi fuerit laudati Cardinalis de hac etiam quaestione judicium .

„ Probari , *inquit* , potest veritas praedestinationis gratuitae „ ex traditione Ecclesiastica . Nam quamvis ante exortam haeresim „ Pelagianam , Veteres Patres quaestionem istam non adeo accu- „ rate tractaverint, sed tantum occasione oblata breviter sententiam „ suam aperuerint , ut S. Augustinus docet libro de Bono perseve- „ rantiae cap. *XX* .; qui tamen cap. X. Cyprianum , Ambrosium , & „ Nazianzenum pro hac sententia citat ; tamen post illam haeresim „ exortam , OMNES OMNINO , qui sanctitatis nomine in Ecclesia „ claruerunt , hanc ipsam sententiam apertissime docuerunt; ut per- „ spicuum est ex S. Augustino in lib. de Praedest. SS. & de Bono „ persev. in lib. de Corrept. & grat. in Epist. CV. ad Sixtum , & „ alibi passim . Ex S. Prospero in 11. lib. de Vocat. Gent. cap. 1. & „ ult. , in lib. cont. Collat. extremo , & in Respons. ad Capit. Gallo- „ rum . Ex S. Fulgentio in lib. de Incarnat. & Grat. extremo. S. Gre- „ gorio lib. 1. Dialog. Cap. VIII. S. Anselmo , Beda , Primasio , Se- „ dulio , & aliis in Cap. IX. ad Rom. S. Bernardo in Serm. XXIII, „ & LXXVIII. in Cant. S. Thoma I. p. Quaest. XXIII , & S. Bona- „ ventura in I. Sent. Dist. XLI. quaest. II. . . . .

„ Neque solum isti Patres hoc affirmant , sed antiquiores & do- „ ctiores , ex ipsis , quos ceteri postea secuti sunt , AD FIDEM CA- „ THOLICAM hanc sententiam pertinere tradunt , ut contrariam „ AD PELAGIANOS rejiciunt . Notabo aliqua loca , ut si qui for-

„ te

„ te contra sentiunt, intelligant ex judicio sanctissimorum Patrum, „ in quam MANIFESTO ERRORE versentur.

„ S. Augustinus in libro de Bono persev. Cap. XVIII. *Hoc*, in- „ quit, *scio, neminem contra istam Praedestinationem, quam secun-* „ *dum scripturam sanctam defendimus*, NISI ERRANDO, *dispu-* „ *tare potuisse*. Et Capite XXIII. *Praedestinationis*, inquit, *hujus* „ *fidem, quae contra novos haereticos nova sollicitudine nunc defendi-* „ *tur, numquam Ecclesia Christi non habuit*.

„ S. Prosper in Respons. I. ad object. Gallorum: *Praedestina-* „ *tionem*, inquit, *Dei nullus Catholicus negat*. & in Epist. ad Rufin. „ de lib. arbit. *Praedestinationem*, inquit, *tam impium est negare*, „ *quam ipsi gratiae contraire*. Neque responderi potest, eum loqui „ de praedestinatione in genere, non de praedestinatione mere gra- „ tuita: loquitur enim de praedestinatione, quam S. Augustinus „ defendebat, & quam Cassianus, & alii quidam in Gallia oppu- „ gnabant.

„ S. Petrus Diaconus in lib. de Incarnat. & Gratia Christi extre- „ mo: *Anathematizamus*, inquit, *Pelagium, Caelestium, simulque* „ *Julianum Eclanensem, & qui illis similia sapiunt, praecipue libros* „ *Fausti Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lerinensi provectus* „ *est, quos contra Praedestinationis sententiam scriptos esse, non du-* „ *bium est*.

„ S. Fulgentius in libro item de Incarnat. & Gratia cap. ult. in „ ipso epilogo: *Cujus*, inquit, *Praedestinationis veritatem, qua nos* „ *ante mundi constitutionem praedestinatos in Christo testatur Apo-* „ *stolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessio-* „ *ne proferre; si ante ultimum diem vitae praesentis impietatis suae* „ *contumaciam, qua Deo vivo & vero rebellis obsistit, non abjecerit:* „ *manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus* „ *in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit, & praedestina-* „ *vit ad regnum*.

„ His accedit PUBLICA ECCLESIAE APPROBATIO. Con- „ stat enim, delatam fuisse ad Apostolicam Sedem, Celestino Ponti- „ fice, a Prospero & Hilario querimoniam, quod in Gallia Praesby- „ teri quidam doctrinam S. Augustini de praedestinatione reprehen-

„ de-

„ derent. Quid autem Celestinus rescripserit, perspicuum est ex
„ Epistola ejus ad Gallos, in qua inter cetera, posteaquam magnis
„ laudibus Augustinum extulit, ita subjunxit: *Unde resistatur tali-*
„ *bus, quos male crescere videmus; nefas est, haec pati religiosas ani-*
„ *mas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque con-*
„ *venit macerari.*

„ Et quoniam Galli respondebant, fuisse quidem a Pontifice
„ commendatam S. Augustini doctrinam, sed non approbatos in spe-
„ cie libros illos duos de Praedest. SS. & de Bono persev. Contra
„ S. Prosper in lib. cont. Collatorem extremo demonstrat, Pontifi-
„ cem non potuisse hos libros non approbare, cum Augustini doctri-
„ nam probaverit, & hi libri a ceteris non dissentiant; nam senten-
„ tia de praedestinatione gratuita, quae in his libris accurate de-
„ fenditur, disertis verbis habetur in Enchiridio, in Epist. CV. ad
„ Sixtum, & CVI. ad Paulinum.

„ Deinde Celestinus in ea Epistola Cap. II. ita laudat Augusti-
„ num, ut dicat, eum semper habitum a Romana Ecclesia pro magi-
„ stro optimo, & nunquam eum fuisse saltem rumore sinistrae suspi-
„ cionis aspersum. At quomodo ista dicere potuisset Celestinus, si
„ Augustinus falso scripsisset, fidem praedestinationis in Ecclesia Ca-
„ tholica semper fuisse, & contra eam neminem, nisi errando, di-
„ sputare potuisse? Nam si Augustini de Praedestinatione sententia
„ falsa esset, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate de-
„ fendi; quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed
„ etiam eam pro Fide Catholica venditare ausus esset. Quomodo igi-
„ tur Celestinus eos, qui pro hac ipsa re Augustinum temeritatis,
„ & erroris damnabant, ita reprehendit, ut dicat, nefas esse talia
„ audire; & Augustinum pro Magistro optimo semper habitum, nec
„ unquam fuisse saltem rumore sinistrae suspicionis aspersum, nisi
„ hanc ipsam de praedestinatione doctrinam, secundum Augustini sen-
„ tentiam, veram esse credidisset?

„ Post illa Celestini tempora cum nondum factio illa Gallorum
„ conquiesceret; S. Leo Pontifex misit ad Concilium Arausicanum
„ certa Capitula de Gratia, & libero arbitrio ex libris S. Augusti-
„ ni verbatim decerpta, quae voluit ab Episcopis illis recipi & subscribi

„ ut

„ ut etiam factum est. Porro in illis Capitulis continentur omnia
„ fundamenta sententiae de praedestinatione gratuita, ut non pos-
„ sit ullus praedestinationem negare, nisi velit illis Capitulis con-
„ traire.

„ Denique S. Gelasius in Concilio LXX. Episcoporum non so-
„ lum probavit omnia scripta S. Augustini & S. Prosperi; sed etiam
„ contra damnavit libellos Joannis Cassiani, & Fausti Regiensis:
„ cum tamen non ignoraret, potissimam contentionem inter Prospe-
„ rum & Cassianum, & deinde inter Fulgentium & Faustum de
„ scriptis S. Augustini de Pradest. SS. & Bono persev. fuisse.

„ Itaque Sedes Apostolica, non tantum semel, sed etiam secun-
„ do & tertio adversus Pelagianorum reliquias pro Defensoribus
„ gratiae, & Praedestinationis sententiam tulit, UT JAM HAEC
„ SENTENTIA, NON QUORUMVIS DOCTORUM OPINIO,
„ SED FIDES ECCLESIAE CATHOLICAE DICI DE-
„ BEAT.

VIII Plura his addi possent; sed haec satis esse puto, ut Lector intelligat; haud omnino inani timore perculsum fuisse Soti animum, dum se vereri significabat, ne quidam illius aetatis Theologi, dum se immodico zelo a Lutheranis & Calvinianis disjungebant, ad Semipelagianos imprudentes accederent: & quoniam Haeretici Augustini nomen & auctoritatem suis erroribus obtendebant; ne novi Theologi ad Augustini dogmata profliganda, ejusque auctoritatem obterendam, ex Semipelagianorum officina arma mutuarentur. Nullum est enim ex quinque illis Capitibus, de quibus Sotus sollicitus erat, & intelligere ex Ruardo cupiebat, an veteri & Catholicae de Gratia Christi & libero arbitrio doctrinae consona essent, quod non Eminentissimus Bellarminus gravi censura notaverit. Id ut facilius, atque uno veluti ictu oculi Lector perspectum habeat; hinc notatas Soto Propositiones, inde vero doctissimi Cardinalis de illis judicium brevi pagella exhibebo.

Prima Propositio.

Deus aequaliter, quantum in se est, vult omnes homines salvos fieri, & per gratiam suam omnibus aequaliter adest.

Vide totum Arausicanum Concilium, ubi diligentissime totus hic Pelagianorum error evertitur. Bellarminus lib. 2. de Grat. & liber. Arbit. cap. 2. in fine.

Secunda Propositio.

Ex sola liberi arbitrii vi & natura pendet usus divinae gratiae.

Haec opinio aliena est omnino a sententia B. Augustini, & quantum ego existimo, a sententia etiam scripturarum divinarum .... Evertit omnino fundamentum praedestinationis divinae, quam S. Augustinus ex divinis literis solidissime comprobavit... Nullum locum praedestinationi relinquit, sed tantum praescientiae. Ibid. lib. 1. cap. 12.

Tertia Propositio.

Nullum discrimen Electorum & Reproborum in Ecclesia Dei futurum nisi propter usum & abusum divinae gratiae.

Repugnat aperte sacris literis, & a Pelagiana haeresi non recedit. Lib. 2. cap. 12.

Quarta Propositio.

Sententia D. Augustini de praedestinatione gratuita pugnat cum divina misericordia, magnamque illi irrogat contumeliam.

Celestinus eos, qui pro hac ipsa re Augustinum temeritatis & erroris damnabant, ita reprehendit, ut dicat; nefas esse, talia audire, & Augustinum pro Magistro optimo semper habitum, nec unquam fuisse saltem rumore sini-

Quinta Propositio.

De praescientia boni usus illius gratiae, vel abusus aliis Deus praeparavit praemium, aliis poenam.

sinistrae suspicionis aspersum. Ibid. cap. 11.

Post haeresim (*Pelagianam*) exortam omnes omnino, qui sanctitatis nomine in Ecclesia floruerunt, hanc ipsam sententiam (*de praedestinatione gratuita*) apertissime docuerunt .... Antiquiores & doctiores ex ipsis, quos ceteri postea secuti sunt, ad Fidem Catholicam hanc sententiam pertinere tradunt, & contrariam ad Pelagianos rejiciunt.... Si qui forte contra sentiunt, intelligant, ex judicio Sanctissimorum Patrum in quam manifesto errore versentur .... Accedit publica Ecclesiae approbatio .... Ut jam haec sententia, non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiae Catholicae dici debeat. Ibid.

Nunc vero ex Duchesnio scire velim, an ipsum quoque Bellarminum cum Baianis & Jansenianis conjungendum existimet, & ejus etiam opera Jansenianae haereseos fundamenta exstructa fuisse judicet; propterea quod praecipua illa Moliniani systematis capita tam gravibus censuris notaverit? Si enim haec reapse ipsius sententia est, diserte illam & aperte pronunciet. Si autem a clarissimo illo Societatis lumine tam atroci censura percellendo abhorret animus; quare uni ex praecipuis non solum Praed. Ordinis, sed etiam Concilii Tridentini Luminaribus eam contumeliam irrogare veritus non est; propterea quod ex Ruardo modestissime quaesierit; an ea dogmata absque ulla erroris nota possent a Theologis propugnari? Non illud Baio & Jansenio crimini vertendum, quod ejusmodi opiniones veterum Patrum, Summorum Pontificum, & Conciliorum de Gratia & libero Arbitrio decretis minus consonas judicaverint: sed quod communiter recepta in Scholis & in Ecclesia dogmata pro Semipelagianis erroribus habuerint, & adeo temerarium & inane commentum systematis sui fundamentum posuerint.

ARTI-

ARTICULUS TERTIUS.

De Theologis, qui Soto invisas de Gratia & Praedestinatione opiniones id temporis propugnabant.

I *Soti verba Duchesnius adulterat, ut ejus de Gratia opiniones pro haereticis; Molinianas vero pro totidem fidei articulis habitas fuisse, demonstret.*

II *Quam nullo jure Veterum Lovaniensium Theologorum Duchesnius auctoritate nitatur.*

III *Maximam Theologorum vim pro gratia seipsa efficaci, & gratuita Praedestinatione fuisse.*

IV *Quid de iis senserit Seripandus, qui ab Augustino id temporis desciverunt.*

V *Augustini placita in Scholis Theologicis obtinuisse, quum quidam Viri eruditi ad instaurandam PP. Graecorum de Gratia, Praedestinatione, & Arbitrii libertate Theologiam incubuerunt.*

VI *Soti verba, ubi de Theologis loquitur, qui Augustiniana dogmata id temporis deseruerant, esse ὑπερβολικῶς accipienda.*

VII *Quidam eorum ab Augustini doctrina verbis magis, quam sensibus discrepabant.*

VIII *Regulae recensentur, quibus in vindicando ab Arianorum calumniis S. Dionysio Alex. D. Athanasius est usus: eaedemque ad praesentem Soti caussam accommodantur.*

I CUjusmodi fuerint opiniones, de quibus per Epistolam Ruardum Sotus consuluit, & cujusmodi de illis Eminentissimus Bellarminus judicium tulerit, superiori Articulo demonstratum est: iis tamen opinionibus comprehensos fuisse, non solùm veteris, ut ait, Lovaniensis Academiae, sed etiam totius fere Ecclesiae Catholicae de gratia divina sensus, Historiae suae variis in locis Molinianus Scriptor adfirmat. Porro triumphare sibi videtur Petri ipsius a Soto ex ejus priore Epistola testimonio, quo id perspicue

videatur adserere; praecipue ut illud mutilum atque interpolatum Duchesnius exhibet: ita enim, quae mox subjungam Soti Latina verba Gallice reddidit: (*a*) „ Je sçai que vos Théologiens de Louvain, ceux d'Italie, e la faculté de Théologie de Paris, sont si „ fort attachez à ces sentimens, qu'ils traitent d'Heresie l'opinion „ contraire, de sorte que toute l'Eglise semble se declarer en faveur de ces deux Articles, & que plusieurs prétendent qu'ils „ sont decidez par le Concile de Trente; Hoc est: *Scio, vestros Theologos Lovanienses, Italos, & Facultatem Theologicam Parisiensem iis de gratia sensibus firmiter inhaerere, ut pro haeresi habeant contrariam opinionem; adeo ut tota jam Ecclesia videatur pro his duobus Articulis sententiam ferre; & plures etiam contendunt, Concilii Tridentini fuisse auctoritate diffinitos*. Praedictorum Articulorum altero continebatur; Deum omnium salutem aequaliter velle, & omnibus per gratiam aequaliter adesse; altero autem, varium ejusdem gratiae usum ex liberi arbitrii vi ac natura pendere. At vero Soti Latina verba sic habent: (*b*) *De vestris Lovaniensibus nil possum dicere ..... sed interim multorum aliorum non scriptis, quae non ediderunt, sed collatione, scio, hanc esse sententiam: inter quos multi eam Augustino & Patribus tribuunt: & multorum etiam relatione intellexi, magnam partem Doctorum Italiae hoc constantissime tenere: & fide digni etiam Parisiensis Doctoris testimonio percepi, Facultatem ipsam Theologiae haec sentire, ut haereseos Lutheranae damnent aliud sentientes: ita ut videatur jam tota Ecclesia in hanc trahi sententiam: & nonnulli ipsius Concilii verba ita interpretantur, ut hoc ipsum ibi diffinitum dicant*. His certe Gallica Duchesnii minime respondent. Ait Sotus, *de vestris Lovaniensibus nil possum dicere*: sed apud Duchesnium: *Scio, vestros Theologos Lovanienses &c.* Nec solum verbum verbo reddere neglexit minime fidus interpres, sed in ipsis quoque Soti Latinis exhibendis non admodum religiosus fuit: ita enim apud Duchesnium latine loquitur Sotus: *de vestris Lovaniensibus, scio hanc esse sententiam*, absque ulla nota vel indicio omissorum aliquot verborum, quae supra repraesentavimus. Secundo, *Magna pars* doctorum Italiae apud Sotum;

(a) Lib. pag. 9. (b) Epist. 1. col. 3.

tum; *in omnes* Italiae Doctores apud Duchesnium convertitur. Tertio, apud Sotum *multorum* Lovaniensium ea sententia est, & *multi* eam Augustino ac Patribus tribuunt; *magna pars* Doctorum Italiae idem constantissime tenet; Facultas Theologica Parisiensis contrariam opinionem haereseos damnat: sed apud Duchesnium *omnes* indiscriminatim Lovanienses, Itali, Parisienses sic duos praedictos Articulos amplectuntur, ut iis oppositam doctrinam velut haereticam aversentur. Denique *nonnulli* apud Sotum Theologi, qui duos Articulos in Concilio Tridentino definitos existimant; *plures* apud Duchesnium evadunt. Hoc itaque Soti nostri qualicumque testimonio Duchesnius exultat, veluti quo ipsius judicio apertissime demonstretur, Soto ipsi, celebriorum Universitatum, imo & totius fere Catholicae Ecclesiae de Gratia, & libero Arbitrio dogmatis contrarias haesisse opiniones.

Contra vero ejusdem Soti auctoritate, & Cancellarii Lovaniensis ad eum responsione probare adgreditur, Ruardi doctrinam, quam, ut ait, deinceps Lessius excoluit in Universitate Lovaniensi constanter obtinuisse: *Tapperi*, inquit (*a*), *ad Sotum responsio satis aperte nos docet, quae fuerit vetus ac constans celebris Universitatis Lovaniensis de natura liberi arbitrii, de gratia omnibus distributa, deque ejus efficacitate ac sufficientia, ac generali omnium per Christi Sanguinem redemtione, doctrina. Hoc factum, adeo constans, ut Soto, quamvis contraria sentienti, cum Ruardo in eo conveniret; adeo vulgatum, ut Baius & Hesselius, quamvis ab ea doctrina recederent, mendacii dicam Tappero impingere non sint ausi, cujus responsum una cum Soti literis Lovanii vulgatum est; Factum, inquam, adeo authenticum, eo est adcuratius animadvertendum, quo evidentius argumentum praebet novitatum, quas Baius in Theologicam Facultatem*

(a) Elle nous apprend bien clairement quelle étoit la doctrine constante & ancienne de la célébre Université de Louvain sur la nature du libre arbitre, sur l'universalité de la grace, sur son efficacité & sa suffisance, & sur l'etenduë de la redemption des hommes. Ce fait si bien constaté que Soto en convenoit, quoiqu'il fût dans des sentimens opposez, si notoire que Baius & Hessels, qui s'écartoient de cette doctrine n'oserent démentir Tapper, dont la reponse fut renduë publique à Louvain, avec la lettre de Soto, un fait, dis-je, si autentique est d'autant plus remarquable; qu'il est un preuve sensible des innovations de Baius, du changement de doctrine, qu'il introduisit dans sa faculté, & de l'injuste persecution qu'il suscita au Jesuite Lessius qui n'enseignoit à Louvain que la doctrine que Tapper expose ici. Lib. 1. pag. 12.

tatem invexit, & injustae persecutionis, quam Lessio, haud aliam, quam expositam a Tappero doctrinam Lovanii docenti, postea suscitarunt. Haec Molinianus Scriptor, omnia sus deque permiscens, & Soti doctrinam cum Baianis erroribus; Tapperi autem & Lessii opiniones cum fidei dogmatis confundens: qui etiam post aliquot paginas adjungit: (*a*) *Ingenue Sotum profiteri, Universitates Parisiensem, Lovaniensem, Italas, ac celebriores illius aevi controversiarum Tractatores, alienos ab ejus mente de divina gratia sensus induisse; atque universam Ecclesiam visam esse, proposita ab ipso dogmata aperte reprobare. Hujuscemodi*, inquit, *& adeo luculentum Soti testimonium peremtorium est, sanaeque doctrinae jus plane vindicat & adstruit praescriptionis*. Omissis autem pluribus aliis locis, in quibus idem Soti nostri adversus Baium, & Hesselium testimonium urget; quae sequuntur, ut quae nos propius adtingunt, potissimum adnotanda sunt. Indicatis enim, quas Lessius publicis Thesibus propugnandas proposuit, ac deinde Lovaniensis Academia confixit, opinionibus; haec subjungit: (*b*) *Ejusmodi dogmatum, ipsiusmet Petri de Soto testimonio, frequentior erat usus & celebrior auctoritas in Scholis, in controversiis, & in Ecclesia. Haec potissimum in Scholis Lovaniensibus obtinebant, antequam Baius & Hesselius Theologicas Cathedras occuparent. Quod aperte testantur Tapperi ad Sotum, & Ravestenii ad Tapperum Epistolae*. Et alio in loco; (*c*) Lessium & Hamelium haud aliam, quam veteris Lovaniensis scholae doctrinam, & celebriorum ejus Doctorum propugnasse tradit, *quae*, inquit, *& Romae docebatur, & alibi passim recepta erat, uti Petrus a Soto candide agnoscebat, eorum dogmatum auctor, quae in suam Facultatem Baius invexerat*.

Facile

(a) Il confesse ingenuement, que les Universitez de Paris, de Louvain, d'Italie, que presque tous les Controversistes de son temps les plus célébres etoient dans des sentimens opposez aux siens, & que toute l'Eglise, sembloit se déclarer contre les dogmes qu'il proposoit. Cet aveu est decisif en faveur de la saine Doctrine, & lui assure le droit de prescription. Ibid. pag. 15.

(b) Ces sentimens etoient les plus suivis dans l'Ecole, dans les controverses & dans l'Eglise de l'aveu de Pierre Soto. C'étoient en particulier ceux de l'Ecole de Leuvain avant que Baius & Hessels y enseignassent; les lettres de Tapper a Pierre Soto, & celles du Docteur Ravesteyn en font foy. Lib. 3. pag. 197.

(c) Religuieux qui ne soutenoient que la doctrine de l'ancienne Ecole de Louvain, & de ses plus célébres Docteurs, enseignée à Rome, & communement reçuë par tout ailleurs, comme en convenoit Pierre Soto, auteur des sentimens que Baius avoit introduit dans sa Faculté. Ibid. pag. 230.

Facile percipit haud omnino hebes, minimeque ſtupidus Lector, quid ſibi Baianorum Hiſtoricus velit, illud nimirum; opinionibus Leſſii, qui Ruardo Magiſtro gloriabatur, celebriorum Univerſitatum, atque ipſius Eccleſiae auctoritatem adſerere. Petrum autem a Soto, quem Baianorum prodromum facit, ac Thomiſtas, qui ejus de gratia ſe ipſa efficaci doctrinam tuentur, profanae novitatis pulvere adſpergere. Verum multa ſunt, quae ad ejus teſtimonii, quod tantopere jactat, vim elevandam adferri poſſunt.

II Primum enim, quod de Lovanienſi, Pariſienſi, & Italis Univerſitatibus Sotus ſcribit, id minime ſibi exploratum fuiſſe tradit, ſed aliorum ſe relatione didiciſſe: *De veſtris*, inquit, *Lovanienſibus nil poſſum dicere .... Multorum relatione intellexi .... Pariſienſis Doctoris teſtimonio percepi*. At ſcimus, quam ſolenne ſit ejuſmodi teſtibus, quae narrant, pro diverſis quibus ducuntur adfectibus, exaggerare, variiſque ad libitum additamentis adulterare.

Deinde, quaenam illa quaeſo ſunt dogmata, in quae velut in totidem fidei articulos celebriores Orbis Catholici Academias olim conſenſiſſe, Dilingano Theologo teſtes aliquot enarraverant? Ea Sotus ipſe apud Ducheſnium ad haec duo capita revocabat. Primo, quod gratia quaedam verſatilis omnibus vel invitis, ut olim ajebat Fauſtus, ac repugnantibus *ingeratur*. Secundo, quod oblatae gratiae uſus a liberi arbitrii nutu flexuque pendeat. At primum illud de gratia omnibus & ſingulis inſpirata & ingeſta non fuiſſe eo tempore niſi *piam* quorumdam Theologorum opinionem, & contrariam potuiſſe illaeſa fide defendi; cum in Epiſtola ad Sotum, tum in Expoſitione Articuli ſeptimi de libero arbitrio ſaepius ac luculenter Ruardus ipſe teſtatur. De altero vero praeclarum exſtat Raveſteiin teſtimonium, qui nedum ſibi nullo modo probatum fuiſſe adfirmat (a), *quod efficacia divinae gratiae exiſtimetur pendere ab humanae voluntatis conditione aut poteſtate*; ſed in ſua etiam adverſus Illyricum Catholicae Confutationis Apologia, ubi obiter agit de Ruardo Tappero, deque ejus circa gratiam opinione, eam ceteris Lovanienſibus minus probatam fuiſſe pronunciat: *Lovanienſibus ceteris Doctoribus .... eam diſputationem non ſatis probatam fuiſſe*, *ve-*

(a) Epiſt. 2. ad Ruard. Tapp. col. 109.

verissime dicere possum. Et praemiserat. *Haec igitur R. Doctoris opinio magis quam sententia, si diligentius vel a R. Domino Casalio, vel ab aliis Magistris discussa, minus vera demonstratur*, ET FORTASSE PELAGIANISMO AFFINIS; *placet omnibus bonis, placuit & illi optimo Viro, ut abjiciatur & improbetur; & sola ea, quae vera esse comperitur, teneatur, & defendatur*. Sed & universa postmodum Lovaniensis Academia, quum ei Lessius Ruardi ac veterum Doctorum auctoritatem objecisset, quo Censurae in ipsum & Hamelium latae Auctores novam in Scholam Lovaniensem doctrinam invexisse probaret; ita in ejusdem Censurae Justificatione respondit: *Diligentius totum hoc negotium tractandum putauimus, quo sinceritatem in dicendo nostram universis testatam faciamus; doceamusque, non esse peregrinam a nobis in scholas nostras doctrinam invectam: sed quum a paucis quibusdam, vel ab uno fortasse Ruardo (quod pace tanti Viri dixerimus) fieri coeptum id esset; depulsa novitate, veterem per nos, ac plerosque etiam Antecessores nostros, revocatam, assertam, defensamque, ac integritati suae restitutam esse: adeoque nec unquam vel ejus temporis Facultatem nostram, aut notabilem aliquam ejus partem praefati Viri opinationes probavisse; quemadmodum, praeter ceteros locupletissimus est testis D. Judocus Tiletanus, Collegii tunc nostri haud sane postremus*.

Quod vero adtinet ad Lessium & Hamelium; non est profecto, cur adeo fidenter Duchesnius adserat; haud aliam, quam jamdudum a Ruardo traditam, ab eis expositam Lovanii propugnatamque doctrinam; ac propterea per ejus loci Academiam injustam in eos concitatam fuisse persecutionem. Scimus enim, Lovanienses Theologos in eorum scriptis id maxime improbasse, quod Praedestinationem ex operum praevisione suspenderent: hanc vero opinionem Ruardus Tapperus non solum pro fidei dogmate minime venditavit; sed, ut supra prolatis ejus verbis ostendimus, Pelagianam esse, & ex haeretico proficisci sensu existimavit. Qua ergo fronte Lessius & Hamelius Ruardi, & veteris Lovaniensis Academiae nomen & auctoritatem suis opinionibus obtendebant? Qua etiam fronte Duchesnius horumce Auctorum opinationes cum fidei dogmatis confundere ausus est, eisque universae Ecclesiae auctoritatem adserere?

III Non

III Non ergo adeo desperata erat, ut Petro de Soto quidam boni Viri narraverant, aut ipse animo sibi finxisse videtur, Gratiae Christi caussa: sed tum etiam, ut Ravestenius, & Lovaniensis Academia testantur, minime deerant, qui verae gratiae intrepidi defensores, praeter gratiam sufficientem, veterem etiam & avitam Patrum doctrinam de gratia vi sua efficaci, & ad omne opus pietatis necessaria, retinerent inconcussam: & qui praedestinationem omnino gratuitam, & praevisionem meritorum atque operum praecedentem pro fidei dogmate haberent. Quum autem id argumenti tractari hoc loco pro dignitate non possit; Lectorem ad Antonini Reginaldi Opus *de mente Concilii Tridentini* remitto; ex cujus praecipue secunda Parte facile intelliget, quam multi & tempore Concilii Tridentini, & post ipsius Concilii celebrationem Christianae gratiae vim, & ad omnia pietatis opera necessitatem, juxta SS. Augustini ac Thomae sinceram inlibatamque doctrinam, non modo in Belgio, sed vel maxime & in ipsa Italia, & in Hispania, & in Lusitania, & in Germania, & in Polonia, & in Gallia, aliisque Christiani Orbis partibus, tuerentur.

IV. Non defuisse tamen, qui dum in Haereticos Lutheranos, & Calvinianos liberi arbitrii eversores acrius, ut fieri solet, & concitatius inveherentur, veterum Pontificum, Conciliorum, & Patrum, atque imprimis Augustini lucidissima, castissimaque de gratia dogmata suis disputationibus obscurarent; diffitendum non est. Id enim praeter eorum opera, quae adhuc exstant, illorum temporum Scriptores testantur, & detestantur, ac dolent, ut ex sequentibus Seripandi, ut alios omittam, verbis apparet: *Non defuere*, inquit, (a) *hac quoque nostra, magna, & turbulenta tempestate, qua seditionum, & discordiarum plena sunt omnia; non defuere, inquam, nominis, & ordinis non infimi Theologi; qui cum nescirent (ut opinor) Haereticos refellere, qui ex Patrum de divina electione, pia admodum*, ET IN CATHOLICA ECCLESIA RECEPTA SENTENTIA, *abunde multa fallaci argumentatione concludunt, novas protinus commenti sunt ipsi ea de re opiniones a Patribus, & verbo Dei abhorrentes: quod ad me Viri docti, & pii detulere: Nam isto-*

 rum

(a) Ad cap. 9. Epist. ad Rom.

rum ego libros nunquam attigi, quando mihi probari nunquam potuit nova aliqua disciplina, quae veterum Sanctorum vestigiis non insistat:

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget.

Nam quando Haereticos ad Sanctam, & Catholicam Patrum sententiam revocabimus, si ab ea ipsi discesserimus? Haec Vir summus, & sui Ordinis, ac Romani Purpuratorum Patrum Senatus eximium decus, qui Tridentinae Synodo primum sui Ordinis Generalis, postmodum Apostolicae Sedis Legatus interfuit, de quibusdam Saeculi XVI. Theologis, qui Lessii, & Hamelii, & Molinianae Scholae de Gratia dogmata praeformarunt.

V Sed ne Viri a capite ad talos Augustiniani suspecta narratio sit; aliqua ad hanc rem aliquanto in meliori lumine collocandam, adiungere libet ex Auctore, cujus testimonium Moliniano Historico repudiandum non est: is est enim Richardus Simonius, qui S. Augustini de gratia, & libero arbitrio dogmatis praeferre se ubique jactat, ac profitetur Patrum Graecorum doctrinam: nec tamen negare audet Sancti Doctoris placita in Scholis Theologicis obtinuisse, quum quidam humaniorum literarum, & linguarum studio subacti, ad excolendam Patrum Graecorum Theologiam animum contulerunt. Agens enim in una Epistolarum suarum de Epistolis, & Commentariis Cardinalis Sadoleti; inter cetera observat, (a) quod Augustino, qui nimius ei videbatur in suis adversus Pelagianos libris, Chrysostomum aliosque Graecos Patres anteponebat. Relatis autem quibusdam ex Epistolis ad Cardinalem Contarenum ejus verbis, quibus S. Augustini de Gratia opiniones durius, ac liberius perstringit, animadvertit,, Cardinalem Sadoletum minime ignorasse, quod loquendi ,, ratio, quam in Augustinum in iis literis usurpabat, vim in se ,, concitatura esset, atque impetum Theologorum, qui S. Doctoris ,, placita pro totidem veluti Romanae Ecclesiae decretis habebant. ,, Et infra; non unum Sadoletum, ait, magno tunc in pretio Chry- ,, sostomum habuisse: sed quidquid fere in Italia erat Virorum il- ,, lu-

(a) Il prefere par tout S. Chrysostome, & les autres Peres Grecs à S. Augustin qui lui paroissoit quelquefois outré dans ses Livres contre les Pelagiens .... Sadolet n' ignoroit pas que parler de la sorte c' etoit s' opposer à un Torrent de Théologiens qui regardoient les sentimens de S. Augustin, comme des sentimens reçûs & approuvez de l'Eglise Romaine ... Sadolet n' etoit pas le seul

„ lustrium, ac vereSapientum eamdem animis imbibisse opinionem.
„ Nulli fore, inquit, supererant, nisi Scholarum Magistri, qui
„ Augustino tenaciter adfixi haererent. Pro certo etiam adfirmare
„ possum, quamdam veluti societatem ex Viris, Theologicis disci-
„ plinis, & humaniori literatura praestantibus, in Italia coaluisse,
„ ad instaurandam Patrum Graecorum Doctrinam. Cardinalis Sa-
„ doletus, qui unus erat ex Sociis, Commentarios suos in Episto-
„ lam ad Romanos nemini eorum, qui Theologiam profitebantur,
„ examinandos tradidit; sed iis tantum amicorum suorum, qui ma-
„ gis veterum Graecorum Auctorum, quam Magistri Sententiarum
„ lectioni incubuerant. Priorem eorum partem ad Erasmum misit,
„ cujus maxime amicitia utebatur &c. Nec miror tamen, Viros Ita-
„ liae praestantissimos, ad revocandam Patrum Graecorum de Gra-
„ tia, & libero Arbitrio, ac Praedestinatione doctrinam incubuisse.
„ Sic enim animum induxerant, Augustini nomen, quem suis erro-
„ ribus Pseudo-Reformatores obtenderant, Catholicae Religioni
„ plurimum obfuisse. Haec eadem ratio Maldonatum compulit, ad
„ eumdem S. Doctorem quodammodo deserendum, ut Calvinianos
„ facilius adgrederetur, quibus ad ejus impetum sustinendum vi-
„ res minime suppeditabant.... Scis, Romae habitas inter Domini-
„ canos, & Jesuitas, Clemente VIII. Summo Pontifice, sollennes
„ disputationes, ad Augustini auctoritatem passim in Italia, atque
„ universa Europa in integrum restituendam, plurimum valuisse,
„ ut neque Jesuitae aperte ipsum deserere audeant, & saltem vi-
„ deri volunt, atque universo Orbi adprobare, se neutiquam ab ejus

I 2 „ do-

qui eut alors cette grande estime pour S. Jean Chrysostome, presque tout ce qu'il y avoit de Personnes illustres & veritablement savantes en Italie étojent dans le meme sentimens. Il n'y avoit gueres que les maitres qui enseignojent dans les Ecoles, qui tinssent ferme pour S. Augustin. Je puis meme vous assurer qu'il s'étoit fait dans l'Italie une espece de Societé de personnes habiles dans la Theologie, & dans les belles lettres, pour retablir le doctrine des Peres Grecs. Le Cardinal Sadolet qui étoit un des Associez ne donna pas à revoir son Commentaire sur l'Epitre aux Romains à des Théologiens de profession; mais à ceux de ses amis qui avojent plus étudié les anciens Auteurs Grecs que le Maitre des Sentences. Il en envoia la premiere partie à Erasme avec lequel il avoit des grandes liaisons d'amitié &c. Je ne suis pas surpris que les plus grands hommes qui étoient alors en Italie se fussent comme associez pour retablir la doctrine des Peres Grecs sur les matieres de la Grace, du Libre-Arbitre, & de la Predestination. Ils étojent persuadee que le seul nom de S. Augustin dont les premiers Reformateurs avojent abusé nuisoit beaucoup à la Religion Catholique. Ce fut cette meme raison qui obligea Maldonat d'abandoner en quelque façon ce saint Docteur, pour combattre avec plus de facilité les Calvinistes de France qui ne pouvoient lui resister... Vous savez que ce qui se passa à Rome sous Clement VIII. entre les Religieux Domini-

„ doctrina recedere. Ex quibus habemus 1. opiniones de Gratia, & libero arbitrio, ac Praedestinatione, quae sub Patrum Graecorum nomine, & auctoritate proferebantur, Scholarum Magistris id temporis neutiquam placuisse. 2. Maximam Theologorum vim, *un Torrent des Thèologiens*, pro Augustino constanter stetisse, quod ejus de Gratia decreta Romae probata esse intelligerent. 3. Ideo quosdam eruditos Viros ab Augustini semitis declinasse, quod Haeretici nefaria dogmata, & Muhammedanas opiniones ejus nomine, & auctoritate praetexerent. 4. Auctores, qui propterea quod eis nimius Augustinus in adserendis divinae gratiae juribus videretur, molliores semitas ingressi sunt, candide id esse professos, neque tum maxime videri voluisse tritae a S. Doctore orbitae insistere, quum vel ab ea quam longissime recedebant; qua in re magis profecto laudandus eorum candor, ac sinceritas est, quam eorum artificium, qui S. Doctorem variis molitionibus trahere, vel repugnantem, in suam conantur opinionem. 5. Hunc fuisse disputationum nostrarum coram Clemente VIII. praestantissimum fructum, quod Augustinum in eam auctoritatis arcem, & culmen restituimus, unde illum dejicere quidam moliti fuerant. 6. Hoc inter priores, & posteriores Jesuitas interesse; quod priores, ut Maldonatus, Molina, Lessius, & alii paullo candidiores suam ab Augustino discessionem minime dissimularunt. Posteriores verò, praeter Sirmundum, & ex parte Petavium, atque alios nonnullos, ad Augustinum sibi conciliandum variis adhibitis machinis adgressi sunt. Quod eidem Richardo Simoni, & Auctori notarum ad ejus Epistolas selectas, haud semel est animadversum. (*a*) „ Haud amplius, *inquit Simonius*, fas esse videtur ab „ Augustini sensibus de Gratia, & Praedestinatione discedere, Ejus „ doctrina regulae instar Theologis nostris est; ut illam ipsi quo„ que Jesuitae aperta fronte adoriri vereantur. Fuere tamen no„ stris hisce temporibus tres celebres Scriptores, nempe Sirmun„ dus, Morinus, & Launoius, qui nulla religione impediti, ma„ gno in eum impetu, ac totis viribus insiluerunt. Quod autem ad „ pri-

cains & les Jesuites a beaucoup contribué à rétablir en Italie, & meme dans toute l'Europe l'autorité de Saint Augustin, que les Jesuites memes n'osent pas abandonner; au moins veulent-ils faire croire à tout le monde, qu'ils ne s'éloignent point de sa doctrine. Lettr. Choisi. Tom. prem. let. XVI. Edit. Amst. 1730.

(a) Il semble qu'il ne soit plus permis aujour

„ primum adtinet, minime id ego admiror, praeterquam enim quod „ Jesuita erat, perpetuas etiam cum iis, qui se Augustini discipu- „ los dicunt, simultates gessit. Ad quae verba subjectarum notarum Auctor observat. „ (*a*) Patri Sirmundo cum pluribus Socio- „ rum minime convenisse, quod variis subtilitatibus Augustinum „ praejudicatis opinionibus adtemperarent. Ipse enim perinde ac „ Maldonatus existimabat, esse huic Sancto Doctori Patres Graecos „ in iis, quae ad Gratiam, & Praedestinationem, & arbitrii liber- „ tatem pertinent, praeferendos. Lessius, aliique Jesuitae, qui „ Lovanii docebant, ab eadem videntur propius abfuisse senten- „ tia.

VI Verum ut unde in hunc locum dilapsa est, eo revertatur oratio; ejusmodi Homines, qui ad Patres Graecos, Augustini auctoritate postposita, provocabant, Sotus prae oculis habens, & Operum Alberti Pighii, & Ambrosii Catharini lectione perculsus, in eo animi aestu sibi videre visus est germanam de Christi gratia doctrinam ubique periclitantem, nisi esset, qui se novarum opinionum molitionibus, atque incrementis opponeret. Id igitur Theologo nostro accidisse videtur, quod olim Hieronymo, qui Ariminensium Patrum lapsum memoria repetens, & praesenti funestissimi casus imagine exulceratus, his eum verbis ὑπερβολικῶς repraesentavit: (*b*) *Tunc Usiae nomen abolitum est: tunc Nicaenae Fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus Orbis, & se esse Arianum miratus est.* Ex pluribus tamen, iisque authenticis monumentis constat, non defuisse tunc temporis per universumOrbem, quiNicaenam fidem excolerent, eamque adversus Arianam Haeresim constantissime propugnarent. Unum in praesentiaAthanasium hac de re audire sufficiat in Epi-

d'hui d'avoir des sentimens contraires à ceux de S. Augustin sur les mysteres de la Predestination, & de la Grace. La doctrine de ce Pere sert comme de regle à nos Théologiens, en sorte que les Jesuites meme n'osent la combattre ouvertement. Nous avons eu néammoins de notre temps trois célébres Ecrivains qui n'ont fait aucune difficulté de l'attaquer & meme d'une maniere assez vive. Ces trois Ecrivains sont le P. Sirmond, le P. Morin, & le Docteur Launoy. A l'égard du premier je n'en suis point surpris: car outre qu'il étoit Jesuite il faisoit profession d'etre opposé en toutes choses à ceux qui se disent disciples de S. Augustin. *Ibid. Ep.* 33.

(a) Le P. Sirmond n'étoit point du sentiment de plusieurs de ses Confreres, qui par des explications subtiles accommodent S. Augustin à leurs préjugez. Il croioit aussi bien que Maldonat qu'il falloit préferer les Peres Grecs à ce S. Eveque sur les matieres de la Grace, de la Predestination, & de Libre-Arbitre. Il semble que Lessius & les autres Jesuites qui enseignoient à Louvain approchoient de ce sentiment.

(b) Dialog. advers. Luciferian.

niunt, si ad illum morem adtendamus, non modo Patribus; sed juxta Augustini monitum, ipsis etiam Canonicis Scriptoribus usurpatum, ut paucorum errorem veluti communem plurimis, aut etiam omnibus arguant. ***Habent enim***, inquit, (a)***etiam Scripturae Canonicae hunc arguendi morem, ut tamquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat***. Eccur igitur Soti verba non ad eamdem regulam interpretabimur? Sane, an gratia omnibus, etiam infidelibus, etiam obduratis, & excaecatis jugiter inspiretur, Ruardus ipse testatur, juxta commune Theologorum placitum, tum negantem, tum adfirmantem opinionem, potuisse tum temporis illaesa fide defendi. Quod Gratia vi sua efficax sit, Academia Lovaniensis anno MDLXXXVIII. Majoribus suis placuisse, testata est, ***paucis quibusdam exceptis, vel uno fortasse Ruardo***, cujus de Gratia doctrinam ceteris minus fuisse probatam, Ravestenius, ut jam vidimus, testis locupletissimus est. Praedestinationem omnino esse gratuitam, & operum, ac meritorum praevisionem antecedere; ipsemet Ruardus pro Fidei dogmate habuit. In earumdem praeterea sententiarum confirmationem Antoninus Reginaldus, uti pariter observatum est, praecipuorum ex Italia, Belgio, Hispania, Lusitania, Galliis, Polonia, atque Germania, illius aevi Theologorum auctoritates, ac testimonia producit; ut iis similia, quae supra ex Athanasio descripta sunt, usurpare potuerit: ***Scias hanc esse fidem***, seu doctrinam, ***quae a Saeculo praedicata est, & quam confessi sunt Patres***, vel olim in Africanis, & Arausicana, vel nuper in Tridentina Synodo ***congregati &c.*** Qui igitur haec cum Soti verbis conciliabimus, quibus sibi videri ***jam totam Ecclesiam*** in opposita trahi dogmata, significabat? Qui, inquam, nisi adhibitam interpraetandis haud dissimilibus Hilarii verbis ab Augustino regulam ipsi etiam admoveamus? ***Hilarius***, inquit Augustinus loco superius laudato: * ***decem Provinciarum Arianarum aut zizania, non triticum, arguebat, aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quanto vehementius, tanto***

(a) Epist. 93. al. 98. ad Vincent Rogatist. cap. 19. n. 31.

* Respicit S. Doctor, ut observant Editores Benedictini, ad illa Hilarii verba libro de Synodis; *Nam absque Eleusio, & paucis cum eo ex majori parte Arianae decem Provinciae, intra quas consisto vere Deum nesciunt.*

to utilius arguendum putabat. Ita etiam Sotus, quum non sine gravissimo animi dolore intelligeret, novas, & ab Augustini mente prorsus alienas opiniones latius in dies serpere, ac disseminari; Scholas, & Academias sensim sine sensu occupare, pervadere quorumdam Theologorum animos, odio haeretici dogmatis, in contrarium, ut fit, plus aequo devexos; rem plus aliquanto, quam par erat, exaggeravit: & amplificata mali magnitudine, dubios, ac periclitantes Theologos, quanto vehementius, tanto utilius arguendos putavit.

Soti verba hoc modo, id est, velut ὑπερβολικῶς, pronunciata, esse accipienda; illud etiam, praeter jam dicta, omnino suadet; quod, quum *Catholicis plurimis, & fere omnibus*, qui contra haereses scribendo nomen sibi pepererant, duo illa, quae ipsi neutiquam probabantur, de Gratia dogmata tribuisset; sex tantum postea commemorat, quorum ad eum Opera pervenerant; Pighium, Eckium, Dominicum Sotum, Vegam, Driedonem, & Catharinum; paucos nimirum prae aliis innumeris, qui, maxime controversam inter Lovanienses & Lessium, & inter Thomistas & Molinianos de gratia se ipsa efficaci doctrinam apertissime tuebantur: & adhuc ex sex laudatis Scriptoribus, tres tantum erant, ut ipse etiam agnovisse videtur, & non obscure indicat, qui in Augustini doctrinam aperta fronte insurrexerant, Pighius, Eckius, & Catharinus. Nam de Soto ait, illum non sibi satis constare; de Driedone, quod inter multa ejus verba vix aliquid comprehenderat; & in Vega hoc tantum reprehendit, quod respectu gratiae justificantis detur meritum *ex congruo*, quod & meritum *simpliciter* dici possit. Ceterum tres hosce Scriptores praecipuum illud ac veluti capitale de gratia se ipsa efficaci Scholae nostrae decretum, & disputationum nostrarum veluti cardinem, tenuisse; pluribus eorum ac luculentissimis testimoniis, in Opere saepius laudato, Antoninus Reginaldus ostendit (a). Υπερβολικῶς itaque loquutus est Sotus, quum ait; plurimos, ac fere omnes, qui adversus haereses stylum exercuerant, Augustinum, ejusque de Gratia doctrinam per latus invasisse.

VII Denique illud etiam, ad ejus testimonii, quo se audacius Duchesnius effert, vim elevandam, plurimum valet, quod mode-

(a) De Dominico Soto P. II. cap 47. de Andrea Vega cap. seq & de Johan. Driedone cap. 46.

stissime atque aequissime Sotus admonet: aliam forsitan fuisse, quam verebatur, aut sibi videbatur, eorum quos consuluerat, & quorum libros pervolutarat, opinionem: *Ne haec*, inquit (*a*), *doctrina Patrum supprimatur, aut obscuretur .... per eos ipsos, qui maxime & se putant, & ab aliis putantur, Catholicam Fidem contra haereses tueri, metuo. Quare in re tam magna mihi non satis fidens .... impedior, ne ausim erroris damnare eorum, quam puto, sententiam: sed certe magis crederem, eos non, quod sentire mihi videntur, sensisse*. Non itaque sibi satis perspectam exploratamque fuisse docet eorum mentem, qui videri poterant, longius ab Augustini semitis abiisse; sed eo magis inclinabat ut crederet, novos illos Theologos verbis potius ab antiquis Patribus quam sensibus discrepare: ad id eos conditione temporis adigente, quo illis bellum cum Lutheranis & Calvinianis liberi arbitrii eversoribus gerendum erat, ut loquendi formulas frequentius usurparent magis Augustino familiares, quum pro libertate adversus Manichaeos, quam quum adversus Pelagianos pro gratia decertabat. Id enim, uti Theologis harumce rerum non omnino ignaris observatum est, Ecclesiasticis Scriptoribus solenne fuit, eas verborum formas libentius frequentare, quae dogmati exprimendo, Haereticorum disputationibus exagitato, aptiores esse videbantur; ab iis autem abstinere, quibus Haeretici ad suos tegendos errores abutebantur. Quae quidem loquendi & agendi ratio, pro varia temporum conditione temperata, ipsam sacrorum dogmatum substantiam minime adtingit: quamvis aliud videri possit, & aliquando etiam visum sit iis, qui ad hujusmodi quas vocant circumstantias non, ut par erat, animum intenderunt. Sic Dionysius Alexandrinus Magno Basilio visus est (*b*) Arianis praeludere, dum Sabellianos insequitur; quem tamen S. Athanasius, cum Ecclesia Catholica de Verbi divinitate sensisse, aperte demonstrat; & quae in ea Dionysii cum Sabelliis Symmistis disputatione durius ab ipso pronunciata fuerant, hac ratione excusat, quod (*c*) *temporis, & personae ratio eum ad talia scribenda traxerit*: atque

 illud

(a) Epist. 1. post init. (b) Epist. 41.

(c) Εἰ δὲ καιροῦ καὶ προσώπου πρόφασις εἵλκυσεν αὐτὸν τοιαῦτα γράψαι .... ἔδει πάλιν αὐτοὺς μὴ ἀφέντας τὰ αἴτια, φθόνον

illud sapientissime monet; quod *non oportuit*, *omissis caussis car ita scribendum fuerit*, *homini temere odium conciliare*, *ne aliqui videantur nihil nisi dictiunculas aucupari*, *& veritatem & fidem rerum....praetermittere*, Et rursum: *Certum est*, *cum*, *ea quae suspecta fuere*, *ex usu rerum*, *pro negotii conditione conscripsisse*; *neque istiusmodi scripta*, *quae negotiis adtemperata sunt*, *oportuit maligne odioseque interpretari*, *aut ad cujuslibet libidinem studiumque torqueri*. Ad has igitur Magni Athanasii prudentissimas regulas Sc tus noster animum intendens, magis inclinabat ut crederet, doctissimos quosdam, advesus Lutheranas & Calvinianas haereses, liberi arbitrii adsertores, aliud reapse sensisse, quam quod alicubi eorum verba praeseferant; quam eos de Gratia se ipsa efficaci doctrinam abjecisse, quam minime dubitabat, Africanorum Conciliorum, & Arausicanae Synodi, nec non Summorum Pontificum, Innocentii, Zosimi, & Celestini fuisse jamdudum auctoritate sancitam (*a*).

Ea verò in re, non Athanasium modo, sed ipsum quoque, quem maxime in honore habebat, Augustinum imitatus est; cui quum a Semipelagianis apud Prosperum (*b*) praecedentium Patrum auctoritas objiceretur; id primum reponebat: (*c*) *Neminem* contra Doctrinam Praedestinationis, & Gratiae, *quam secundum Scripturas Sanctas* defendebat, *nisi errando disputare potuisse*. 2. Obtendentibus & requirentibus Patrum auctoritatem, respondebat, *Sanctos*, *& in fide*, *atque doctrina Christiana laudabiliter usquequaque diffamatos viros*, *Cyprianum*, *& Ambrosium*, quibus & Gregorium Nazianzenum adjungebat, *debuisse sufficere*. 3. quod ad alios Patres adtinet, quorum non adeo erat de his rebus ad limam expolitus sermo; non opus fuisse, monebat [*d*], *ut eorum* scrupulosius *scrutarentur*, & ad lancem revocarent *Opuscula*, *qui priusquam* Pelagiana *baeresis orire-*

ἐπάγειν τῷ ἀνδρὶ προπετῶς. ἵνα μὴ δόξωσι λεξείδια μὲν μόνον θηρᾶν, παραπέμψασθαι δὲ τὴν ..... ἀλήθειαν..... Δῆλον ἂν εἴη ὅτι

ϗ τὰ ὑποπτευθέντα κατ' οἰκονομίαν γραφόμενα ϗ γινόμενα, ταῦτα κακοτρόπως δέχεσθαι. ϗ εἰς τὴν ἰδίαν ἕλκειν ἕκαστον βούλησιν.

(a) Vid. Epist. 1. col. 5. (b) Epist. ad Augustin. (c) lib. de dono persev. cap. 19.
(d) Lib. de Praedest. SS. cap. 14.

retur, non habuerunt necessitatem, in hac difficili ad solvendum quaestione versari. 4. quod *frequentationibus orationum simpliciter apparebat*, quos intimo cordis sinu reconditos, insculptosque de gratia divina sensus gestarent: *Non enim poscerentur de Deo, quae praecipit fieri, nisi ab illo donarentur, ut fierent.* 5. quoniam Massilienses obtendebant, idque ipsum etiam Prosperum commovebat, Veterum Patrum eam fuisse opinionem, quod *ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscujusque praeviderit, & sub ipso gratiae adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione, praescierit*; S. Doctor, Praedestinationem apud Patres, quum agitur *de vocatione Electorum* intelligendam esse praescientiae nomine, statuebat: *Magis enim*, inquit (*a*), *fortasse voluerunt, hoc verbo in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imo & congruit veritati, quae de praedestinatione gratiae praedicatur*: & adhuc minus periculum erat, quo tempore Ethnicorum, & Ethnicis adfinium Haereticorum adversus liberum arbitrium errores grassabantur, sub praescientiae, quam sub Praedestinationis nomine, fatalem intelligi necessitatem. (*b*) *Denique singulas quasque haereses intulisse Ecclesiae proprias quaestiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret*: eam vero necessitatem, gratuitam *SS. Praedestinationem diligentius, & operosius* defendendi, Pelagianam haeresim attulisse. Ejusmodi porro rationes, non solum vetustioribus Patribus, qui pro libero arbitrio adversus Gnosticos, & Manichaeos; sed etiam novis Theologis, qui aliquid adversus Lutheranos, & Calvinianos pro eodem dogmate elucubrarunt, si quid eis inter disputandum minus adcuratum, limatumque excidit, excusandis plurimum valent: ut adeo Petrus a Soto jure, meritoque veritus sit, de illorum sensu, atque mente quidquam statuere, aut temere judicare.

VIII Utinam vero eadem aequitate, iisdemque regulis, in eximio Theologo interpretando, Duchesnius usus esset, neque unquam haereseos notam optimo adprimeque Catholico Viro inussisset; neque id nobis oneris adtulisset, illius auctoritatem, segregi factioni ab ipso temere, atque imprudenter adsertam, Ecclesiae Catholicae vindi-

(a) Lib. de Dono persev. ubi sup. (b) Ibid. cap. 20.

dicandi. Sed quoniam ejusmodi prudentiae, atque aequitatis regulas aut funditus ignorasse, aut penitus neglexisse videtur; nos adhuc modicum sustineat eas illi ad animum revocantes.

Primum itaque laudatus superius Athanasius, ad vindicandum S. Dionysium Alex. ab impacta ipsi per Arianos calumnia, veluti magni momenti argumentum adfert; quod nunquam fuerit ab Episcopis erroris insimulatus, quod in Ecclesiae pace, & cum pietate obdormierit, & quod ejus memoria celebris hactenus apud Catholicos fuerit: (*a*) *Magni certe argumenti est, nihil eos veri dicere. & calumniis Virum premere; quod ille nunquam ab aliis Episcopis de impietate convictus est; neque haeresim propugnando ab Ecclesia secessit, sed in ea cum pietate obdormivit; quodque ejus memoria hactenus cum Patribus celebrata est, & in Catalogum relata*. Quam belle haec in Sotum nostrum & apposite quadrent, ille facile intelliget, qui ad ea, quae superiori capite dicta sunt, animum adtenderit: Non enim tantum a Summis Pontificibus, Purpuratis Ecclesiae Patribus, & Episcopis *numquam ille de impietate convictus est*; sed summis ejus pietatem, atque doctrinam laudibus Ecclesiae Romanae proceres extulerunt: Non modo ille in Ecclesiae pace obdormivit; sed ejus obitum, velut ademto uno *ex suis maximis luminaribus*, acerbo luctu Tridentina Synodus prosecuta est. Denique illius memoria celebris hactenus apud Catholicos fuit, & in Virorum, Catholicae Fidei zelo, morum castitate, & Christianae Theologiae luminibus insignium, catalogum ab iis omnibus relata, qui vel ejus speciatim meminerunt, vel ejusmodi illustrium Virorum catalogos concinnarunt. Quod *magni certe argumenti est nihil* Duchesnium *veri dicere, & calumniis Virum premere*.

Secundo monet Athanasius, praecipuum, ac primarium Epistolae ad Euphranorem, & Ammonium datae, ex qua Dionysio confla-

(a) Μέγα μὲν ὖν τεκμήριον τῦ μηδὲ τῦτο λέγειν αὐτὺς ἀληθὲς, ἀλλὰ τὸν ἄνδρα συκοφαντεῖν, ὅτι μήτε παρ' ἑτέρων ἐπισκόπων ἐπ' ἀσεβείᾳ καταγνωσθεὶς ἀπεβλήθη τῆς ἐπισκοπῆς .... μήτε αὐτὸς ὡς αἵρεσιν ἐκδικῶν ἐξῆλθε τῆς ἐκκλησίας· ἀλλ' ἐν αὐτῇ κεκοίμηται καλῶς, καὶ ἡ μνήμη μέχρι νῦν αὐτῦ μετὰ τῶν πατέρων ἐςὶ καὶ γέγραπται.

flabatur invidia, scopum, & argumentum spectandum fuisse. Id enim, quum ad Auctoris mentem adsequendam, sideris instar Lectori ut plurimum sit, facile offusas eorum malignitate tenebras depulisset: (a) *Si non obiter, & perfunctorie ejus Viri scripta legerint, indicent mihi, quale argumentum, scopumque Epistolae sequutus sit. Si id fecerint, calumniam suam, animique pravitatem in lucem proferent*. Pari modo Duchesnium oportuit, non obiter, & perfunctorie Soti Epistolas legere, sed cujusmodi argumentum, scopumque sequutus sit, diligenter animo circumspicere, atque investigare. Quod nisi oscitanter ac sedulo praestitisset, non aliam ei fuisse mentem, quam gratiam vi sua efficacem tuendi, facile perspexisset: *Non aliud agimus*, inquit (b), *quam ut nihil boni in libero arbitrio, quod non sit gratiae, concedatur*. Hoc vero perspecto, ad cetera recte, saneque intelligenda, lucem sibi maximam accendisset.

Tertio, idem S. Athanasius illud etiam jure constituit, S. Dionysii Alex. sententiam, non ex ea tantum Epistola, in qua durius loqui visus est, sed ex aliis etiam ejus Epistolis, & scriptis, in quibus suam disertius mentem aperuit, fuisse explorandam: (c) *Scripsisse Dionysium istius generis Epistolam agnoscimus. Verum non hanc solum, sed plurimas ab eo postmodum scriptas esse dicimus, quas ab istis quoque legi oportuit, ut ex omnibus simul judicium de ejus fide constitui posset*. Et nos similiter scripsisse Sotum, quae ejus nomine circumferuntur, ad Ruardum Epistolas agnoscimus. Verum non id tantum Operis, sed alios quoque libros elucubrasse monemus, cum ad Catholicos instituendos, tum ad Haereticos confutandos; quos a Duchesnio quoque legi oportuit, ut ex omnibus simul judicium de ejus fide tuto, an non temere constitueret.

Quar-

(a) Οὐκ οὖν εἰ μὴ παρέργως ἐνέτυχον τοῖς γράμμασι, εἰπάτωσαν καὶ τὴν ὑπόθεσιν τῆς ἐπιστολῆς. οὕτω γὰρ αὐτῶν ἥ τε συκοφαντία καὶ ἡ πονηρία τῆς προαιρέσεως δειχθήσεται.

(b) Epist. 2. col. 48.

(c) Ναὶ ἔγραψεν, ὁμολογοῦμεν καὶ ἡμεῖς εἶναι τοιαύτην ἐπιστολὴν αὐτοῦ. ἀλλ' ὥσπερ ταύτην ἔγραψεν, οὕτως καὶ ἑτέρας πλείστας ἐπιστολὰς ἔγραψε, καὶ ἔδει καὶ ταύταις ἐντυχεῖν αὐτούς. ἵνα ἐκ πασῶν, καὶ μὴ μόνης ἐκ τῆς μιᾶς ἡ πίστις δειχθῇ τοῦ ἀνδρός.

Quarto id etiam ad S. Dionysium apud Athanasium excusandum plurimum valuit; quod non eam Epistolam dederit veluti Fidem suam simpliciter, & conceptis verbis expositurus, quod postmodum aliis libris, & Epistolis praestitit; sed ad Episcoporum quorumdam insaniam coercendam, qui Sabellii sententiam amplectebantur, in quo utique scriptorum genere, ut S. Basilius monet (*a*), facile contingere potest, ut dum se Scriptor alterius impietati acriore impetu opponit, minus prudenter sibi prospiciat, & similis plantatori evadat, qui recentis plantae correcturus aversionem, ita immoderate illam retorquet, ut a medio abhorreat, & ad contrarium latus ramulum abducat. *Si igitur,* inquit laudatus Athanasius (*b*), *simpliciter tamquam qui fidem suam ederet, hanc Epistolam scripsit; esto, accusent eum, ut velint: non enim crimine caruerit istiusmodi sententia. Quod si temporis, & personae ratio eum ad talia scribenda traxit. . . . non oportuit, omissis caussis cur ita scribendum fuerit, homini temere odium conciliare.* An non id etiam in Sotum nostrum optime convenit? Non enim ut fidem suam ederet, illas ad Ruardum Epistolas dedit, id enim aliis libris egregie praestitit, sed eo potissimum, quem *Doctrinae Christianae Compendium in usum Plebis Christianae recte instituendae* inscripsit; ex quo aliquid proferat Adversarius, quod minus cum recta fide consentiat. Epistolas enim scripsit, ad quaedam, quae illius animum commovebant, cum Amico communicanda, & quosdam refellendos, qui Christi gratiam libero arbitrio subjiciebant; quare non adeo sibi cavendum existimavit.

Denique, illud etiam prudenter superioribus verbis S. Athanasius animadvertit; temporis, quo Dionysius scripsit, habendam fuisse rationem: nimirum, *antequam in Alexandria*, ut ait S. Hieronymus [*c*] *quasi Daemonium meridianum Arius nasceretur*; quo sa-

(a) Epist. 41.

(b) Εἰ μὲν οὖν ἁπλῶς ὡς πίστιν ἐκτιθέμενος ἔγραψεν τὴν λέγουσιν ἐπιστολὴν, ἢ ταύτην μόνην ἔγραψε κατηγορείτωσαν ὡς βούλονται. κατηγορία γὰρ ἀληθῶς τὸ τοιοῦτον φρόνημα. Εἰ δὲ καιροῦ καὶ προσώπου πρόφασις εἵλκυσεν αὐτὸν τοιαῦτα γράψαι. . . ἔδει πάλιν αὐτοὺς μὴ ἀφέντας τὰ αἴτια, φθόνον ἐπάγειν τῷ ἀνδρὶ προπετῶς.

(c) Apolog. 1. advers. Rufin.

ſane tempore Sanctiſſimi quoque, atque doctiſſimi Eccleſiae Patres *innocenter quaedam, & minus caute locuti ſunt, & quae non poſſint perverſorum hominum calumniam declinare*. Id quod etiam Ducheſnio animadvertendum fuit, ſi quid in illis Epiſtolis offendit *innocenter* a Soto, *& minus caute* pronunciatum, antequam Baiana, & Janſeniana haereſis graſsaretur.

Aut igitur ejuſmodi regulas, ad Catholicorum Scriptorum Libros recte interpretandos, ſapientiſſime Patribus conſtitutas, Adverſarius noverat, aut eas funditus ignorabat. Si noverat; cur eas erga Sotum omnino neglexit, & adeo immanem in optimum Virum cenſuram exercuit? Si vero ignorabat, cur iis praeſidiis minime inſtructus, ad Praedeſtinatianam, & Baianam Hiſtoriam literis conſignandam, animum contulit; & poſt tot ejusdem generis, & argumenti libros iis mercibus literariam Rempublicam oneravit? Verum, ne iis Patrum regulis veluti quibusdam locis communibus uſus eſſe videar; quod jam paucis delibavi, poſtmodum luculentius demonſtrandum adgrediar: non aliam Soto mentem fuiſſe, quàm avitam, & Auguſtinianam, atque Thomiſticam de gratia ſe ipſa efficaci doctrinam, adverſus quosdam Theologos adſerere, qui aut ab illa aperte defecerant, aut eam videbantur mollioribus quibusdam verborum formulis labefactare.



DE

DE RUARDO TAPPER,

Ejusque ad Petrum Sotum Epistola

C A P U T I I I.

Quis Ruardus Tapper, ejusque ad Sotum Epistolae Analysis.

A R T I C U L U S P R I M U S

Quis Ruardus Tapper, & quam ejus doctrina de Gratia D. Augustini decretis, & placitis consentanea.

I *Ruardi Tapperi laudes.*
II *Ejus Doctrinae aliquot naevi.*
III *Duchesnii de Ruardo Tappero, & Petro Soto judicium.*
IV *Quid senserint de Ruardo Tappero Theologi Lovanienses, & Guillelmus Estius.*
V *Faustum Semipelagianorum Coriphaeum, Venerandis Ecclesiae PP. Ruardus accenset, ejusque in quaestionibus de Gratia, perinde atque Augustini, veneratur auctoritatem.*
VI *Jacobus Sirmondus notatus.*
VII *Ruardus, quantum oportuit, a Semipelagianorum dogmatis non recessit.*
VIII *Plures ejusdem Auctoris aberrationes: quam ipse varius, & anceps, & in his rebus parum sibi constans.*
IX *Ut excusabilis sit Ruardus; ejus tamen in iis controversiis suscipienda non est auctoritas.*

I UONIAM nuperus rerum Bajanarum Historicus saepe jactat, Lessium, & Hamelium in suis de Gratia, & Praedestinatione opinionibus, quas deinceps Moliniana Schola adoptavit, Ruardum Tapperum ducem esse sequutos, eoque Magistro gloriari solitos fuisse; operae pretium erit, haud perfunctorie, sed sedulo ac diligen-

genter inquirere, quibus ille doctrinis imbutus fuerit; quam sollerter in Augustini lectione, ac meditatione versatus; quam in ejus sensibus perscrutandis, atque eruendis felix; quam ejus de gratia dogmatum, ac doctrinae tenax; quod denique in iis rebus nomen, quam sibi comparaverit auctoritatem. Quid enim Molinianos juvare potest Ruardi nomen, si exigua ac fere nulla ejus fuerit in hisce controversiis auctoritas?

Fatendum quidem est, nullius esse tantam ingenii vim, eaque orationis lumina, quae Hominis in Christianam Rempublicam merita, ingenium, eruditionem, susceptosque pro Fide, ac religione labores ornare verbis, aut enarrare sufficiat: in eam tamen de summo Viro opinionem quum facile Duchesnius, atque libenter consentiat; idcirco, ceteris omissis, quae satis magnifica de illo a variis Bibliothecarum Catalogorumve Scriptoribus concinnata sunt; unum hìc dumtaxat Elogium proferam, quod illi in Bibliotheca, quam moriens Lovaniensi Theologorum Collegio legavit, positum est. *Bibliotheca D. Ruardi Tapperi ab Enchusa, Artium Magistri, Sac. Theologiae Professoris celeberrimi, Ecclesiae Collegiatae D. Petri annos plus minus* 24. *Decani, nec non & hujus Academiae florentissimae Cancellarii quondam dignissimi. Qui ut vivus viva voce, & incomparabili eruditione Theologiae studiosos annos* 39. *instruxit, ita mortuus iisdem, hac instructissima Bibliotheca relicta, etiamnum prodesse voluit. Vir sane immortali, perpetuaque memoria dignus, non de Theologis dumtaxat, sed de Republica Christiana meritus optime: Vixit ille non suis commodis, sed Ecclesiae Christi: cujus nomine continuis se laboribus confecit, multorum odiis, multisque periculis exposuit, se ipsum denique curis, & molestiis exhausit. Latere quidem non potuit, quantumcumque dignitates refugerit. Hujus operam, atque industriam saepe Carolus V. Imperator, saepe Hispaniarum Rex Philippus, nonnunquam Pontifex ipse requisivit. Huic repurgandae ab Haeresibus Patriae provincia demandata. In hac quam strenue se gesserit, quamque ei cordi res illa fuerit, testari possunt Ecclesiae Proceres; testabuntur, dum steterit Christiana Religio,* Expositiones Articulorum Lovaniensium, *ut magno cum labore, ita cum singulari laude, & omnium exspectatione in lucem editae. Hic Edicto Regi-*

nae Mariae, harum regionum inferiorum Moderatricis, compulsus Lovanio Tridentum accitus e Belgis, facile primum locum obtinens, Concilium non modo plurimum exornavit, sed & strenue promovit. In quo quantum Fidei Catholicae, atque Orthodoxae ardorem declararit, noverunt, qui ei adstipulati sunt, Sanctissimi, doctissimique Patres. Tandem aetatis, pietatis, ac sapientiae fastigium adeptus, vere Christo, Sponsaeque ejus Ecclesiae est immortuus. Nam gravissimorum, quibus Hispaniarum Rex distinebatur, negotiorum caussa, Bruxellam Lovanio evocatus, frustratis bonorum omnium suspiriis, vitae, ac molestiis finem imponens, misso facto Hispaniarum Rege, lubens in supremi Regis aeterni Senatum subvectus anno D.1559. Martii 2. aetatis vero suae an. 71. Pauperibus omnium bonorum suorum heredibus institutis. Videri etiam possunt, quae de illo habent Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, & Fastis Academicis, & Aubertus Miraeus in Bibliotheca Ecclesiastica.

II Verum in rebus humanis non ita facile occurrit adeo perfectae virtutis, & consummatae sapientiae norma, quae non aliqua ex parte deficiat, & naevis quibusdam notetur; qui nobis quam diligentissime cavendi sunt, dum summorum Virorum studia, & exempla sectari, eorumque mores exprimere, ac referre gestimus. Ruardo Tappero id a quampluribus sapientissimis Viris vitio datum est; quod ad legendum S. Augustinum sero nimis accesserit; quod aliis opinionibus occupatus, non se Augustino, sed Augustinum sibi contemperarit; quod Faustum perinde, atque Augustinum inter Venerabiles Ecclesiae Patres, ac Magistros habuerit; quod nunc quidem Augustinum, nunc vero Faustum exscripserit, & ex isto perinde atque ex illo principia mutuatus sit, quorum non viderit, aut dissimularit consecutiones, & ex quibus, quamlibet disjunctissimis, unum exsculpserit dogma, nec Augustino, nec Fausto, ipsius opinione improbandum.

III Voluit quidem tum in aliis Operibus, tum maxime in ea, de qua nunc agimus, ad Sotum Epistola totus Augustinianus videri. Sed quum non minori studio id quoque sibi sumeret Sotus; inde illa exstitit nuperi Scriptoris animadversio; plerumque sibi Augustinum arrogare, qui ab illo quam longissime distant; ac de Soto, & Tappe-

pe-

pero loquens ; *Ambo*, inquit (*a*), *praefervidi erant SS. Augustini, ac Thomae discipuli, qui se aeque illorum lacte nutritos gloriabantur. Sed ejusmodi lac, succo terrae haud dissimile, qui per varios plantarum poros eliquatur, diversas admodum in utroque formas induerat. Nihil aeque dissimile, ac minus sibi constans, quam Augustinus, & Thomas Soti, atque Tapperi. Adeo verum est; non deesse, qui se quandoque Augustinianos, ac Thomistas venditent, qui nec S. Augustini, nec S. Thomae doctrinam adtigerunt; & quod quisque in iis se Patribus videre, aut legere putat, quod eos reapse aut scripsisse, aut sensisse gauderet.* Haud spernenda quidem animadversio, nisi in eum maxime conjecta esset, in quem minime quadrabat. Haud dubium enim, quin Sotum aperte petat, veluti qui sibi SS. Augustini, ac Thomae, a quorum maxime sensibus disjunctus erat, auctoritatem obtenderet; quod genuinus utriusque S. Doctoris discipulus haberi vellet; quod, ut statim subjungit (*b*), *metueret, ne illius aevi Doctores, Augustini, Patrum, ac Summorum quinti Saeculi Pontificum de Gratia, & libero Arbitrio doctrinam labefactarent; eaque ratione Semipelagiana dogmata revocarent*. Palam est itaque, Duchesnii opinione, Sotum in ea disputatione fuisse, qui se immerito Augustiniano, ac Thomistico nomine efferret, & qui se vidisse in Augustino, ac Thoma somniaret, quod sibi prius animo finxisset; adeoque utriusque S. Doctoris mentem Tapperum fuisse, quam Sotum, felicius adsequutum. Sed quantum eum sua fallat opinio, nullo negotio demonstrari potest.

IV Doctores Lovanienses, qui profecto Ruardum Tapperum propius, & intimius noverant, haec de illo literarum monumentis consignarunt in Justificatione Censurae adversus Lessium, & Hamelium editae: *Neque vero*, inquiunt, *Scholasticorum illi obfuit propria lectio; sed quod illis plus aequo inhaerens, ad B. Augustinum tam se-*

L 2

(a) C' étoit deux zelez disciples de S. Augustin & de Saint Thomas, dont ils se flattoient également d'avoir succé le lait. Mais ce lait semblable au sucie la terre, filtré par les pores de diverses plantes, avoit pris des qualités bién differentes dans les deux sujets. Rien n'étoit plus discordant que l'Augustin & le Thomas de ces deux Théologiens. Tant'il est vrai, qu on se dit quelquefois Augustinien & Thomiste, sans tenir la doctrine de Saint Augustin ni de S. Thomas, & qu'on croit voit dans ces Peres ce qu'on y veut trouver. *lib.* 1. *pag.* 8.

(b) Le Dominicain craignoit, que les Docteurs de son temps ne donnassent atteinte à la doctrine de Saint Augustin, des souverains Pontifes du cinquiéme siecle, sur la grace, & sur le libre arbitre, & ne resuscitassent par-là le Semipelagianisme.

sero accesserit, nec nisi privatis quibusdam occupatus opinionibus; quarum praejudicio tentus, legere postea illum nisi alieno animo non potuit; eoque non se illi, sed illum sibi attemperare, & inflectere conatus.

Idem exstitit de Ruardo Tappero doctissimi Guillelmi Estii, in Duacena quidem Universitate Regii, ac Ordinarii Sac. Theologiae Professoris, sed Academiae Lovaniensis Alumni, judicium in ea Oratione, quam anno 1609. Duaci habuit, objectaque sibi a Johanne Dackerio Soc. Jesu Professore diluit; ubi & aliam detexit caussam, sive obicem indicavit, qui Tappero, haud secus ac Johanni Driedoni, ad Augustini mentem aditum intercluserit: (a) *Quod autem Viri illi docti in ejusmodi opiniones nonnihil deflexerint, non adeo mirum, quum illo tempore, & ab illis legeretur liber* de Ecclesiasticis dogmatibus, *tamquam Augustini, qui est Presbyteri Massiliensis, & liber Fausti* de libero Arbitrio, *tamquam* Catholici, ac Venerabilis Patris, *quem temen satis constat, fuisse haereticum; quumque brevis ille in Epistolas Paulli Commentarius, qui inter Opera Hieronymi exstat, tamquam Hieronymi legeretur, quum sit ipsius Pelagii... At nec illud de Ruardo praetermittendum est, eum aliquando a magnis Viris, & nominatim a Petro Soto, doctissimo, ac sanctissimo Theologo admonitum, & reprehensum fuisse, & coram, & per literas, quod in illis suis de Gratia, & Praedestinatione opinionibus non recte ambularet secundum veritatem Ecclesiasticae, & Apostolicae doctrinae. Qui etiam aliquando a quodam Collega admonitus de Fausto, quod non Venerabilis; ut ille eum vocabat, sed damnabilis Auctor esset, ea re sibi indicata, vehementer obstupuit; ut ego ex illo ipso Collega accepi. Nam ab eo Collegae sui, iique preacipui, dissentiebant; ut intelligas, quam nec ejus tempore fuerint vulgatissima, quae ille opinando dicebat. Videatur autem de Ruardo Justificatio Censurae Facultatis Theologicae Lovaniensis:* ex qua videlicet, quae superius adtuli, verba descripta sunt; & cujus variis in locis, ac praesertim pagg. 176. 198. & 266. * Ruardi de Gratia opiniones, ut Augustino, & Catholicae regulae minus consonae, perstringuntur.

Caus-

(a) Exst. in Append. ad Hist. Congregat. de Auxiliis pag. 175., & seqq.
* Edit. Parisiens. an. 1641.

Caufsa itaque errandi Tappero, aliifque nonnullis, ceteroquin optimis Viris, praeter commune odium haerefeos Lutheranae, ea praecipue fuit, quod in recognofcendis difcernendifve puris incorruptae traditionis fontibus, Artis criticae ope carerent; feque veram de Chrifti gratia doctrinam haurire tuto exiftimarent ex impuris, limofifque fontibus Gennadii Maffilienfis, Faufti Regienfis, imo ipfius, fub Hieronymi nomine latentis, Pelagii.

V Quo vero Cl. Eftii, nec non Lovanienfis Univerfitatis, teftimoniis fides conftet, aliquot heic Tapperi loca indicabo, in quibus Fauftum venerandis Ecclefiae Patribus ac Magiftris adcenfet, eumque in eadem cum Ambrofio & Chryfoftomo navi collocat: *Videtur*, inquit (*a*), *quod veteres fcriptores ante & poft tempora B. Auguftini docuerint &c.* & inter ejufmodi fcriptores, quorum alia ipfi videbatur ab Auguftino fententia, Fauftum his verbis nominatim adpellat; *ficut docet venerabilis Fauftus Galliae Epifcopus*. Praeterea quorumdam Scholafticorum opinionem commemorans ab Auguftini mente quam longiffime disjunctam, eam Faufti teftimonio confirmat, quem rurfus eodem *Venerabilis Epifcopi* titulo commendat; *Quam*, inquit (*b*), *fententiam fequi videtur Fauftus Venerabilis Galliae Epifcopus lib.* 1. *de Gratia Chrifti*. Nec folum in fcholafticis difputationibus Faufti velut alicujus momenti teftimonio nitebatur, fed ejufdem quoque auctoritatem Calvino obiicere non eft veritus, velut idoneus effet ad Ecclefiae cauffam tuendam, qui illam olim turpiffime prodidit, & liberi arbitrii jura ita defendit, ut ea, quae funt gratiae, labefactarit. *Quia*, inquit (*c*), *ex doctrina Auguftini multi intelligebant induci neceffitatem, & tolli libertatem arbitrii; contra hunc errorem fcribit etiam Fauftus Epifcopus Galliarum librum de libero Arbitrio, & Gratia, qui totus eft contra Iohannem Calvinum*. Demum quod omnem plane fuperat, ac vincit opinionem, Ambrofio & Chryfoftomo Fauftum fociat, veluti qui regulam fidei, perinde ac duo illa Ecclefiae Catholicae lumina, perfpectam atque exploratam habuerit; [*d*] *B. Ambrofius, Chryfoftomus, & Fauftus optime noverunt regulam fidei*. At ille profecto fidei regulam minus intellexiffe videtur, qui illam ad Faufti libros exigendam exiftimavit.

(a) Art. VII. de lib. arbit. edit. Lovan. an. 15. (b) Ibid. (c) Ibid. (d) Ibid.

vit. Nec Ambrosium modo & Chrysostomum; sed, quod adhuc magis mirere, ipsummet quoque Augustinum Fausto conciliandum suscepit: [a] *Nec re ipsa dissentit B. Augustinus ab aliorum Patrum, B. Ambrosii, Chrysostomi, Fausti Catholici Galliae Episcopi, & aliorum sententia*. Quod perinde est, ac si quis Molinam & Lemosium iisdem de gratia divina sensibus animatos fuisse contendat. Igitur cui Faustus non displicebat, Augustinus admodum placere non poterat; immo qui Fausti lectione adeo delectabatur, cui Fausti libri delicium erant; ille profecto Augustini, & aliorum Patrum, nec non Pontificum, & Conciliorum quinti Ecclesiae saeculi, ac potissimum Arausicanae synodi, in qua Fausti & Semipelagianorum dogmata confixa, Augustini vero sancita & consecrata sunt, de divina gratia mysteriis initiatus non erat; ut non injuria Sotus noster (quod illi haud semel exprobrat Duchesnius) veritus fuisse videatur; ne Ruardus, aliique nonnulli illius aevi Doctores, dum in haereticos liberi arbitrii Eversores impetum faciebant, Augustini, & quinti saeculi, nec non Arausicanae synodi, de Gratia dogmata profligarent.

Mirabatur olim Possevinus, & Bellarminum quoque miratum fuisse, testis ipse locupletissimus est (*b*); a Ruardo Tappero, *Viro alioquin doctissimo, & egregio haeresum, quae nostra aetate revocatae sunt ab inferis, expugnatore Faustum appellatum fuisse Catholicum*. Et quidem mirabile admodum est, hominem in veterum scriptis, & Ecclesiasticae Antiquitatis monumentis haud indiligenter versatum, Faustum, ejusque libros pro Catholicis habuisse, quos in Romana Synodo Gelasius Papa *Apocryphos* pronunciavit; quos S. Hormisda in Epistola ad Possessorem, *in auctoritate Patrum non recipere examen Catholicae fidei*, testatus est; quos Felix IV., ut Eminentissimus Annalium Parens animadvertit, *ejecit*; cujus *commenta* Synodus Africanorum Patrum in Sardinia exulum in Epistola ad Maxentium Archimandritam, veluti *veritati contraria, & catholicae fidei penitus inimica*, confixit; quem, ut est apud S. Isidorum (*c*), *Pelagianae pravitati consentientem*, S. Fulgentius in Africa, SS. Caesarius, & Avitus in Galliis, & Johannes Maxentius in Oriente, vehemen-

(a) Ibid. (b) In Apparatu V. Ruardus Tapper. (c) Lib. de Viris illustrib. cap. XIV.

mentissime exagitarunt: ut Oriens, & Occidens; & Africa, Sedes Apostolica, & Sanctissimorum doctissimorumque Praesulum Synodi, in eos libros damnandos, acrique censura configendos consenserint, quos tamen Ruardum vidimus fuisse veluti Catholicos exosculatum. Quod certe doctissimi Viri de Fausto ejusque libris judicium Possevinus, & Bellarminus haud immerito mirati sunt; idemque [quod Petrum de Soto sollicitum habebat] Patrum, Pontificum, & Conciliorum de Gratia dogmatum integritati infestum admodum erat.

VI Verum quod clarissimis illis societatis Jesu Theologis mirum haud injuria visum est; Jacobus Sirmondus ejusdem Societatis celeberrimus scriptor, postquam, ut de illo ait Eminentissimus Card. Norisius (*a*), sociorum litigiis effoeta aetate sese immiscuit, non adeo absonum judicavit: sed privatis affectibus indulgens, quum in Fausti defensionem exarsisset, propitium Fausto Driedonis & Tapperi testimonium avidissime arripuit. *Quin, & hac aetate nostra*, inquit (*b*), *non desunt, ac proximo ante saeculo non defuerunt Viri doctissimi, exactique judicii, qui in illorum* (hoc est Gennadii & Possessoris) *irent sententiam, atque in his, ne plures commemorem, clarissimae Lovaniensis Academiae duo lumina, Iohannes Driedo, & Ruardus Tapper, qui Faustum ambo, nec sine honore, Catholicum Ecclesiae doctorem nominarunt.* Sed Fausti maculae tales sunt, ut ad eas eluendas nihil doctissimorum hominum claritas nominis valeat, quae potius, ob suffragium illius Operibus additum, infuscatur: neque Fausti caussa Tapperi laudibus sublevatur, sed ob Fausti errores in ejus libris minime animadversos, Tapperi potius in his rebus auctoritas periclitatur.

Adjungit quidem ad Fausti laudatores ab omni prorsus suspicione liberandos, laudatus Sirmondus; existimandum non esse, *quod ea in Fausti libris non animadverterent, in quibus naturae nostrae ad fidei initium & alia, plus aliquanto tribuere visus est, quam par erat, sed quod haec, quae ab illo tunc scribebantur, quando ita fas fuit, ejusmodi non esse intelligebant, propter quae Catholici Nominis fieri jacturam oporteret.* At non id quaeritur; Catholicos ne fuerit

(a) Append. ad dissert. Historic. de V. Synodo cap.III. (b) Hist. Praedestinat. cap.VIII.

rit Faustus, an Haereticus; sed cujusmodi sint, Catholica scilicet, an Haeretica illius Opera, cujusmodi sit in Ecclesia Catholica, ubi de gratia, & libero arbitrio agitur, librorum ejus auctoritas; denique, an Faustus *regulam fidei*, perinde ac Ambrosius, & Chrysostomus, perfecte noverit. Ruardus enim ita Fausti libros interpetratur, ut ejus judicio in eamdem *fidei regulam* cum aliis Patribus, & ipso etiam Augustino consentiant. Quod profecto, quidquid Sirmondus, & alii quidam Lessii & Molinae Discipuli dixerint, prorsus ferendum non est; tum propter Sedis Apostolicae, Patrum, & Synodorum, quae praedictos libros velut haereticos exagitarunt, auctoritatem; tum ne Semipelagiana haeresis merum fuisse phantasma, & Praedestinatianorum inane figmentum existimetur. Si enim in Fausti scriptis, in quibus adeo aperte se prodit, & ubi eam Gelasius, Felix, Hormisda, & Romana Synodus, Caesarius, Avitus. & Synodus Arausicana; Fulgentius, Petrus Diaconus, & Africanorum Praesulum in Sardiniam ejectorum Concilium; vel maxime confixerunt, Semipelagianorum haeresim reperire non est; ubinam quaeso gentium infaustum illud monstrum occurret? quosnam libros velut ejus veneno adflatos cavebimus?

VII. Sed nec illud jure omnino sibi Sirmondus adsumit; animadvertisse Tapperum; ac proinde sedulo declinasse ea Fausti loca, *in quibus naturae nostrae ad fidei initium, & alia*, non solum *plus aliquanto tribuere visus est*, sed plus reapse tribuit, *quam par erat*. Quid enim? an non plus aliquid naturae nostrae tribuere visus est, quam par erat, quum ait; (*a*) quod *quamvis injuriam faciat divinae gratiae quisquis dixerit, hominem ex ingenitis legis naturae stimulis per vim liberi arbitrii posse credere, placere Deo, absque peccato, sive juste & recte vivere; non tamen eidem gratiae derogare videtur, si dixerit; hominem ex solis ingenitis naturae stimulis sese modo quodam praeparare aptumque facere, ad quem adjuvandum veniat Deus: non quod adjuvari mereatur, ut dicit Pelagius; sed quod se tam docilem, & tractabilem exhibeat, ut deceat Deum, & dignum sit ejus bonitate illum adjuvare: praesertim si per lumen rationis internae ad unum Deum ex mundi fabrica suspiret, eumque ut parentem diligat, adcolat; & injurias sibi fieri nolens, alteri non faciat: qui etiam si passione*

(a) Art. VII. pag. 218.

sione ac infirmitate, vel occasione alia victus, transgrediatur naturalis legis praecepta, ingemiscit ad Deum naturalis legis & naturae authorem. Et infra: *Sancti Spiritus ad praestandam gratiam bonitas, & liberalitas invitatur bono usu naturalium, non tamquam merito, sed ut dispositione, quam eum non decet contemnere*. Et rursum ait: quod ad gratiam *utcumque praeparatur* homo *bono usu naturalium*. Quo etiam faciunt verba illa Lovaniensibus Censoribus animadversa (*a*), quibus ait; *non reniti aliquem vocanti Deo* [quod quidem positum esse docet in naturali facultate liberi arbitrii] *etsi non sequatur: talem esse dispositionem, ut congruum sit, & deceat bonitatem Dei, ulterius auxilium ad consentiendum & sequendum non negare. Praesertim*, ut iidem observant, *cum testimonium ibi subjiciat iGandavensis, qui ait, mediam illam & negativam dispositionem, mer tum habere, non quidem de condigno, sed tamen de congruo, etiam gratiae ipsius justificantis: quod aliud non est, quam gratiam Dei secundum meritum nostrum dari*. In iis certe locis, in quibus Tapperus docet, posse hominem ex solis ingenitis naturae stimulis se se modo quodam praeperare aptumque facere ad quem adjuvandum veniat Deus; posse adeo se docilem & tractabilem exhibere, ut deceat Deum, dignumque sit ejus bonitate illum adjuvare; posse per lumen rationis internae ad unum Deum ex mundi fabrica suspirare, eumque ut parentem diligere, & colere, nec non ad eum ut naturae auctorem ob violata juris naturalis praecepta ingemiscere; in iis, inquam, atque ejusmodi locis Tapperus plus aliquanto quam par erat, naturae viribus tribuisse videtur; & minus etiam, quam par erat, a Fausti, & aliorum Semipelagianorum dogmatis, & erroribus recessisse: ut mirum non sit, cui tales opiniones placebant, Rejensis Episcopi libros minime displicuisse, ab eoque fuisse pro Catholicis existimatos.

VIII. Neque in solis Fausti libris evolvendis, sed in aliis etiam ad Semipelagianam Haeresim spectantibus monumentis, parum criterio & judicio valuisse Tapperum, constat. Agens enim de insignibus illis ac luculentis Prosperi & Hilarii ad Augustinum Epistolis, quae libris de Praedestinatione Sanctorum, & de Bono perseverantiae

M praefi-

(a) Justificat. Censur. Lovaniens. pag. 266.

praefiguntur; ait, S. Augustinum fuisse a Prospero, & Hilario per Epistolas reprehensum: *Prosper & Hilarius*, inquit (a), *reprehendunt Augustinum*; veluti quas S. Doctori in laudatis Epistolis adversus ejus de Gratia & Praedestinatione Doctrinam exponunt difficultates, querimonias, murmura, objecta, ex suo, & non tantum ex Massiliensium ac Semipelagianorum sensu repraesentarent; quo plane commento nullum excogitari, aut fingi potuit ab aperta lucidissimaque veritate magis alienum. Quid enim magis exploratum, aut in propatulo positum, quam fidissimos illos Augustini Discipulos, ejusque doctrinae intrepidos Defensores, eos ipsos, quos luculenter exponunt, damnare Semipelagianorum sensus, veluti Pelagiano dogmati adfines? *Quorum*, inquit Prosper, *tam abrupta dissensio primum propter ipsos metuenda est*, *ne tam claris*, *tamque egregiis in omnium virtutum studio Viris spiritus Pelagianae impietatis illudat*. Et rursum: *Quidam vero horum in tantum a Pelagianis semitis non declinant &c.* Et infra: *Unde quia in istis Pelagianae pravitatis reliquiis non mediocris virulentiae fibra nutritur &c.* Quid etiam magis apertum, quam Prosperum & Hilarium in eorum aut voluntatis obstinationem, aut intelligentiae tarditatem rejicere, Gallorum adversus Augustini libros obtrectationes? *Evenit*, inquit laudatus Prosper, *ex dispositione misericordiae Dei*, *ut quum quosdam intra Africam similia movissent*, *librum* de Correptione & Gratia *plenum divinae auctoritatis emitteres*. *Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato*, *putavimus omnes querelas resistentium sapiendas*: *quia universis quaestionibus*, *de quibus consulenda erat Sanctitas tua*, *tam plene illic absoluteque responsum est*; *quasi hoc specialiter studueris*, *ut quae apud nos erant turbata componeres*. *Recensito autem hoc Beatitudinis tuae libro*, *sicut qui sanctam atque Apostolicam doctrinae tuae auctoritatem antea sequebantur*, *intelligentiores multo instructioresque sunt facti*; *ita qui persuasionis suae impediebantur obscuro*, *aversiores quam fuerant*, *recesserunt*. *Quorum tam abrupta dissensio &c.* Et Hilarius; *Non solum absentia tua crucior*, *verum etiam pervicacia quorumdam*, *qui non tantum manifesta respuunt*, *sed etiam non intellecta reprehendunt &c.* Denique, quid magis exploratum,

(a) Exposit. Art. VII. Lovanien.

tum, & in aperta luce positum, quam Prosperum & Hilarium in iis Epistolis, non solum Augustinum minime reprehendere, sed summis tum ipsum, quem *specialem patronum fidei* Prosper appellat, tum ejus doctrinam laudibus efferre; omnia, quae ab ipso profecta erant, demisso pronoque animo amplecti; ipsum uti magistrum venerari, ab ejus sententia pendere, & in ejus auctoritate conquiescere? *Quia ..... omnium nostrum fatigatio*, inquit Prosper, *providente hoc praesenti saeculo Dei gratia, in tuae caritatis & scientiae vigore respirat; adde eruditionem humilibus, adde correctionem superbis*. Et Hilarius: *Nolo autem, Sanctitas tua sic me arbitretur haec scribere, quasi de iis, quae nunc edidisti, ego dubitem .... Ceterum hac suspicione in tantum careo, ut potius imfirmitatem meam, qua tales*; id est, qui Augustini doctrinam reprehendere audebant; *parum patienter fero, notabilem putem*. Et paullo post: *Quidquid, pro ea gratia, quam in te pusilli cum magnis miramur; volueris, aut valueris, gratissime accipiemus, tamquam a nobis carissima, & reverentissima auctoritate decretum*. Quibus ergo oculis Tapperus laudatas Epistolas legerat, quum scripsit, fuisse B. Augustinum ab Hilario, & Prospero reprehensum?

Neque in eo tantum culpandus venit Ruardus; sed in eo etiam & quidem maxime, quod quum ex iis Epistolis lacinias quasdam adtulisset, in quibus Semipelagianorum adversus Augustinum sensus, & opiniones continentur, eas postmodum Catholico sensu accipit, & cum Augustino conciliare studet. Quod tamen admodum mirandum non est; quum S. Doctorem *neque ab ipso Fausto*, quem ibidem ait, *optime* de his rebus *novisse regulam Fidei, re ipsa dissentire*, contendat. Fieri namque non potest, ut Semipelagianorum commenta, Prosperi, & Hilarii Epistolis comprehensa, non in bonam partem acciperet, sed velut haeretica repudiaret, qui Fausti libros veluti Catholicos, & Fidei regulae consonos amplectebatur. Quare non injuria de Tappero, Antonino Reginaldo observatum videtur; (a) quod *omnino videtur ipsos Semipelagianos tamquam Catholicos recipere*. Locus profecto neque ex ejus Epistolis, neque ex Expositione Articuli Septimi de libero Arbitrio, ubi data opera de his rebus

 differit

(a) De ment. Conc. Trident. P. 2. cap. 75.

disserit, adferri potest, in quo Semi-Pelagianam haeresim, & Semipelagianos haereticos nominarit: quare ipsi parum lucis oportet ad hasce illustrandas controversias adfulsisse. Quapropter, uti laudatus Reginaldus animadvertit, *videre est, illum varium, & ancipitem, nunc una, nunc illa sententia utentem. Aliquando videtur negare, gratiam ad singulos actus esse necessariam, sed sufficere ad primam finis intentionem; aliquando idem videtur adstruere. Modo auxilium sufficiens adesse semper omnibus; modo contrarium sibi videri probabilius. Modo Deum ad actus etiam ordinis naturalis prius natura concurrere, atque caussas secundas ad actus applicare; modo plane oppositum docere*. In quo etiam a Gaspare Casalio Episcopo Leiriensi, in Opere *de Quadripartita Justitia* (b), quod Concilii Tridentini Legatis, ceterisque Patribus obtulit, e quorum ipse numero erat, illud gravissime animadversum; quod; hominem per solos habitus infusos Fidei, Spei, & Charitatis, cum solo generali auxilio, absque speciali gratia actuali, ad opera pietatis actu exsequenda, progredi posse, docuerit. Quod pluribus SS. Augustini, ac Thomae auctoritatibus confutare doctissimus ille Praesul adgreditur; *ut mirum sit*, inquit, *auctorem illum Ruardum, ad adstruendam suam commentitiam opinionem, ausum esse Augustinum, vel S. Thomam allegare*. Et infra de eadem Ruardi opinione loquens: *Nos autem*, inquit, *talem doctrinam nequaquam recipimus, quinimmo illam fugimus, & fugiendam esse declaramus*. Quamquam, ut sibi more suo minus Ruardus constans, & hoc ipsum, uti laudatus Casalius observat, postea corrigere videatur, seseque ad commune dogma recipere.

IX Id unum ad excusandum Tapperum, ut iisdem Casalio, & Reginaldo pariter observatum est, adferri posse videtur; quod haec omnia, non tam adserendo, quam disputando protulerit: quod ipsemet haud semel declarat, & aperte profitetur hisce, aut similibus verbis: *Quae omnia tamen dicta esse velim sine ulla assertione, ut diligentioris investigationis detur occasio*. Sed hoc tamen ipsum haud obscuro argumento est, quam parum in his rebus valuerit. Qui enim S. Augustini, Patrum, Pontificum, & Conciliorum, quinti praesertim, ac proxime sequentium Saeculorum, quorum est in iis, quae

(a) P. 1. lib. 1. cap. 7.

quae ad gratiam pertinent, excellentissima auctoritas, Canones, ac sensus intime rimati sunt, in ejusmodi controversiis versandis, ac dirimendis, ancipites esse nequeunt, varii, inconstantes, & in omnem partem versatiles: *Haec est enim*, ut optime Tertulianus animadvertit (a), *veritatis integritas, & quae ei debetur disciplinae plenitudo, & aequalitas timoris, & fides obsequii, non mutare sententiam, nec variare judicium. . . . Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt*: ideoque fixum esse oportet, ac stabile eorum de divinis rebus, ac mysteriis judicium, qui haec ad divinae auctoritatis momenta, & Scripturarum, ac traditionis regulas exigunt: contra vero, eorum varium, & instabile, qui in hisce dijudicandis humanae tantum rationis momentis utuntur.

Quum is itaque fuerit Ruardus, & tam fluxa sit in iis, quae ad gratiam pertinent, ejus auctoritas; neque est, cur Molinianae Scholae Tapperum invideamus, neque cur ejus suffragio admodum sibi Duchesnius blandiatur. Habeat sibi Ruardum, &, si libet, Faustum, & Gennadium, ac ceteros Massilienses, quos ille Duces sequutus est, & quos judicavit optime novisse regulam Fidei. Nos cum Soto nostro bona fide dolemus, hominem ejusmodi, dum eorum vestigiis insistit, ab Augustini semitis quam longissime recessisse. Quapropter quamvis ejus in aliis rebus suscipiamus, ac veneremur auctoritatem; in iis tamen, quae in conciliandis divinae gratiae auxiliis cum humani arbitrii libertate versantur, Sotum illi praeponimus, quem uni Augustino prae ceteris studuisse, in ejus doctrinae adyta penetrasse, *tutissimaque, & inconcussa* ejusdem S. Doctoris de Gratia vi sua efficaci, & gratuita Praedestinatione dogmata suis momentis librasse, postea videbimus, quum ad ejus alteram Epistolam propius inspiciendam accedemus.

AR-

(a) Lib. de Spectac. cap. 29.

ARTICULUS SECUNDUS.

Analysis Epistolae Ruardi Tapperi ad Petrum Sotum.

PLura quidem in Ruardi Tapperi Epistola ad Sotum animadversione digna passim occurrunt: Sed in iis tamen exponendis minime nunc immorabor, quod ea Sotus ipse in sua ad Ruardum responsione adcurate discusserit, ac nullum fere apicem praeterierit, quem non in omne latus versaverit, & ad lancem, ac trutinam revocaverit. Quare, quae in hisce Ruardi literis adnotanda essent, ab iis sejungi nequeunt, quae circa sequentem Soti Epistolam animadvertam. Ad quae tamen penitus intelligenda, ut planior, ac facilior aditus praeparetur, Literarum Tapperi Analysim exhibebo, ac illius disputationis principia, ac praecipua doctrinae capita breviter indicabo:

Ab ipso Epistolae exordio, quanti ipse faceret, ubi de gratia, & libero arbitrio differitur, Augustini, & Angelici Doctoris; *qui*, inquit, *in hac materia ne ad latum quidem unguem ab Augustini vestigiis discedit*; auctoritatem, splendidis verbis Soto Tapperus significat, eoque nomine sese apud eum magnifice praedicat,& commendat. Nam plurimum et qui SS. Augustinum, ac Thomam minus sequuntur, vel maxime Augustiniani, ac Thomistae videri volunt: cum iis enim SS. Doctoribus, uti Ruardus subjungit, *concordant & veteres Scriptores Ecclesiastici, qui ante Augustinum, & post eum scripserunt*. Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui post Augustinum scripserunt, haud dubium, quin & Faustum computet, quem alibi ait ab Augustini sententia minime dissentire; ut mirum non sit, si tam parum sibi cohaereat, qui ad Augustinum, & Faustum invicem conciliandos adgressus est. Id tamen scite a Ruardo observatum est; quod „ qui Augustinum, & Pelagium praecesserunt, non ita „ distincte, & clare (nondum mota quaestione per haereticos super „ hac materia) veritatem, quam concorditer senserunt, tradide- „ runt, sicut Augustinus, qui diligentissime totam hanc materiam „ gratiae, & liberi arbitrii secundum Scripturas Sacras excussit, &

„ exa-

„ examinavit, adactus ad perpetuam conflictationem, quam ejus „ temporibus habuit Ecclesia Christi, cum Pelagio, & ejus discipulis, QUAM CHRISTUS DOMINUS EJUS MINISTERIO ILLUMINAVIT, UT PLENE INTELLIGERETUR „ A FIDELIBUS GRATIA DEI PATRIS IN CHRISTO DOMINO EXHIBITA, ne ingrati essemus huic inenarrabili bene- „ ficio, quod Dei Patris immensa benignitate accepimus. Haec difficile conciliaveris cum iis, quae de eodem S. Augustino Molina postmodum scripsit (*a*): S. Doctorem sub quadam *quasi caligine constitutum*, ad quaedam, de Praedestinatione, & gratiae distributione ipsi Molinae animadversa, non attendisse; *quae* tamen *si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana haeresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot Fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent: facileque Reliquiae Pelagianorum in Gallia . . . fuissent extinctae . . . Concertationes denique inter Catholicos fuissent compositae*. Non itaque, ut Tapperus ait, Augustini ministerio, qui, ut est apud Molinam, sub ea quasi caligine positus Fidelium corda turbavit, & ad Pelagianos deficere coegit; sed ipsius Molinae Opera Christus Dominus Ecclesiam illuminavit, ut mysterium Gratiae Dei plene a Fidelibus intelligeretur. Et ii tamen sunt, qui Tappero Magistro gloriantur. Utinam quemadmodum aliquot Tapperi opiniones, in quibus minus sequendus erat, reapse sequuti sunt: ita ejus in Augustinum obsequium plerique eorum imitati fuissent, neque S. Doctorem; ut apud Norisium (*b*), & alios (*c*) cernere est; adeo inverecunde traduxissent.

Primo loco ex Ruardo Sotus quaesierat: An *sine gratia quadam omnibus communi*, ac versatili, & a liberi arbitrii flexu, & humanae voluntatis, nativaeque hominis facultatis nutu, atque arbitratu pendente, *liberum salvari possit hominis arbitrium*; *atque adeo illa detur omnibus*. Secundo: *An libero arbitrio primo discernatur justus a Peccatore, & magis justus a minus justo*.

Ut iis quaestionibus satis Ruardus faciat, praemittit quaedam, ut

(a) I.P. Quaest. 23. art. 4. disput. 1. memb. 6. (b) Vid. Vindic. Augustinian.
(c) Hist. Cong. de Auxil. lib. 1. cap. 13. & 14.

ut ait, ex Augustino principia. Primum ex variis S. Doctoris locis desumtum est: (c) *Multa facit Deus bona in homine, quae non facit homo: nulla vero facit homo, quae non facit Deus ut faciat homo.*

Secundum principium est; quod ad arbitrii libertatem pertinet ferri posse in diversa; eligendo scilicet hoc vel illud, & simul eadem refutando.

Tertium est, quod usu Patrum, & praecipue B. Augustini, gratia necessaria vocatur divina suasio, suggestio, illuminatio, pulsus ad ostium cordis, & universaliter effectus Dei gratuitus, qui natus est salutem hominis promovere.

Quibus ut principiis praemissis, respondet ad primam quaestionem; quod circa opera civilia, & naturalia, liberum arbitrium gratia destitutum, liberum manet in eligendo, & refutando: Sed ad eligenda ea, quae sunt pietatis, & religionis Christianae, si homo gratia omnino destitutus sit, non manet liberi arbitrii usus, nec locum in illis habet libera hominis electio: quare nec peccat, si sese ad Deum cor hominis non convertat.

Sed an aliqui sint homines, qui gratia vel omnino, vel aliquando destituantur; non una circa celebrem hanc quaestionem propositione suam Ruardus aperit mentem. 1. enim statuit, quod non omnibus, & singulis semper adest, ne adultis quidem & utentibus ratione. 2. quod *extra omnem est disputationem, parvulis* (decedentibus sine baptismo) *& amentibus non adesse.* 3. Quod pie creditur a multis Doctoribus Sanctis, aliquando adesse omnibus, & secundum temporum vicissitudines. 4. quod ex Scripturis Sanctis, neque hoc, neque contrarium efficaciter probari potest; quod neutrum Scripturis adversatur; quod utrumque potest sine periculo haeresis adfirmari. 5. quod omnibus per aequalem gratiam adsit Deus, improbabile videtur, & Scripturis adversum. 6. quod nec injustitiae argui posset Deus, nec misericordiae ejus praejudicaretur, si dignis deseri, & in aeternam damnationem statim praecipitari, gratiam, qua sola converti possunt, largiri nollet; sicut nec si insanos faceret, vel rationis usu privaret. 7. quamvis omnes, *ut pie creditur*, a Deo vocentur, hanc tamen intercedere inter filios, sive ele-

(a) Lib. cont. duas Epist. Pelagianor. cap. 19, & alibi.

electos, & alios differentiam; quod illi vocantur, & monentur [f. moventur] quomodo natos, & dispositos novit eos Deus, ut sequantur; ut dicit B. Augustin. q. 2. ad Simplician. alios vero vocat, non sic quod sequantur, sequi tamen possint. 8. quod ejusmodi discrimen saepe magis est ex qualitate, & affectu eorum, qui vocantur, quam sit ex vocationis, inspirationis, aut suasionis varietate, ac differentia.

His circa primam quaestionem constitutis; ad alteram ex propositis sibi a Soto controversiis Tapperus transit, ac primo generatim ait: quod bonus usus gratiae, qui est Deo vocanti respondere, & gnaviter Dei dona acceptare, nostri est liberi arbitrii; & quod liberum cuilibet est, gratia data per ipsam liberi arbitrii vim, & naturam recte uti, vel eamdem respuere. Quod variis probat auctoritatibus; primo Gennadii cap. 22. de Ecclesiasticis dogmatibus; deinde S. Augustini lib. de Sp. & lit. cap. 34., & praecedentibus, de Bono persever. cap. 14., & lib. 83. qq. quaest. 68.

Eamdem vero conclusionem magis explicans ait 1. quod justus tentatione pulsatus fornicationis in eam potest consentire sua illectus & abstractus coucupiscentia: potest etiam eam detestari permanendo in Justitia, nulla nova accedente gratia. Et sicut justo liberum est, & in ejus potestate positum, fornicari, & eam tentationem repellere: ita peccator praeventus Dei vocatione interna, eam, & sequi potest, & rejicere.

2. Quod usus gratiae, quo acquiescimus salutari admonitioni, suasioni, vocationi internae, & quo pulsanti ostium cordis aperimus, quibus ex parte objecti inclinatur voluntas, & proprie ad intellectum pertinet; exigat, quod adhuc per aliam Dei gratiam immediate inclinetur, accommodetur, ac flectatur effective voluntas, nihil variat hanc voluntatis libertatem in ipso libero usu gratiae.

3. Quod Salvator solum in actu intellectus videtur ponere, quod requiritur ad veniendum; & quod inclinatio voluntatis quoad exercitium actus effectiva, semper comitatur inclinationem, quae est ex suasione, & ita ex parte objecti quasi in genere caussae finalis, ut proprio fini divino, divina respondeat efficientia.

4. Quod fortassis non est necessaria specialis haec & nova gratia

N effi-

efficiens, ut homo actu, ac re ipsa velit: & quod dici forsitan potest quod Deus velle operatur in nobis suadendo, ut velimus, quae sunt ei grata, & aliis modis intellectum informando, ut libenter sequatur voluntas quod ei persuasum est.

5. Quod haec efficientia, si necessaria ponitur, praesto est, & praeparata semper, sive sequamur suasionem, sive illam negligamus, ut scilicet sit nobis liberum eam sequi, etiam dum actu non sequimur.

6. Quod non solum liberi arbitrii nostri sit bonus usus gratiae, sed etiam per vim, & naturam liberi arditrii, docet, inquit Ruardus, B. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 22.

Ex quibus tandem efficit, quod discretio bonorum, qui usum habent rationis, a malis, & meliorum a minus bonis, est Dei donum; quod tamen largitur mediante ministerio nostro, nostraque cooperatione libera: & ita a nobis quoque divinitus motis, & directis est haec discretio.


Objectas a Soto Scripturae, & S. Augustini auctoritates ita accipit, ut valida quidem subministrent argumenta adversus Pighium, ejusque *sententiam periculosam*; sed nihil militent adversus doctrinam superioribus propositionibus comprehensam. Nam & nos, inquit, docemus, quod paribus exsistentibus meritis, electioni gratiae tribuenda sit salus, sed electioni gratiae vocantis, & suaviter dirigentis, ut ex judicio libero, & libere, cum metu, & tremore nostram operemur salutem.

Non esse dividendum in opere bono inter liberum arbitrium, & gratiam Dei: quidquid enim facit liberum arbitrium, facit & Dei gratia; & multa facit Dei gratia sine nobis, nostroque libero arbitrio.

Pelagianam esse sententiam, quod ex praescientia boni usus gratiae, quam omnibus volunt offerri aequalem, vel abusus, & negligentiae, aliis praeparet Deus praemium, aliis aeternum supplicium.

Denique approbat Eckii, & Dominici de Soto doctrinam de merito hominis praecedente justificationem; neque de illa esse admodum contendendum, dum hoc nomine intelligatur congruitas, & de-

decentia divinae pietatis. Nam praeparationes, inquit, praecedere justificationem, indubitatum est ex Scripturis, ut etiam docet B. Thomas. An autem hae praeparationes possint dici meritum congrui, non est quaestio Fidei: & B. Thomas aliquando sic vocat, alibi dicit, quod non sunt merita.



CAPUT IV.

De altera Petri a Soto ad Ruardum Tapperum Epistola.

ARTICULUS UNICUS:

Analysis alterius Epistolae Petri Soti ad Ruardum Tapperum.



X tribus principiis, quae Ruardus veluti sui de Gratia, & liberi arbitrii cooperatione systematis fundamenta posuerat; primum sibi Sotus priore loco excutiendum, atque examinandum sumit. Et quidem quod in eo principio primum statuitur; nihil boni omnino nos facere, quod non faciat Deus, ut nos faciamus: nec dividendum esse aliquod boni operis, quod sit gratiae, aliud, quod sit liberi arbitrii; certissima, inquit, fide tenemus, tanquam certissimis Scripturae, & S. Augustini testimoniis comprobatum.

Quod etiam ex eo Ruardus collegerat, gratiam scilicet, qua opus habemus, ut convertamur, non solum dare ut possimus converti, sed efficere ut convertamur; & nos, inquit, tamquam inde necessario consequens, tenemus certa fide: ut & differentiam gratiae, qua primus homo ante peccatum donatus est, & quae nunc Sanctis, ac praedestinatis confertur. Ex his vero tamquam certissimas colligit sequentes propositiones.

1. Quod omnino recte & christiane aliquid operans hanc habet gratiam, qua scilicet fit ipsum bonum opus, quam idcirco efficacem vocamus: & contra omnis secus operans, aut deficiens a recta regula, Christiana hac gratia caret.

2. Pari fide tenendum; hanc gratiam, de qua Scriptura & Patres loquuntur, quamque ad singulos actus bonos necessariam esse, & dari, antiqua Concilia, & Augustinus contra Pelagium affirmant; non esse quamcumque inspirationem, sive bonae cogitationis immissionem, vel sancti alicujus propositi suggestionem, vel pulsum cordis; non, inquam, esse aliquid horum solum, sed Dei efficacem operationem & motum, quo in Anima nostra & voluntate, & cum ea, atque per eam efficit ipsam voluntariam operationem bonam,

hoc

hoc est, ipsum velle, credere, vel quodcumque aliud bonum opus.

3. Cetera illa Dei dona, pias cogitationes, pulsus cordis &c. quibus non efficitur bonum velle, & quae sufficientis gratiae nomine insignita sunt, alterius esse ordinis ab ea gratia, quae bonam gignit in homine voluntatem.

4. Quaecumque sit in homine vel justo, vel peccatore, seu per naturam, seu per gratiam vel habitualem vel actualem salutaris operis possibilitas; fieri tamen actu ac reipsa, seu possibilitate cum effectu conjuncta, non posse opus bonum, novo non adveniente auxilio, quo fiat ut faciamus. Porro hujusce adjutorii necessitatem in ipso quoque statu naturae innocentis agnoscit.

5. Hanc gratiam multis subtrahi, vel omnino, ut iis, qui numquam ex caritate bonum voluerunt; vel aliquando, sed non finaliter, ut peccatoribus ad vitam praedestinatis; vel certe finalitèr, nempe praescitis ad damnationem; aliis vero conferri, idque nullo in his praecedente discrimine; imo nonnunqnam praecedente etiam discrimine, quo cui subtrahitur, vel natura, vel moribus propinquior illi erat; & cui conceditur, remotior.

6. Fidei pariter, inquit, esse putaverim, in hoc discrimine, quo alii vocantur, alii deseruntur; idque procul dubio Dei aeterna atque inscrutabili ordinatione; non semper praecedere vel demeritum, vel reatum, quo quis adstrictus sit damnationi aeternae.

7. Primam caussam contingentiae rerum & radicem, juxta Beatum Thomam, esse divinae virtutis efficaciam: quoniam quidquid Deus vult, ita ut vult, esse oportet, unde merito sequentem colligit consecutionem. Usque adeo ergo credimus, ex divina cooperatione & auxilio non auferri libertatem arbitrii, ut potius dicamus, maxime stabiliri.

8. Deum, quemadmodum ut uniuersalis agens ad naturalia opera efficacitèr movet voluntatem, non proponens vel suadens tantum, sed in eam imprimens, ipsamque effectiue inclinans: ita per omnia ut gratiae distributorem ad opera gratiae non minus efficienter atque efficaciter voluntatem movere.

9. Sicut Dei cooperatio sive naturae, sive gratiae, ejusque auxilium

lium libertatem non aufert arbitrii : ita etiam nec ejusdem subtractio ulla ratione ipsa nos privat; quae nihilominus efficacis adjutorii subtractio sola divina voluntate, ut suprema videlicet caussa, saepe contingit.

His circa primum Ruardi principium observatis, ad secundum de Arbitrii libertate Sotus progreditur, quo ab eodem Tappero diffinitum est : non esse libertatem, ubi est necessitas, & ad unum aliquid determinata facultas. Quamvis autem nolit hac de re cum Ruardo contendere; observat tamen ex Augustino lib. 5. de Civit. Dei cap. 10., & alibi, aliam esse necessitatem coactionis, eamque libertatem auferre voluntatis : aliam inevitabilitatis, eaque notionem libertatis minime everti. Quare S. Augustinus lib. de natur. & Grat. cap. 66. Pelagio adfirmanti : Quod *voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur*; non adeo facile id concedendum existimavit, sed ait : *& hic nonnullam esse quaestionem &c.* Itaque ad notionem ac generalem ideam libertatis, non adparet, inquit, requiri potentiam aut indeterminationem ad utrumque oppositorum, quam nonnulli *quoad specificationem* vocant : sed sufficere vel libertatem a coactione, vel certe libertatem secundum exercitium; quamquam hoc in Beatis nonnulli non admittant; in quibus tamen non minus, imo ut Augustinus vult, magis quam in aliis est libertas arbitrii. Quamobrem sequens Ruardo dubium proponit : Quare ad libertatem actionum nostrarum requirat, posse in opposita ferri; cum nec S. Augustinus, nec D. Thomas hoc requirant, nec certa aliqua ratio vel fides postulet.

Secundo, id etiam ex Ruardo petit, ut clarius ac luculentius exponat : An ad libertatem eam potentiam requirat, quae propria virtute, aut eam sufficere existimet, quae alterius adjutorio nitatur; : id enim non parum referre ad institutam de divina gratia disputationem.

Circa tertium principium, quo Ruardus vocabulo Gratiae ex Patrum & Augustini usu significari adserebat, divinam suasionem, suggestionem, illuminationem, pulsum ad ostium cordis &c. varias excitat difficultates, quae ex superioribus pendent, quae circa primum principium observata sunt.

Ex-

Excussis principiis, quibus Epistolaris Ruardi de Gratia disputatio nitebatur; ejusdem ad primam quaestionem responsum ad sex Sotus revocat propositiones, quas singillatim examinat. Prima propositio habet: Hominem gratia destitutum carere libero arbitrio ad pietatis opera. Id vero Soto nimis absurdum videtur, & Scripturae ac Patrum auctoritatibus repugnare: Sufficere, ut sit liberum arbitrium ad ejusmodi actiones, ut sint absolute possibiles: nec requiri, ut sint possibiles, ea possibilitate, quae cum effectu sit conjuncta, cujusmodi scilicet per gratiam efficacem libero arbitrio tribuitur. S. Augustini auctoritates, quibus probare Tapperus nitebatur, non esse in homine gratia destituto liberum ad actus supernaturales arbitrium; ideoque ipsi non imputari peccata, quibus praecepta supernaturalia violat; quomodo accipiendae sint, demonstrat: atque, ut apertius, inquit, dicamus, quid de hoc Augustinus & Ecclesia sentiant, in duobus his putavimus esse constitutum.

Primo, quod in omni homine, sive ante peccatum, sive dum peccat, sive post, & tandem in quocumque statu & tempore, manet liberum arbitrium, non modo a coactione, sed & a necessitate immune.

Secundo, quod per peccatum infirmatum atque attenuatum est liberum arbitrium, ut nonnisi per gratiam bonum aliquod facere possit.

Tertiam (Ruardi) Propositionem, in eo, inquit Sotus, quod adserit, non solum posse peccatorem destitui auxilio gratiae, sed quandoque non solum parvulos, sed & adultos actu destitui, semper habuimus certissimam ex Scriptura, & Patrum doctrina, praesertim Augustini.

Circa quartam propositionem sequentia Sotus animadvertit. 1. inquit, quod in ea dicitur; contra Scripturam esse, omnibus per aequalem gratiam Deum adesse, pari ratione ut certum fidei dogma confitemur.

Secundo, si hoc semel nobis detur; de altera, inquit, pia & probabili sententia, quam vocas; quod omnibus dentur inspirationes & sanctae cogitationes, non est, quod disputemus; ac libentissime sensui alieno & auctoritati volumus credere magis quam nostro: modo

do alterum non concedatur; scilicet quod gratia Christi simpliciter, idest, efficax omnibus detur, vel ejus privatio auferat liberum arbitrium.

Tertio, non improbabile videri, multos nunquam inspiratione, aut bona cogitatione ad poenitendum, & recedendum ab infidelitate & peccatis, a Deo tangi, propter plurimos infideles sectae suae devotissime addictos.

Quarto, His tamen dari beneficia a Deo, propter quae juste sunt inexcusabiles, ut Paulus inquit; quod & scripturae & Augustini auctoritates efficaciter probant.

Quinta ex Ruardo propositio habet, quod inter filios, seu Praedestinatos a Deo, & alios discrimen est; quod illi vocantur, sicut novit eos Deus dispositos esse ut sequantur: alii vero non sic ut sequantur, sed ut sequi possint. Id vero saepius esse ex qualitate eorum, qui vocantur, quam ex differentia vocationis sive inspirationis divinae, quia eadem vocatione saepe alius trahitur, alius non trahitur.

Sexta propositio; Aliqui habent gratiam ut sequi possint, non tamen ut sequantur, alii vero ut sequantur: & hoc discrimen ex eorum dispositione est, non ex vocatione divina.

Utramque propositionem excutit, & variis rationibus, & Augustini imprimis auctoritatibus refellit Petrus a Soto. Quanti vero sit in ejus disputatione momenti, speciali articulo examinabimus.

Difficultatum & controversiarum non minus uberem proventum adtulit Soto Ruardi ad ejus alteram quaestionem responsum de usu gratiae ex nativa facultate liberi arbitrii. Et si quidem nil aliud sibi Ruardus vellet, quam bonum usum gratiae ab ipso libero arbitrio produci, ab ipsa ejus natura libere promanare, sed prius a Deo mota, ut instrumentum movetur a principali agente; nulla, inquit, esset inter nos controuersia. Et nos enim, ait, fatemur, gratiam Dei non auferre liberum arbitrium, sed semper ei nos libere cooperari; atque hac in re convenimus. Hoc itaque quaerebamus: An liberum arbitrium gratia aliqua donatum a Deo, qua tamen non credidit, vel bonum perfecte voluit, possit absque alio gratiae adjutorio, sola sua

vir-

virtute actum illum producere. In qua certe quaestione id sibi Sotus ex Ruardi literis aperte colligere videbatur; ita libero arbitrio bonum usum gratiae ab eo tribui, ut tamen ipsum non nisi motum a gratia id facere doceret. Quare, subjungit, & ita nobiscum sentire videris, QUI NON ALIUD AGIMUS, QUAM UT NIHIL IN LIBERO ARBITRIO, QUOD NON SIT GRATIAE, CONCEDATUR.

Sed dum omnia Sotus secum perpenderet, quae de hoc argumento in Ruardi literis continebantur, aqua illi haerebat, neque Lovaniensis Cancellarii adeo explorata mens erat, ut diffinire auderet: an Deum boni usus gratiae caussam vere efficientem agnosceret: an potius in ea quorumdam opinione versaretur; Gratiam & Praedestinationem Dei caussam salutis supremam & remotam esse, a qua tantum sit boni supernaturalis facultas. Id vero, inquit, aperte dico Augustino, & Scripturae repugnare, & apertissimae rationi, & fidei. Quod deinde variis sacrarum literarum, & S. Doctoris testimoniis, ac Theologicis argumentis demonstrare adgreditur; ac subinde duas statuit propositiones, in quibus tota, inquit, sita est perplexae hujus difficultatis ex Augustino resolutio.

Prima est: nihil boni ab ipso etiam principio salutis & justificationis a nostro libero arbitrio esse, quod non a Deo per gratiam producatur, liberum ipsum arbitrium movente, idque per illud producente.

Secunda propositio: Omnem nostram bonam voluntatem, & opus bonum praecedit Dei gratia, quae est proxima & efficax ejus caussa; quamquam bona nostra voluntas & opus bonum praecedat saepe quasdam alias gratias, quae praecedentis bonae voluntatis & operis caussa non sunt.

Sed illud imprimis Soti animum admiratione compleverat, quod ex Ruardo acceperat: adserere Augustinum, bonum usum gratiae nedum esse liberi arbitrii, sed & per vim & naturam liberi arbitrii. Liceat, inquit, mihi fateri quod sentiam: Non puto, aliquid magis esse contra Augustinum, nec apertioribus verbis adseri posse, gratiam non esse necessariam. Quod invictis rationibus & argumentis demonstrat.

Adversus Ruardi responsa, quibus ea labefactare conatus fuerat, confirmat quae in priore Epistola produxerat argumenta.

Denique quae sibi in Ambrosio Catharino, Dominico Soto, Eckio, & Vega minus probabantur, dearticulatius exponit; in quibus quae notatu digna videri poterunt, distinctis articulis explanabuntur.



CA-

CAPUT V.

In praecedentes Ruardi Tapperi, & Soti Epistolas.

Notae, & observationes.

ARTICULUS PRIMUS.

Quae de primo Ruardi principio Sotus docet, examinantur, Scripturarum, & Patrum auctoritate confirmantur, & a Duchesnii calumniis & objectis vindicantur.



Uum ergo Soti animo ejusmodi insederint opiniones; quid mirum, si Molinianus Scriptor Historiae suae pretium se facturum existimaverit, dum in egregium Theologum haeretici dogmatis insidiam declinaret? Sentiebat enim, quam Scholae suae incommodum esset, ejusmodi Viro, qui antequam eae de auxiliis divinae gratiae controversiae Praedicatores inter & Jesuitas excitarentur, summam & pietatis & sapientiae laudem consequutus fuerat, pro totidem pene fidei articulis, aut articulorum consectariis habita fuisse ea dogmata, quibus Thomistae a Molinianis Theologis disjunguntur. Quapropter quum Soti disputationem, & quibus illa nititur gravissimarum rationum momenta, frustra se adgressurum praesensisset; tanti Viri auctoritatem elevare, eumque a ferendo in hisce controversiis testimonio depellere, iniquissima haereseos objecta criminatione, callide cogitavit. Efficiam tamen, ut ejus consilium irritum cadat, & intentatae optimo Viro calumniae inconsultum accusatorem poeniteat: adeo Theologum nostrum totum Catholicum; totum Augustinianum, totum Thomistam evidentibus argumentis ostendam. Nihil porro eorum, ex quibus illi Adversarius invidiam conflare adgressus est, dissimulabo; omnia vero, cum ad Veterum Patrum, & Conciliorum, & Apostolicae Sedis decreta; tum ad purioris ac severioris Theologiae canones exigam. Lectorem interim rogo, ut animum velit advertere, quibus Thomisticum de auxiliis divinae gra-

tiae systema fundamentis inaedificatum sit, & quinam fuerint de istiusmodi controversiis, antequam Praedicatores & Jesuitas committerent, Viri summi, consummatique Theologi sensus.

§. I.

Ex S. Augustino, adlatisque ab eo Scripturarum & Patrum testimoniis, nec non rationibus Theologicis, primi illius Principii veritas demonstratur.

RUardus Tapperus, ut in ejus Epistolae Analysi observatum est, primum hoc suae disputationi statuit ex Augustino principium: *Multa facit Deus in homine bona, quae non facit homo: nulla vero facit homo, quae non facit Deus, ut faciat homo.*

Sotus ejusmodi principium non modo amplectitur, sed certissima fide se illud tenere, ac semper tenuisse profitetur, tamquam Scripturae sacrae, & Catholicae doctrinae consentaneum; imo tamquam certissimis sacrarum literarum testimoniis comprobatum.

Quin & illud adjungit, adeo de illius principii veritate constare, ut ullus unquam nec Catholicus, nec Haereticus aperte illud inficiari sit ausus: quamvis multi nonnulla doceant adeo exploratae non admodum consona veritati.

Denique illud appellat certissimum, & stabile fundamentum, unde, inquit, putavi, cuncta fere, aut certe plurima eorum, quae in hac materia scitu sunt necessaria, elici posse.

Quanti referat, haec omnia probe stabiliri, atque in bono lumine collocari, nemo non videt; quum ex principiis recte, aut secus constitutis, faustus, aut infelix totius disputationis exitus pendeat. Ex Deo, quidquid in homine boni est, aut per hominem fit, tamquam ex primaevo fonte profluere, Scripturae, & Doctrinae Catholicae consonum esse; locupletissimis sacrarum literarum testimoniis, & gravissimarum rationum momentis demonstrat Sotus. Ea vero & olim in ejusdem veritatis confirmationem a D. Augustino producta fuerant, ac sedulo enucleata. Primum locum adfert ex lib. 2.

de

de Peccator. merit., & rem. cap. 18. „ ubi, inquit Sotus, ex verbis illis Pauli: *Quid habes, quod non accepisti?* Et: *Deus operatur in nobis velle, & perficere*, docet (Augustinus) frustra laborare eos, qui quaerunt in voluntate nostra, *quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo.*

Quoniam vero Pelagiani illum Apostoli locum sic accipere voluerunt, ut dicerent: *Ideo quidquid etiam bonae voluntatis habet homo Deo tribuendum esse, quia & hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset. Quum vero ut sit aliquid, atque ut homo sit, non habeat nisi a Deo; cur non auctori Deo tribuatur etiam quidquid in illo est bonae voluntatis; quod non esset, nisi esset, in quo esset?* Quoniam, inquam, Pelagianis, ad eludendam Apostolici testimonii auctoritatem, haec comminisci libuit; quam hoc eorum commentum esset inane; S. Augustinus sequenti demonstravit argumento: *Nisi* inquit, *obtineamus, non solum voluntatis arbitrium, quod huc, atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & male uti malus potest; sed etiam voluntatem bonam, quae jam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse; nescio, quemadmodum defendamus quod dictum est:* Quid enim habes quod non accepisti? *Nam si nobis libera quaedam voluntas ex Deo est, quae adhuc potest esse vel bona, vel mala; bona vero voluntas ex nobis est: melius est id, quod a nobis, quam quod ab illo est. Quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur, etiam bonam voluntatem nos divinitus adipisci*: Hoc itaque Pelagianorum frustum (& ipsi enim aliorum instar haereticorum in plures sectas discisi sunt) bonam hominis voluntatem, & quidquid ex ea boni operis dimanat, hac una tantum ratione in Deum referendum existimavit, quod ipse liberum arbitrium, omnium humanorum actuum principium, in homine condidisset.

Sed alii fuerunt, quos tantae absurditatis puduit, atque ideo quodam temperamento leniendam, ex eaque quidquam dethahendum esse duxerunt, ut bonae quidem voluntatis, ac boni operis perfectionem divinae gratiae acceptam referrent; sed bonae voluntatis initium libero arbitrio, proindeque Deo dumtaxat, ut naturae institutori, tribuerent. Hos etiam laudatus S. Augustinus pluribus

sa-

sacrarum literarum testimoniis refellit, quibus perspicue demonstrat, non modo bonae voluntatis, atque operis consummationem ex Deo esse, sed ipsius quoque bonae voluntatis initium; atque inter cetera haec habet, quibus tum illud, de quo nunc agimus, usurpatum Ruardo principium comprehenditur; tum quae sit ejus vis, & quis esse valeat illius usus haud obscure declaratur: (*a*) *Multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo: nulla vero facit homo, quae non facit Deus, ut faciat homo. Proinde cupiditas boni non homini a Domino esset, si bonum non esset: Si autem bonum est, nonnisi ab illo nobis est, qui summe, atque incommutabiliter bonus est. Quid est enim boni cupiditas, nisi caritas, de qua Joannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens:* Caritas ex Deo est? *Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo; sed si caritas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Avertat enim Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum: quoniam* Misericordia ejus praeveniet me: *Et ipse est, cui fideliter, veraciterque cantatur:* Quoniam praevenisti eum in benedictione dulcedinis. *Et quid hic aptius intelligitur, quam ipsa, de qua nunc loquimur, cupiditas boni? Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere coepit. Quando autem timore poenae, non amore justitiae fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere; quando mallet homo non facere, si posset impune. Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod praecipit nobis; in qua si nos non praevenit, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere, profecto nec incipere, nec perficere: quia ut incipiamus, dictum est:* Misericordia ejus praeveniet me, *ut perficiamus dictum est:* Misericordia ejus subsequetur me. Integrum locum describere libuit, quod magno deinceps usui nobis futurus sit.

Profligatus hoc loco de initio bonae voluntatis ex liberi arbitrii viribus error, a Pelagianis ad Semipelagianos permeavit; qui, ut est apud Prosperum, & Hilarium (*b*), priores ad justitiam, ac veritatis, & Fidei lumen, humanae voluntatis conatus, ex primaeva na-

(a) Lib. 2. cont. duas Epist. Pelag. cap. 9.
(a) Epist. ad Aug. ante lib. de Praed. SS.

naturalis institutionis gratia derivabant, qua rationales, ac liberi arbitrii conditi a Deo sumus: *Quidam horum*, inquit S. Prosper, *in tantum a Pelagianis semitis non declinant, ut quum ad confitendam eam Christi gratiam, quae omnia praeveniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec exsistentem, liberi arbitrii, & rationalem* GRATIA CREATORIS *instituat, ut per discretionem boni, ac mali, & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem; atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire; per naturalem scilicet facultatem petendo, quaerendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturae bene usus, ad istam salvantem gratiam* INITIALIS GRATIAE *ope meruit pervenire*. Et Hilarius de iisdem loquens Pelagianae institutionis ramusculis: *Nec de hac fide posse dici contendunt*; Quid habes, quod non accepisti? *quum in eadem natura remanserit, licet vitiata, quae prius sana, ac perfecta donata sit*. Eumdem errorem late etiam describit, & confutat laudatus Prosper in Carmine de Ingratis.

Confutat quoque & lato calamo S. Augustinus lib. de Praedest. SS., & de Dono persev. eo potissimum Apostoli testimonio: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti &c.* Ex Apostoli enim scopo, atque intentione demonstrat; & fidem, & initium Fidei nisi ex Deo esse non posse; ex Deo, inquam, non ut naturae institutore, sed ut reparatore per gratiam: (a) *Hoc igitur Apostoli testimonium, ubi ad reprimendam hominis inflationem dixit*; Quid enim habes, quod non accepisti? *non sinit, quemquam Fidelium dicere*: Habeo Fidem, quam non accepi. *Reprimitur omnino his Apostolicis verbis tota hujus responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest dici*: Quamvis non habeam perfectam fidem, habeo tamen ejus initium, quo in Christum primitus credidi: *quia & hic respondetur*: Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Et infra: *In hac Apostoli evidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne*

(a) Lib. de Praed. SS. cap. 4. & 5.

ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur, dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam, perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vitiatae naturae qualescumque reliquias; nimis quantum existimo, absurdum est. Numquid enim per haec dona, quae omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit: Quis enim te discernit? *& deinde addidit:* Quid autem habes, quod non accepisti? *Posset quidem dicere homo inflatus adversus alterum: Discernit me fides mea, justitia mea, vel si quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor:* Quid autem habes, *inquit*, quod non accepisti? *A quo, nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi?* Si autem accepisti, *ait*, quid gloriaris quasi non acceperis? *Num quaeso agit aliud, nisi* ut qui gloriatur, in Domino glorietur? *Nihil autem huic sensui tam contrarium est, quam de suis meritis sic quemquam gloriari, tamquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei; sed gratia, quae bonos discernit a malis, non quae communis est bonis, & malis. Sit ergo gratia naturae adtributa, qua sumus animantia rationalia, discernimurque a pecoribus: Sit etiam gratia naturae adtributa, qua in ipsis hominibus a deformibus pulcri, vel ingeniosi discernuntur a tardis, ac si quid ejusmodi est; sed non se ille, quem coercebat Apostolus, adversus pecus inflabat, nec adversus hominem alterum de aliquo naturali munere, quod inesse possit & pessimo: Sed aliquod bonum, quod pertineret ad vitam bonam, sibi non Deo tribuens, inflabatur, quando audire meruit:* Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? *Ut enim sit naturae, fidem posse habere; numquid & habere?* Non enim omnium est fides; *cum fidem posse habare, sit omnium. Non autem ait Apostolus: Quid autem potes habere, quod non accepisti, ut posses habere: sed ait:* Quid autem habes, quod non accepisti? *Proinde posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturae est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiae est fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem: ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem; ac per hoc ubi dicitur:* Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? *quisquis audet di-*

dicere: Habeo ex me ipso fidem; non ergo accepi; profecto contradicit huic apertissimae veritati; non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanae, sed in electis praeparatur voluntas a Domino: *ideo ad ipsam quoque fidem, quae in voluntate est, pertinet*: Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Et hic S. Augustini locus totus mihi describendus fuit, ut qui plura contineat, ex quibus huic disputationi plurimum luminis adfulgebit. Sed est ad Sotum redeundum.

Ex his ac similibus S. Augustini locis, & maxime ex primo semper sibi persuasum fuisse docet; „ longe magis eos errare, qui dicunt, a Deo nos habere, quo possimus bonum operari, atque ita „ boni esse; a nobis vero, atque libero arbitrio, ut simus boni; „ quam erraverint Pelagiani ipsi, initium boni operis nostro libero „ arbitrio; consummationem vero Deo tribuentes. In opere enim „ bono (*ut praemiserat*) proculdubio ipsa ejus bonitas melior est, „ quam ejus possibilitas, sive quodcumque aliud ipsam bonitatem „ praecedens, etiam ad eam necessarium, vel qualitercumque dis„ ponens. Pelagiani ergo, ii saltem, qui ad Deum, ejusque gra„ tiam referebant boni consummationem; Deo, quod optimum est „ tribuebant. Illi vero, qui boni operis facultatem ex Deo esse „ fatentur, sed ex nostro libero arbitrio praestitae facultatis bonum „ usum; nobis, quod melius est; Deo, quod minus est, adscribunt. Invictum plane argumentum, & non modo Augustini auctoritate, sed ipsius quoque naturalis luminis evidentia subnixum, & cui demum ex Catholicae doctrinae sensu, atque judicio maximum robur accedit. Ut enim Sotus statim subjungit: „ Utrosque dam„ nat Catholica doctrina, asserens, a Deo, atque nostro libero ar„ bitrio simul esse, quaecumque bona facimus. Quod aliis adhuc S. Augustini testimoniis confirmare pergit, ut ex capite quinto laudati libri de peccatorum meritis, & remissione, ubi S. Doctor per singula discurrens bona, singula nobis ex Deo esse, ex Sacris literis probat; Sic autem habet laudatum Soto doctissimi Patris testimonium: *Quum ergo Deus nobis jubet dicens*: Convertimini ad me, & convertar ad vos; *nosque illi dicimus*: Converte nos Deus sanitatum nostrarum, & Deus virtutum converte nos: *quid aliud dicimus*,

 quam

utroque perficitur, ut mixtim, non singillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt: Deus est enim, *inquit Apostolus Paulus*, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate,

Haec satis superque probant, quam vere meritoque scripserit Sotus; Scripturae sacrae, & doctrinae Catholicae consonum esse; nihil boni omnino nos facere, quod non faciat Deus, ut nos faciamus: nec dividendum esse aliquod boni operis, quod sit gratiae, aliud quod sit liberi arbitrii; idque certissima esse fide tenendum, tamquam certissimis Scripturae testimoniis comprobatum.

Sed & illud quoque ex superioribus patet, quam merito eidem Soto observatum sit, ullum unquam, nec Catholicum, nec Haereticum aperte id negare ausum esse; quum ipsemet Pelagius, & Pelagiani, ac Pelagianorum surculi Massilienses, ea ipsa vel bona opera, vel bonorum operum, aut voluntatum primordia, quae verae, ac germanae Redemtoris gratiae subduxerunt; quo fucum imperitis facerent, ad primae conditionis, ac naturalis institutionis gratiam retulerint. Ex Catholicis vero, qui illud idem principium paullo sincerius admiserunt; non pauci, inquit Sotus, nonnulla tradiderunt eidem non satis consona veritati. Quod ex sequentibus compertum omnibus fiet, atque exploratum. Id enim ex tribus superius propositis discutiendum superest: quam sapienter Sotus judicarit; dogma superioribus verbis inclusum „ certissimum esse, & stabile fundamentum, unde cuncta fere, aut certe plurima eorum, „ quae in hac materia scitu sunt necessaria, elici possint. Quod pluribus, quae inde derivat, Consectariis ostendit, de quibus jam nobis agendum.

§. II.

Superioris doctrinae Consectarium primum.

Gratia qua opus habemus, ut convertamur, non solum dat, ut possimus converti, sed efficit, ut convertamur.

PRimum hoc superioris doctrinae Consectarium iisdem ferme verbis a Ruardo propositum est, atque approbatum: *Ex quibus patet*, inquit Ruardus (*a*), *quod gratia qua opus habemus, ut convertamur, non solum dat posse converti, sed semper, quantum in ipsa est, & ipsam conversionem operatur; & si talis ex sua natura & conditione sit, quod ea solum converti possumus, per eam non convertemur, nisi nova accedente gratia, vel efficaciore, quae conversionem operetur & velle converti*. Id vero ait Sotus „ & nos, tamquam inde „ necessario consequens, tenemus certa fide. Duplici autem ratione nititur, quarum prima ex jam dictis conficitur.

„ Nam si ex gratia est tantum ut possimus converti, a nobis ut „ convertamur; habemus aliquid, quod non accepimus: imo, quod „ melius & perfectius est, a nobis habemus, contra duo supra dicta.

Altera ratio desumitur ex discrimine, quod S. Augustinus lib. de Corrept. & Grat. cap. XI. ac XII. statuit inter gratiam Adae datam ante peccatum; & eam quae sanctis & praedestinatis nunc datur. „ Longum esset, *inquit Sotus*, quae ibi dicit, referre: aperte ta- „ men adjutorium duplex distinguit: alterum, sine quo aliquid fieri „ non potest, vel non fit; tale dicit, datum fuisse Adae: aliud ve- „ ro hoc potentius & efficacius, per quod, inquit, & fit, quod nunc „ dari justis asserit.

Hunc locum infide retulit Duchesnius, ut hic jam Lector prima sibi Baianismi aut Jansenismi semina deprehendere videretur. Sic enim habet: (*b*) *Primum, ait Sotus, duplex cum D. Augustino gratiae genus distinguendum est: alterum naturae innocentis proprium, sine quo bonum fieri non poterat: alterum potentius atque efficacius, quo & fit;*

(a) Epist. ad Sot. col. VIII.

(b) Premierement, dit-il, il faut distinguer avec Saint Augustin deux sortes de graces, l' une propre

sit ; *quod justorum est in praesenti corruptionis statu* . Id scilicet incauto Lectori persuasum voluit Duchesnius; adjutorium *sine quo* , & adjutorium *quo* ita , ex Soti sententia , esse invicem secernenda , ut alterum naturae innocentis proprium esset , alterum naturae corruptae ; ut neque secundum , hominem primigenia virtute , & justitia praeditum sustineret ; neque primum profligatas per peccatum humanae naturae vires instauraret , aut saltem medicinalis Christi gratiae pars haberetur : quo certe nihil magis a Soti mente ac proposito alienum : qui ut aperte (quod postea demonstrabimus) adjutorium *quo* etiam naturae innocenti necessarium fuisse docuit : ita adjutorium *sine quo* a praesenti corruptionis statu neutiquam eliminavit . Ergo unius vocis (*proprium*) additione , quae in Soti textu nusquam comparet , totam ejus sententiam Jesuita corrupit,& ex Catholica, Augustiniana,ac Thomistica , Baianam fecit & Iansenianam . Quid enim Sotus reapse habet, quod non ex eodem principio ipse etiam Ruardus derivarit (*a*) , imo quod non rotundis verbis S. Augustinus docuerit : datum scilicet fuisse primo homini adjutorium sine quo perseverare non posset,non autem quo fieret, ut in accepta justitia permaneret:nunc autem Iustis,& ad regnum praedestinatis dari etiam aliud potentius & efficacius adjutorium , quo fiat ut iustitiam adsequantur , atque in ea perseverent : *Tale quippe*, inquit S. Doctor , *erat adjutorium* , *quod desereret* , *cum vellet* , *&* *in quo permaneret*,*si vellet non quo fieret*,*ut vellet*.*Haec prima est gratia*, *quae data est primo Adam*;*sed haec potentior est in secundo Adam*. *Prima est enim*, *qua fit ut habeat homo iustitiam si velit*: *secunda ergo plus potest* , *qua etiam fit* , *ut velit*, *tantoque ardore diligat* , *ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat &c.* Integrum locum describere non est opus, qui passim obvius est, & innumeris Theologorum disputationibus vexatus .

Notanda est autem insignis Duchesnii fraus & malus dolus , quo non solum , ut ostensum est , Theologi nostri textum adulteravit corrupit , ac depravavit ; sed qua etiam ita corruptum ac depravatum

de l' etat d' innocence sans la quelle on ne pouvoir faire le bien: l'autre plus puissante & plus efficace par la quelle on fait le bien , c'est celle des justes de l' etat present . *pag.*12.

(a) ,, *Hanc* enim B. Augustinus ponit differentiam inter gratiam datam primo homini ante peccatum , & necessariam post lapsum in peccatum &c. Ubi sup. statim post verba ibid. relata .

tum veluti principii loco praeposuit ceteris, quas inde Sotus derivaverit conclusionibus: *Primum*, ait Sotus, *duplex cum D. Augustino gratiae genus distinguendum est &c.* quorum alterum naturae innocentis, alterum naturae corruptae, proprium sit. Hoc vero semel principii loco posito, quaecumque inde fluunt, consecutiones haeretica labe infici necesse est. At non ita Soti dissertatio se habet; ut enim generatim quid Gratia Christi in nobis operetur, exponeret; non illud, quod Duchesnius exhibet; sed hoc statuit cum Ruardo omnium dicendorum ex Augustino fundamentum; quod multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo: nulla vero facit homo, quae non facit Deus, ut faciat homo. Ex hac vero propositione hoc primum elicit consectarium; quod gratia, qua opus habemus, ut reapse convertamur, non solum ut possimus converti, sed ipsam quoque in nobis conversionem operatur: quam quidem conclusionem adversus quosdam illius temporis Theologos statuit, qui dicebant, a Deo nos habere, quo possimus bonum operari, atque ita boni esse; a nobis vero, atque libero arbitrio nostro, ut boni simus, & bonum operemur: quos deterius errare sentiebat quam Pelagianos, qui nobis initium boni operis, Deo vero cosummationem tribuebant. Vult itaque adversus horumce Theologorum opinionem, Gratiae Dei nos debere, non solum bene agendi potestatem, sed ipsius quoque boni operis efficientiam, quod secundo loco probat celebri illo S. Augustini testimonio, quo inter gratiam; qua primus homo donatus est, & quae modo justis adspiratur, id discriminis statuit; quod illa daret homini posse quod vellet; hac vero fiat etiam ut velit. Quare constitutum ab Augustino inter gratiam utriusque status discrimen, neque ut basim & fundamentum suae de Gratia disputationis Sotus praeponit, neque ad illud stabiliendum specialem conclusionem praemittit; sed notissimo Augustini loco utitur, ut firma probatione illius exploratissimae veritatis, quod Gratia Christi in hominibus justis non modo operetur posse, quod velint, sed etiam velle quod possunt. Verumtamen, quoniam utriusque gratiae discrimen totius Augustiniani systematis Jansenius basim esse jactaverat; & quoniam semel Duchesnio constitutum erat, ejusdem Pseudo-Augustiniani systemati fundum in hac Soti disputatione reperire

(*a*) ideo

(*a*), ideo ὑποθέσει ſerviendum erat; & ad arbitrium omnia flectenda, & ad ſcopum ac propoſitum accommodanda. Scilicet Soti textus adulterandus erat & corrumpendus, quoniam integer & incorruptus aptus propoſito non fuiſſet; & inde etiam ducendum diſputationis ejus exordium, ut ſemel animo informatus inter Sotum & Janſenium parallelus plene ac perfecte conſtaret. Sic enim, ut antea oſtendimus, apud Ducheſnium loquitur Sotus; *Primum duplex gratiae genus diſtinguendum eſt*. Adverbium illud *primum*, ex ſuo addidit Adverſarius: *alterum naturae innocentis proprium*. Et hoc etiam adjectivum *proprium* ex ſuo adjecit penu rerum Bajanarum Hiſtoricus: *alterum juſtorum*(ſcilicet proprium)*in praeſenti ſtatu*, quod Sotus nuſquam ſomniavit. A triplici ergo calumnia fabulam ſuam Ducheſnius orditur. Quod ſedulo animadvertendum fuit: *hinc* enim, ut deinceps oſtendam, *prima mali labes*, & ex hoc principio venefica quaedam lues in univerſam Soti Epiſtolam derivatur.

§. III.

Conſectarium ſecundum:

Omnino recte, & Chriſtiane aliquid operans, hanc habet gratiam, qua fit ipſum bonum opus: e contrario vero omnis ſecus operans, aut deficiens a recta regula, Chriſtiana hac gratia caret.

HAec Soti verba apud Ducheſnium haereticum habent ſenſum. Quum enim adjutorium *ſine quo*, & *quo* aliquid fit, ita, veluti ex Soti mente, diſtinxerit, ut primum innocentis hominis proprium fuerit, hoc vero juſtorum in praeſenti naturae lapſae ſtatu; plane ſequitur, omnem a recta regula deficientem, ideoque & juſtum divinae legis praecepta violantem, utroque adjutorio carere; nec ſolum illi deeſſe gratiam, quae tribuit velle quod poſſis, ſed illam etiam, quae donat poſſe, quod velis; quae prima eſt inter damnatas Janſenii propoſitiones. At Sotus, uti deinceps aperte demonſtrabitur, adjutorium *ſine quo*, ſeu gratiam ſufficientem a praeſenti lapſi hominis

(a) Ceux qui ont quelque teinture du Baianiſme ne peuvent en méconnoitre ici le fond. *pag.* 15.

minis statu neutiquam relegavit: proindeque ipsius in hoc Consectario sententia pro utraque parte, non Jansenianam ac Sedis Apostolicae decretis & totius orbis consensione proscriptam, sed Augustinianam continet, Thomisticam, Catholicamque doctrinam.

Omissis autem innumeris aliis, quae adferri potuissent, S. Augustini testimoniis, non aliud profert Sotus, quam ex Capite octavo de Praedestinatione Sanctorum, ubi S. Doctor hujusce Consectarii utramque partem disertissime docet, verba illa Christi Domini exponens (*a*), *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me: traxerit eum.... Est scriptum in Prophetis: & erunt omnes docibiles Dei; Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit adme*. Quaerit enim S. Doctor, quidnam sit: „Omnis, qui audivit a Patre, & di„ dicit venit ad me?„ *nisi nullus est, qui audiat a Patre, & discat, & non veniat ad me: si enim* omnis, qui audivit a Patre, & didicit venit; *profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre, neque didicit*; ac proinde hac gratia caret, qua fit, ut reapse veniatur ad Christum. *Nam si* eam accepisset, *& audisset, & didicisset, veniret: neque enim ullus audivit, & didicit, & non venit, sed*, omnis, *ut ait Veritas*, qui audivit a Patre, & didicit, venit. *Valde remota est a sensibus carnis haec Schola, in qua Pater auditur, & docet, ut veniatur ad Filium.... Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum; sed ubi, & quomodo a Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus. Nimium gratia ista secreta est: gratiam vero esse, quis ambigat? Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur*. Cur autem a nullo duro corde respuitur? An quia docilem, & morigerum, ac tractabilem reperit auditorem? Quia congruis, & locis, & momentis administratur? Quia congrua est, & naturalibus subjecti dispositionibus adtemperata; uti post Ruardum Molinianae scholae pars multa contendit? Nullam prorsus harumce aut similium rationum adfert Augustinus: sed eo tantummodo nititur, quod ejusmodi gratiae sit, duritiam cordis auferre, frangere cor lapideum, & refingere, ac donare cor carneum. Quapropter statim subjungit: *Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus*

(a) Joh. VI. 44. & 45.

tus auditur, & docet ut veniatur ad Filium, *aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta praedicante promisit; & vasa misericordiae quae praeparavit in gloriam*. Haec itaque gratia non invenit, sed facit hominis voluntatem mollem, tractabilem, & divinis illecebris minime obsistentem, ac repugnantem.

Quaerit deinde S. Augustinus; cur Deus, cui omne cor patet, & potens est ab omnibus, doctrinae suae mirabili suavitate, duritiam cordis auferre; non omnes tamen doceat; eo videlicet doctrinae genere, quae a nullo duro & indisciplinabili corde respuitur? Eas vero similiter hujusce secreti rationes adfert, quae cum Moliniano systemate minime congruunt: *Cur ergo non omnes docet, ut veniant ad Christum? nisi quia omnes, quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, judicio non docet*. Est ergo quidam coelestis doctrinae modus, quo Deus quosdam misericordia docet, quosdam judicio non docet; quo tamen si & ipsos docere vellet, procul dubio & ipsi audirent, ac discerent, & venirent ad Christum: *Nam si & illos*, inquit eodem capite S. Doctor, *quibus stultitia est verbum Crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset, proculdubio venirent & ipsi: non enim fallit, aut fallitur, qui ait*: Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. *Absit ergo, ut quisquam non veniat, qui audivit a Patre, & didicit*.

Semipelagiani aliam proferebant rationem, cur Deus non ita omnes doceat, ut audiant, ac discant, & veniant ad Christum; quod scilicet non omnes audire velint, ac discere; perinde ac ex humanae libertatis nutu pendeat coelestis doctrinae, & vocationis effectus; & non magis ex Dei omnipotenti vocatione, & adflatu, quo intus aliquos docet, & ad Christum trahit, pendeat humanae voluntatis adfectus, & consensus: „ Quare, *inquiunt*, non omnes docet? *Si dixerimus, quia nolunt discere, quos non docet; respondebitur nobis; Et ubi est quod ei dicitur*; Deus tu convertens vivificabis nos? *Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus; ut quid orat Ecclesia, secundum praeceptum Domini, pro persecutoribus suis? . . . Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illis operetur & velle? Quum igitur Evangelium praedicatur, quidam credunt, quidam non credunt: Sed qui credunt, praedicatore forinsecus insonante, intus*

a Patre audiunt, atque discunt; qui autem non audiunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt; hoc est, illis datur, ut credant, illis non datur: Quia nemo, *inquit*, venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. *Quod apertius postea dicitur . . .* Quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. *Ergo trahi a Patre ad Christum, & audire, ac discere a Patre ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat, qui dicebat:* „ Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. Verum ex Ruardi, & aliorum quorumdam Theologorum, quorum hic doctrinam Sotus improbat, opinione; Deus indiscriminatim omnes vocat ad fidem, omnes docet, omnes allicit, & invitat ad Christum; quod autem alii credant, alii non credant; alii discant, alii non discant; alii veniant ad Christum, alii non veniant; ex eorum tantum nativa libertate est, qua divinae vocationi, & coelestis Patris doctrinae alii consentiunt, alii dissentiunt; alii se trahi sinunt ad Fidem, & ad Christum; alii divinis charismatibus indurato corde, & obfirmato studio resistunt: qua ipsorum duritia quandoque fit, ut illustrior ex parte Dei vocatio, & potentior adflatus eos ad credendum minime impellat; flectat autem alios tenuior, & imbecillior. Hinc illa divinae gratiae duplex consideratio, sub ratione scilicet doni, seu beneficii, & adjutorii. Ajunt enim, gratiam, quam congruam vocant, semper quidem ea, quae minime congrua est, majus esse, atque excellentius donum; non tamen semper majus, ac potentius adjutorium. Non enim congrua, vel incongrua dicitur gratia, seu vocatio, quod majorem, vel minorem, aut lucem menti, aut voluntati ardorem inspiret; sed quod uni potius, etsi minus vividae natura sua, & ardenti, quam alteri, arbitrio nutuque suo voluntas obtemperet; idque per scientiam mediam, rerum sub conditione futurarum exploratricem, Deus futurum praesenserit. Cum quibus profecto nullo modo conciliari possunt, quae hoc loco de coelesti Dei Patris doctrina S. Augustinus docet.

Ait enim 1. quod haec Dei Patris doctrina a nullo duro corde respuitur. Quomodo autem a nullo duro corde respuitur; si eamdem

dem vocationem, eamdem illustrationem, eumdem S. Spiritus impulsum alius nativa sua libertate sequitur, & alius respuit?

Ait 2. quod quando Pater intus auditur, & docet, aufert cor lapideum, & dat cor carneum. At quomodo id efficit interior Dei Patris doctrina, si ex duobus, quos aequaliter docet, alterius voluntas flectitur, & alius obdurato corde resistit?

Ait 3. quod Deus alios misericordia docet, alios judicio non docet; misericordia docet, qui veniunt ad Christum, seu convertuntur ad fidem; judicio non docet, qui in impietate obfirmantur. Qui ergo fieri potest, ut ex duobus, quos aequaliter docet, unus veniat, alius non veniat ad Christum?

Ait 4. dici non posse, quod ideo Pater non omnes docet, quia non omnes audire volunt, ac discere. Imo vero haec in eorum Theologorum systemate, quos hìc Sotus adgreditur, unica ratio est, cur Dei Patris doctrina in aliis efficax, in aliis inefficax, & frustranea sit.

Ait 5. Deum facere, quos docet, ex nolentibus volentes. At in eodem systemate innumeros Pater docet, quorum tamen voluntas neutiquam immutatur.

Ait 6. quod Praedicatore forinsecus insonante, qui credunt, intus audiunt; qui non credunt, foris audiunt, intus non audiunt. At juxta eamdem Soto improbatam opinionem, fieri optime potest, ut qui non credit, eamdem, imo & potentiorem, quam ille, qui credit, Dei vocem intus audiat.

Ait 7. quod trahi aliquem a Patre ad Christum, & audire, ac discere a Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum; ex eoque dono esse credentium a non credentibus discretionem. At juxta eosdem Theologos, non in Dei Patris vocationem, atque doctrinam haec discretio referenda est, sed in eorum potius consensum atque dissensum, unde ipsa quoque petitur congruae, & incongruae coelestis vocationis divisio.

Ait tandem, & monet, ut *hoc donum quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare*: loquitur autem de illa vocatione, quae a nullo duro corde respuitur,

Q 2 quae

quae aufert cor lapideum, & dat cor carneum; qua Deus facit ex volentibus nolentes; quam denique qui audiunt, discunt, & veniunt ad Christum. Haec itaque Dei vox, haec Patris doctrina, haec coelestis vocatio non omnium cordibus insonat, sed iis tantum, quibus, ut alibi loquitur (a), *non solum suadetur, verum & persuadetur*, ut ad Christum veniant, seu convertantur ad fidem. Et de hac cum D. Augustino loquitur Sotus, & nos etiam in praesenti §. loquuti sumus; agnoscentes tamen interioris etiam vocationis, & coelestis doctrinae modum quemdam inefficacem quidem, at vere sufficientem, quem S. Augustinus ab eo distinguit, qui est secundum propositum. *Vid. Bellarm. lib.* 1. *de Grat. & lib. Arb.cap.* 12.

§. IV.

Consectarium Tertium.

Ex iisdem pari fide putamus tenendum, hanc gratiam, de qua Scriptura, & PP. loquuntur, quamque ad singulos actus necessariam esse, & dari, antiqua Concilia, & Augustinus contra Pelagium *affirmant, non esse quamcumque inspirationem, sive bonae cogitationis immissionem, vel sancti alicujus propositi suggestionem, vel pulsum cordis; non, inquam, esse aliquid horum solum: Sed Dei efficacem operationem, & motum, quo in anima nostra, & voluntate, & cum ea, atque per eam efficit ipsam voluntariam operationem bonam, hoc est, ipsum velle credere, vel quodcumque aliud bonum opus.*

HUjusce Consectarii doctrinam, tamquam Bajano, aut Janseniano pharmaco delibutam, haud semel Lectori Duchesnius animadvertendam, denotandamquè proponit; sic tamen ut Soti verba, quod illi in more est, non integra fide in Gallica translatione repraesentet: haec enim ejus verba; *non esse aliquid horum solum*; in Gallica versione omittit (b): His autem significabat Sotus, non eos a se

(a) Lib. de Grat. Christi cap. 10.

(b) Secondement la grace necessaire pour toute action de pieté n'est pas toute inspiration d'une

a se Theologos reprehendi, qui pias cogitationes &c. ad Christi gratiam utcumque pertinere adfirmabant; sed qui Christianam gratiam his tantum limitibus circumscribebant. Horum adversus opinionem praesens Theologus noster proponit Consectarium, quod quinque magni momenti de Gratia dogmata comprehendit 1. Christi gratiam non esse tantum piam aliquam cogitationem &c. sed Dei etiam efficacem operationem, & motum &c. 2. Hanc esse gratiam, quam S. Augustinus, & antiqua Concilia, & veteres Patres adversus Pelagianos, & eorum reliquias propugnarunt. 3. Hanc ejusdem Christianae gratiae notionem Augustinum, ac veteres Patres, & Synodos ex sacris literis informasse. 4. Ejusmodi gratiam ad singulos esse pietatis actus necessariam. 5. Haec de divina gratia decreta pro adiaphoris non esse opinionibus habenda.

Haec omnia gravissimus Societatis Jesu Theologus Dionysius Petavius adeo diserte docuit, & tam claris, luculentisque SS. Augustini ac Prosperi, nec non veterum Romanorum Pontificum, & Conciliorum auctoritatibus communivit; ut ejus hoc de argumento disputatio, non solum ad hanc Soti doctrinam ab omni Baianae, & Jansenianae labis suspicione vindicandam: (fuit enim Vir ille Cl. longe a Bajanis, & Jansenianis commentis remotissimus, & exorientem Jansenismum gravissimis scriptis insectatus est:) sed etiam ad eamdem in aperta luce collocandam, satis omnino esse videatur. Aliqua hic tantum ex eo loca decerpam. Sed rem hanc universam, & per singula ejus capita alibi pertractandam adgrediar.

„ Augustinus, *inquit laudatus Auctor* (a), totam illam gratiam,
„ quae mentem solam, & intelligentiam adficit, (cujusmodi solam
„ ait Pelagianis, & Semipelagianis agnitam, & admissam fuisse) ad
„ doctrinam referebat: praeter quam aliam esse necessariam puta-
„ bat, quae voluntatem ipsam, ac liberum arbitrium adtingat, CUM
„ EOQUE, ET IN EO FIDEM, AC DILECTIONEM EFFI-
„ CIAT: itaut non tantum lucem praeferat menti nostrae, quae
„ quid faciendum sit, ostendat; SED ETIAM UT FACIAMUS
„ AC VELIMUS, FACIAT. *Et infra*: Pelagius auxilia omnia gra-

---

sainte pensée, toute suggestion d'un saint propos, ment efficace, & une operation divine qui donne toute mouvement pieux du coeur: mais un mouve. la bonne oeuvre. pag. 12.

(a) Lib. de Haeresi Pelag. & Semipelag. cap. 8.

„ gratiae, quae actualia vocant, ejus generis admittebat, quae in
„ mentis illuminatione, ac cognitione posita sunt, quaeque proxime
„ & ἀμέσως actionem ipsam voluntatis attingunt, quatenus
„ id intelligentia cognoscendique facultas assequitur: adeo sane ut
„ cum voluntas in *actu illo secundo*, quem vocant, ad operandum
„ duplici forma constituatur, quarum una est actuosa, idest, *practica*
„ boni cognitio, sive judicium mentis; qnod hoc, vel illud
„ hoc tempore, ac loco faciendum esse praecipit: altera est voluntatis
„ libera ipsa consensio, hoc quod sibi opportune propositum est,
„ amplectentis ultro, & alteri praeferentis, quodcumque prioris illius
„ adjumentum ex divina gratia proficisci potest, libenter id Pelagius
„ admitteret; tametsi necessariam absolute esse non crederet:
„ Semipelagiani vero necessariam judicabant. Utrique ergo
„ solam istam gratiam evertebant funditus, atque ex rerum natura,
„ tollebant; quae voluntatis consensum proxime, intime, ac per se
„ contingeret. *Et rursum*: Itaque declinatio illa cordis (de qua
„ Pelagius in Epist. ad Demetriadem (*a*), aliquid est ab externa praedicatione,
„ ac lege distinctum; & in intimo divinae inspirationis illapsu,
„ ac mentis excitatione versatur. At hoc ipso genere gratiae
„ non est contentus Augustinus; sed aliam praeterea requirit, quae
„ non doceat solum, quod sit faciendum, sed etiam nobiscum, &
„ in nobis faciat: quae operetur velle & perficere; quae voluntatem
„ nostram moveat quo vult, & impellat; non alliciendo solum, ac
„ proponendo; quae *metaphorica* commotio dicitur; (qualis est
„ omnis ea, quae in intelligentia, cognitioneque sistit:) sed etiam
„ ipsam voluntatis actionem in nobis operando. Ejusmodi gratiam,
„ inquam, necessariam Augustinus existimat; de hac contendit una:
„ hac unica excepta, leves ceteras, ac nullius ad institutam de gratia
„ controversiam momenti esse judicat; quod profecto non faceret,
„ si eatenus in nobis operari Deum, ac bonam voluntatem, &
„ dilectionem efficere statuisset, quod mentem nostram inspiratione
„ sua, & illustratione, *actu*, ut vocant, impelleret. Id enim fatebatur
„ ultro Pelagius; Semipelagiani vero multo amplius. Et n. 5.
„ Si ardorem dilectionis inspirare tunc Deus solummodo dicitur,

cum

(a) Apud August. lib. de grat. Christi cap. 22.

„ cum mentem nostram, & cognoscendi vim sua luce perfundit, & „ illuminat; non eam gratiam negabat Pelagius; neque objici ei „ poterat, ipsum sentire voluntatem nostram, & actionem non pro- „ xime adjuvari divinae ope gratiae, si hujus auxilium in una ea re „ constituatur. Siquidem voluntatem boni operis, & ardorem di- „ lectionis infundi nobis, & excitari isto modo, cum ille, tum Se- „ mipelagiani belle ac constanter asserebant. Sed Augustinus hanc „ illorum gratiam non sufficere docet. Nec semel tantum, sed ite- rum, ac tertio ejuscemodi gratiam, Pelagianorum propriam, & *Pelagianam* appellat. Haec vero omnia Petavius clarissimis SS. Augustini, ac Prosperi, necnon Africanorum, & Arausicanorum Patrum & quae ab illis adferuntur, sacrarum literarum testimoniis confirmat: ex quibus tandem hanc colligit consecutionem: „ Hanc igitur gra- „ tiam (quam verbis superioribus delineavit, ac Pelagianae oppo- „ suit) omnino necessariam esse, Patres illi omnes, quos citavi, „ contra Pelagium, ejusque reliquias docent; ac de ea potissimam „ esse controversiae partem indicant, praesertim adversus posterio- „ res, id est, Semipelagianos: sic ut aliam omnino praeter hanc „ adstruentes, non plene esse Catholicos, sed haeretica fuligine „ infectos arbitrati sint.

Haec itaque Petavii verba si cum Soti verbis superioribus conferamus, hoc uno differre animadvertemus; quod Petavius longe disertius, luculentius, & apertius, quam Sotus, tum Pelagianae haereseos damnat traditam a Ruardo, & Soto improbatam, divinae gratiae definitionem; tum pro fidei dogmate habet, quam ut fidei consonam idem ipse Sotus amplectitur. Quod, ne ullus tergiversationi sit locus, libet amplius demonstrare, parallelo inter utriusque de Gratia sensus, ac propositiones instituto.

Sotus.	*Petavius.*
Putamus, tenendum, gratiam . . non esse quamcumque inspirationem, sive bonae cogitationis immissionem, vel sancti alicujus pro- *po-*	Itaque declinatio illa cordis (*in qua vim, & efficacitatem gratiae Pelagius constituebat*) in intimo divinae inspirationis illapsu

positi suggestionem, vel pulsum cordis; non, inquam, esse aliquid horum solum.

su, ac mentis excitatione versatur. At hoc ipso genere gratiae non est contentus Augustinus.

Not. *Declinatio cordis* aliquid amplius esse videtur, quam *pulsus cordis*.

Sotus.

Sed Dei efficacem operationem, & motum, quo in anima nostra & voluntate, & cum ea, atque per eam efficit ipsam voluntariam operationem bonam &c.

Petavius.

Sed aliam praeterea requirit. . . . quae nobiscum, & in nobis faciat: quae operatur velle, & perficere; quae voluntatem nostram moveat quo vult, & impellat, non alliciendo solum, ac proponendo. . . . sed etiam ipsam voluntatis actionem in nobis operando. *Et antea dixerat*, quod S. Augustinus, eam gratiam necessariam esse putabat, quae voluntatem ipsam, ac liberum arbitrium attingat, cum eoque, & in eo fidem, ac dilectionem efficiat . . . atque ut faciamus, ac velimus, faciat.

Sotus.

Putamus, hanc esse gratiam, de qua Scriptura, & Patres loquuntur, quamque ad singulos actus necessariam esse, & dari, antiqua Concilia, & Augustinus contra Pelagium affirmant.

Petavius.

Ejusmodi gratiam necessariam Augustinus existimat. De hac contendit una; hac unica excepta, leves ceteras, ac nullius ad institutam de Gratia controversiam momenti esse judicat. *Et rursum*: Hanc igitur gratiam omnino necessariam esse, Patres illi omnes, quos citavi, contra Pelagium, ejusque reliquias docent; ac de ea potissimam esse controversiae partem indicant. Citaverat autem, praeter Augustinum, & Prosperum, Africani Concilii, & Arausicanae Synodi Patres.

Pa-

Sotus.

Pari fide putamus tenendum, hanc gratiam. &c.

Petavius.

Aliam omnino praeter hanc (*gratiam*) adstruentes, non plene esse Catholicos, sed haeretica fuligine infectos (PP. Africani, & Arausicani, Augustinus, ac Prosper) arbitrati sunt.

Nihil ergo in praesenti Consectario docet Sotus, quod non etiam apertioribus, & gravioribus verbis Cl. Petavius docuerit; ut proinde si laudata Dilingani Theologi verba Baianismi, aut Jansenismi suspicioni obnoxia sunt; ejusdem quoque proscripti dogmatis invidia in insignem illum, & eruditissimum Societatis Theologum derivanda sit.

Quoniam vero semel Petavii mentionem injecimus; libet hic etiam ejusdem auctoritate duo superiora Soti Consectaria eadem methodo communire.

Sotus.

Gratia, qua opus habemus, ut convertamur, non solum dat, ut possimus converti; sed efficit ut convertamur.

Petavius.

Itaque Pelagius gratiam omnem, & usum ejus, & efficacitatem in hoc uno collocabat, quod nos potentes ad volendum, & operandum efficeret; ita tamen ut ipsam voluntatis actionem non attingeret.... At hoc ipso genere gratiae non est contentus Augustinus; sed aliam praeterea requirit, quae nobiscum, & in nobis faciat &c.

Sotus.

Omnino recte & christiane aliquid operans, hanc habet gratiam, qua fit ipsum bonum opus; e contrario vero omnis secus operans, aut

Petavius.

Duplex donum gratiae Dei gratuitum, sive duplicem gratiam designat Augustinus; alteram, quae antecedit fidem; hoc est, actum

aut deficiens a recta regula, christiana hac gratia caret. | actum fidei; quatenus a voluntate oritur; alteram, quae est fides ipsa, & caritas, sive dilectio.

Ambas, inquam, distinguit, ac secernit invicem, lib. de Praed. SS. cap. 8. & posteriorem ait fuisse ab eodem, lib: de dono persever. cap. 17. spiritus nomine designatam: *Ita sine spiritu fidei non est recte quispiam crediturus; nec sine spiritu orationis salubriter oraturus.* In his, inquit Petavius, spiritus nomine gratiam intelligit, seu virtutes ipsas, quibus credimus, diligimus, oramus &c, qui sunt affectus ipsi virtutum..... & credendi, & diligendi impetum, & voluntatem continent &c. quae proinde gratia, ut est in omnibus, qui re ipsa credunt, diligunt, orant &c. ita illa caret quicumque, ut ait Sotus, secus agit, & a recta regula deficit.

Itaque nihil hactenus Sotus de Gratia, & Praedestinatione literis tradidisse observavimus, quod non etiam clarissimi & omnium celeberrimi Societatis Scriptores, Bellarminus, & Petavius totidem fere verbis tradiderint. Paullo amplius difficultatis, ac salebrarum est in iis, quae mox sequenti §. examinabimus.

§. V.

Consectarium IV.

Ex quibus omnibus manifestum habetur, nullum Dei donum, sive auxilium, quamvis magnum, nullam inspirationem, & vocationem sine vera, & non ficta volitione boni, atque caritate, esse gratiam, quam ad bene operandum, Scriptura necessariam dicit, & de qua Paulus; Gratia Dei sum id, quod sum; Et: Non ego, sed gratia Dei mecum &c.

Ut quae his, ac sequentibus verbis; in quibus primum Duchesnius haeretici sensus latebras se detexisse gloriatur; ut quae his, inquam, ac sequentibus verbis docet Sotus, rite intelligantur, & omnem ab eis Calviniani, Baiani, & Janseniani erroris suspicionem

nem amoveam; aliquot circa illa quaestiones excitabo, quarum solutione Theologi nostri mens, atque doctrina optimo in lumine collocabitur.

Quaeres itaquo primo: An, & cujusmodi sufficientem gratiam Sotus agnoverit?

℟. De re ipsa quaestionem esse, quae apud Catholicos Theologos *Gratiae sufficientis* nomine significatur; non autem de istius nominis usu ad rem, de qua nunc agimus, exprimendam. Quamquam enim a Concilii ferme Tridentini temporibus paullatim, ac sensim sine sensu invaluerit, ut gratia, potissimum *actualis*, quae ad pietatis actus exercendos confert animae vires, ac veram, & proximam potestatem, sufficiens dicatur; (idque optima, & convenienti ratione, atque opportuno consilio; ut nimirum, quemadmodum post Nicaenam Synodum vox ὁμούσιος adversus Arianos, eorumque varias fallendi artes ac latebras, tesserae instar, ac symboli Catholicis fuit; ita post Tridentinam Synodum adversus subinde erumpentes, & grassantes haereses, vox illa *sufficiens* Catholicae professionis veluti signum, ac Symbolum esset:) constat tamen apud vetustiores Patres, ac Theologos non adeo frequentem fuisse, ad eam notionem exprimendam, hujusce vocabuli usum. Quapropter etsi alias divinae gratiae divisiones identidem commemoraverint, neque obiter, ac perfunctorie, sed data opera explanarint; hanc tamen, qua in efficacem, & sufficientem dividitur, quae hoc tempore omnium celeberrima est, vix sub hisce saltem nominibus adtigerunt. Igitur, quemadmodum, ut indicato semel exemplo utar, nemo unquam aliquem ex Ante-nicaenis Patribus in Arianae haereseos suspicionem adduxit, quod sacram illam vocem, ac Nicaenae deinceps Synodi auctoritate sancitam ὁμούσιος, non usurpaverit; dum tamen rem ipsam hoc nomine significatam docuerit: ita nemini ex antiquioribus, aut supparibus Concilio Tridentino Theologis Jansenianae haereseos invidia concitanda est, propterea quod celebrem illam vocem, *sufficiens*, Ecclesiae Catholicae usu consecratam non adhibuerit; dum subjectam huic voci notionem minime reprobaverit, quin & aperte adprobaverit, ac docuerit. Id vero de Soto nostro, ejusque ad Tapperum Epistolis demonstrari facile potest.

Nam gratiae sufficientis nomine auxilia quaedam intelligimus, quae potissimum in intellectus illustratione, & voluntatis excitatione versantur, & proximam ad pietatis actus eliciendos potestatem tribuunt, & instar seminum sunt, quae in corde hominis sata bonorum actuum fructus virtute continent, ac re ipsa producerent, nisi humanis adfectibus obruerentur, & si debitam in iis excolendis homo diligentiam adhiberet: atqui Sotus ejusmodi auxilia palam agnovit, ac dari docuit, ut ex iis ipsis verbis ac locis adparet, quae in Baiani, aut Janseniani erroris suspicionem Duchesnius adducit: *Ex quibus omnibus manifestum habetur, nullum Dei donum, sive auxilium, quamvis magnum; nullam inspirationem, & vocationem, sine vera, & non ficta volitione boni, atque caritate esse gratiam, quam ad bene operandum Scriptura necessariam dicit, & de qua Paulus*: Gratia Dei sum id, quod sum; *&*; Non ego, sed gratia Dei mecum. *Haec omnia bona, quibus tamen non fit, ut velimus bonum ex caritate, magis sunt in condemnationem, cum contemnuntur, & in peccatis perseveratur .... sicut longanimitas illa expectationis divinae, & frequentes admonitiones peccantibus, sive exterius, sive interius adhibitae, de quibus Augustinus lib. 5. cont. Julianum cap.*4. Et infra. *Quantumlibet immittat timorem, inspiret bona, nisi ipse dederit, quis aget poenitentiam?* Agnoscit igitur Sotus dona, & auxilia Dei etiam magna, vocationes, immissionem timoris, inspirationem bonorum, & admonitiones etiam interius adhibitas, quas homo contemnit, & quibus vitio suo resistit. En primus sufficientis gratiae character.

Vocationem deinde cum Augustino distinguit in eam, *quam non semper sequuntur vocati, de qua dicitur*: Multi sunt vocati &c. *& in eam, quae secundum propositum est, quae semper efficaciter agit id, ad quod a Deo immittitur, nec est in ea perfectum, nec imperfectum: Agit enim semper ille, quod* (efficaciter) *vult, quod intendit*. En alia ejusdem gratiae sufficientis conditio, qua potissimum ab efficaci gratia distinguitur: Nam gratia simpliciter efficax hominem ad perfectam conversionem perducit: at vero gratia sufficiens actus imperfectos producit, vel indeliberatos, quibus ad actus perfectos homo disponitur; quod Sotus aperte indicans ait; quod vocationem illam inefficacem non semper homines sequuntur, si enim non sem-

ſemper, ergo aliquando ſequuntur: horum tamen imperfectorum actuum reſpectu efficax eſt; quamvis ad actus perfectos relata, dicatur, & ſit abſolute ſufficiens.

Tertio ait Sotus, quod *etiamſi cuiquam daretur donum, quo tantum poſſit vel a peccato recedere, vel bonum operari, non vero ut haec faciat; ſi daretur, inquam, poſſibilitas boni, quocumque modo id placeat cogitare .... dicimus, nullo modo etiam tunc fieri poſſe a nobis bonum, ſine novo alio adveniente auxilio, quo fiat, ut faciamus*. Quibus verbis, nullum ſe gratiae ſufficientis genus repudiare ſignificat, nullum poſſibilitatis, aut potentiae, adhuc proximae, & completiſſimae modum, quam qui Moliniano ſenſu intelligatur, & gratiae ſe ipſa efficacis neceſſitatem excludat. Nec refert, quod Soti propoſitio hypothetica ſit. Nam Juſtos ejuſmodi divinae gratiae ſubſidiis re ipſa divinitus adjuvari docet: *Ut vere dicamus*, inquit, *jam eos poſſe operari bonum Chriſtianae pietatis, quaſi reſtituta jam gratia, quam Adam per peccatum amiſerat, de qua Auguſtinus inquit, quod per eam poterat non peccare*. Habemus itaque ex Soto vocationes, & inſpirationes interius adhibitas, quas interdum homines contumaciter contemnunt; habemus vocationem, quae non eſt ſecundum propoſitum, & quam non ſemper vocati ſequuntur; habemus auxilium divinae gratiae, quo Juſti *vere* dicuntur poſſe operari bonum Chriſtianae pietatis; & quod pertinet ad facultatem bene operandi, & a peccato abſtinendi, quo in eum ferme ſtatum reſtituuntur, in quo fuit Adam, antequam Dei praeceptum violaret; habemus denique; hominem iis omnibus ſubſidiis inſtructum, adhuc alio adjutorio indigere, quo fiat, ut re ipſa velit, ac faciat, quod velle, ac facere poteſt: adeoque habemus ex Soto ſufficientem gratiam; non quidem Molinianis, at Thomiſticis lineamentis informatam. Sed haec ſequentium quaeſtionum ſolutione magis adhuc illuſtrabuntur.

Quaeres itaque ſecundo: quo ſenſu ſcripſerit Sotus; *nullum Dei auxilium quamvis magnum &c. ſine vera, & non ficta volitione boni, atque caritate eſſe gratiam illam, quam ad bene operandum Scriptura neceſſariam dicit, & de qua Paulus*: Gratia Dei ſum id, quod ſum; *&*: Non ego, ſed gratia Dei mecum.

℟. Loqui Sotum de opere meritorio, ut conſtat ex adjunctis Apo-

Apostoli testimoniis; quae propterea Duchesnius tum in Gallica versione, tum in Latino ipsius Soti textu de industria, ac data opera praetermisit; ut contra manifestam ejusdem Soti, exploratamque sententiam, hanc ei dicam impingeret, quod absolute nullum sine caritate admitteret in hominibus opus bonum. Adstruit ergo Sotus his verbis efficacis gratiae necessitatem, vel ad eum statum consequendum, in quo homo possit meritorios actus exercere; vel ut eos re ipsa exerceat, postquam ejusmodi statum fuerit adeptus. Nam sine caritate, proindeque sine gratia, *per quam caritas diffunditur in cordibus nostris, nemo* re ipsa potest justificari; & sine aliquo caritatis condimento, nullus est hominis actus aeternae vitae meritorius. Porro apud S. Augustinum, cujus Sotus vestigiis propius insistere studet, & loquendi etiam phrases, ac formulas imitari, geminae sententiae passim occurrunt.

Quaeres tertio: quomodo accipiendum sit, quod statim Sotus post superiora verba subjungit: *Haec omnia bona, quibus tamen non fit, ut velimus bonum ex caritate, magis sunt in condemnationem, cum contemnuntur, & in peccatis perseveratur: & saepe a Deo magis irato, & in damnationem nostram haec operante, quam ex misericordia, & gratia.*

℞. Priorem hujus propositionis partem nullam continere difficultatem. Quum enim, uti observatum est, sine caritate, adeoque nisi bonum ex caritate velit, nemo, qui ad adultam pervenerit aetatem, justificari queat; quum homo reliqua Dei dona, quibus si bene uteretur, ad caritatem paullatim proveheretur, contemnit; *thesaurizat sibi iram*, ut ait Apostolus, ac majorem sibi damnationem accersit. Quum autem dicat Sotus, haec omnia bona tunc esse magis in condemnationem, quum despiciuntur, & contemtui habentur, atque in peccatis homo obfirmatur; plane significat, quod quum eis peccator bene utitur, & priora haec coelestis gratiae semina, seu priores divini Spiritus auras, sedulo, ac diligenter fovet, atque excolit; admodum esse utilia: ideoque ipsum ab eorum insania quamlongissime abesse, qui praeter efficacem, nullam admittunt in praesenti statu coelestis gratiae medicinam, quae homini prostrato, & peccatorum vulneribus confosso, non majus exitium adferat, quam remedium, seu levamen adhibeat. Sed

Sed in ſecunda ejuſdem propoſitionis parte gravior aliquanto difficultas eſt. Et ſiquidem ea verba: *Et ſaepe a Deo magis irato &c.* apud aliquem occurrerent Calvinianae contagionis adflatum aura, ut in deteriorem partem acciperentur, neutiquam repugnarem: Sed cum in celeberrimo Auctore leguntur, nec modo ſcientia, ſed & Catholicae fidei zelo, ac pietate inſigni; & qui nulla unquam ejuſmodi erroris infamia adeo non laboravit, ut in Angliam accerſitus ſit, ad Oxonienſem Academiam, & Anglicanam Juventutem, totumque adeo Regnum ab ea labe purgandum: nonne pietas, & prudentia, & aequitas jubent, ut ea in meliorem, & commodiorem ſenſum interpretemur? Itaque non aliud hoc loco Sotum voluiſſe pro certo habeo, quam ſimiles ſcripturarum & Patrum, & imprimis Apoſtoli atque Auguſtini loquendi formulas imitari. qui propterea Deum haec peccatoribus dona magis ad oſtenſionem irae atque juſtitiae ſuae, quam miſericordiae, aliquando tribuere docent; quod ea in iis circumſtantiis tribuat, in quibus novit, perperam illos, propria iniquitate, atque adeo in ſuam ipſorum damnationem, iiſdem coeleſtibus donis uſuros. Quare duo poſſunt in illa divinorum munerum diſpenſatione ac diſtributione ſpectari: primo, illa Deum voluntate antecedente ad eorum, quibus conferuntur, ſalutem ordinare: ſecundo, velle etiam conſequente voluntate permittere, ut eis Reprobi non bene utantur, ſed ea in ſuam potius perniciem perditionemque convertant: Velle demum, in poenam praecedentium delictorum ſubtrahere illis gratiam, qua re ipſa fieret, ut bene divinis hiſce muneribus uterentur. Cum enim Deus, ut Angelicus Doctor obſervat (*a*), *proprio judicio lumen gratiae non immittat illis, in quibus obſtaculum invenit*; *cauſſa ſubtractionis gratiae eſt, non ſolum ille, qui ponit obſtaculum gratiae, ſed etiam Deus qui ſuo judicio gratiam non apponit*. Unde conſequens eſt, *ut per hunc modum*; juſto ſcilicet irae ac vindictae ſuae judicio lumen uberioris gratiae ſceleſtis denegando; ſit ipſe Deus, ut idem Doctor Angelicus ſtatim ſubjungit, *cauſſa excaecationis, & aggravationis aurium, & obdurationis cordis*. Quo etiam ſenſu dici quodammodo

(a) 1.2. Quaeſt. LXXIX. art. III.

modo potest, tum ea dona ex Deo, non tam propitio, quam irato proficisci, tum quod haec Deus in impiorum majorem damnationem operetur: non quidem, uti Cl. Petavius observat, proprie, & per se, ac directe, sed figurata quadam scripturae locutione, quae, inquit, actionem illam, ac voluntatem Dei permittentis, occasionemque dantis, vel, cum possit, non impedientis, exprimere sic interdum solet, tamquam destinato ac certo consilio peccari velit, aut graviorem sibi impios coelestium donorum contemtu damnationem arcessere; eumque sibi proponat in agendo scopum. Sed integer laudati mox Theologi textus rem hanc totam, satis per se obscuram & implexam, uberiore luce perfundet.

„ Sed est alius, *inquit* (*a*), praeterea singularis & occultus „ modus, quo divina Justitia priora peccata posterioribus ulciscitur „ & ad ea homines excitare, & compellere dicitur, figurata qua„ dam scripturae locutione; non, ut impie Calviniani censent, pro„ pria, de quo modo pluribus, cum de peccato agetur, disputan„ dum erit. Nunc paucis contenti erimus: ac S. Thomam Aquina„ tem illius auctorem & enarratorem dabimus. Hic enim acute & „ erudite nodum hunc solvisse mihi videtur in Commentariis in „ Epistolam ad Romanos, cum illa Paulli verba declarat: *Quia in* „ *hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam*. Ad quae „ ita scribit: *Quod quidem non est intelligendum hoc modo, quod Deus* „ *in homine causet malitiam: sed est intelligendum permissive: quia* „ *scilicet ex justo suo judicio permittit aliquos ruere in peccatum pro*„ *pter praecedentes iniquitates; sicut supra capite primo dictum est*: „ Tradidit eos Deus in reprobum sensum. Subiicit illam deinde, „ quam dixi, reconditam & admirabilem rationem his verbis: „ *Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc esse intelligendum: quia* „ *videlicet instinctu quodam interiori moventur homines à Deo ad bo*„ *num, & ad malum. Unde Augustinus dicit libro de Gratia & libero* „ *Arbitrio cap. XX. quod* Deus operatur in cordibus hominum ad „ inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive ad bo„ na pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum. *Unde &* „ *Deus dicitur saepius suscitare aliquos ad bonum &c. dicitur etiam*

„ *susci-*

(a) To. 1. Theolog. Dogmat. lib. 10. cap. 8.

„ *suscitare aliquos ad malum faciendum &c.aliter tamen ad bona, aliter ad mala. Nam ad bona inclinat hominum voluntates directe, & per se tamquam auctor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter; in quantum scilicet Deus homini est inductivum vel interius, vel exterius, quod quantum est de se, aliquid proponit ad bonum: sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum: supra capite secundo:* Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam, & cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae. *Et Job.* XXIV. Dedit eis Deus locum poenitentiae, & ille abutitur eo in superbia: *Et similiter Deus, quantum est de se, interius instigat hominem ad bonum; puta Regem ad defendendum jura regni sui, vel ad puniendum rebelles: sed hoc instinctu bono malus homo abutitur secundum malitiam cordis sui. Et hoc patet Esa. X. ubi dicitur de Assur:* Ad gentem fallacem mittam eum, contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia &c. *& post:* Ipse autem non sic arbitrabitur; & cor ejus non ita aestimabit; sed ad conterendum erit cor ejus. *Et hoc modo circa Pharaonem accidit, qui cum a Deo excitaretur ad regni sui tutelam, abusus est hac excitatione in crudelitatem:* Sic igitur intelligendae sunt complures Scripturae sententiae, nec non Augustini: in quibus Deus inclinare hominum voluntates ad malum dicitur: & movere, ut mali aliquid faciant: vel excaecare. Nam cogitationem illis immittit bonam, ex qua improbus occasionem capit judicandi, melius esse huic nocere, quam illi: hoc peccatum admittere, quam illud.

Eodem sensu accipiendam esse contendo superiorem Theologi nostri sententiam: Dei dona, vocationes, & inspirationes, cum contemnuntur, & in peccatis perseveratur, saepe ex Deo magis irato, & in damnationem nostram haec operante, quam ex misericordia & gratia proficisci. Nam quemadmodum Deus Scriptoribus sacris, & Augustino dicitur inclinare, & excitare aliquos ad malum, non quidem, ut S. Thomas observat, *directe, & per se, sed occasionaliter*, quatenus eos exterius, aut etiam interius incitat, atque inclinat ad bonum; quo tamen illi ob pravam animi dispositionem magis in transversum aguntur: ita etiam eadem interiora bona, quum contemnuntur,

Deus saepe operari dicitur in reproborum majorem damnationem, non equidem *directe ac per se*, & antecedente ac primaria voluntate; sed, ut cum Angelico Doctore loquar, *occasionaliter*, & consequente voluntate, id est, quae pravi eorumdem munerum usus praevisionem consequitur. Nam voluntate antecedente Deus gratiae suae dona, quae reprobis impertitur, ordinat ad eorum salutem, & ad declarandam bonitatis suae ac misericordiae effusam in omnes largitatem: sed consequente voluntatē vult eos magis pūnire, qui ampliora gratiae suae beneficia contemserint, in iisque amplius ostendere potentiae suae, justitiae, irae, ac vindictae magnitudinem: Ita profecto ex Dei munere fuit, quod olim Judaeus, ut ait Apostolus, requiesceret in lege, & gloriaretur in Deo, & nosceret voluntatem ejus, & probaret utiliora instructus per legem; Quod legem sanctam, & mandatum sanctum, & justum, & bonum suo modo diligeret; quod Idolorum cultum detestaretur, & in rebus ad religionem spectantibus, ab eorum, qui sese pollutis sacrificiis contaminabant, consortio & communione abhorreret: ideo & Judaeis testimonium idem Apostolus perhibebat, quod aemulationem Dei haberent. Haec tamen Dei munera, hi superni numinis adflatus, quo se se altius in Judaeorum superbas mentes, & male adfectos animos insinuabant; eo potentius illos in ruinam impellere videbantur, & calcaria illis subdere, ac faces admovere ad Christi religionem insanius persequendam: & adfectus bonus, atque inspiratus ad vitam, pro sua ipsorum malitia exstitit illis ad mortem. Ii namque ex Judaeis impotentius in Ecclesiam debacchati sunt, qui *abundantius* aemulatores fuerunt paternarum suarum traditionum: Unde illud sponte fluit, quod est ab Angelico Magistro sapientissime animadversum; cum dicitur Deus suscitare aliquos ad malum, non modo id esse accipiendum *permissive*, sed esse in eo *aliquid amplius intelligendum*. Permittit enim Deus mala fieri nihil operando, gratiam non impertiendo, ac sinendo hominem agere secundum prava cordis sui desideria: at suscitare, & inclinare, non simplicem permissionem, sed physicam, & veram actionem significare videntur. Quare, quum Deus tunc mala permittere dicatur, quum nihil agit, sed hominem sinit agere juxta cordis sui corruptionem, ac sustinet, ut ait Apostolus,

lus, vasa irae apta in interitum; ut incitare, & inclinare aliquos ad malum intelligatur; necesse est, eum aliquid agere, nec solam adhibere patientiam, sed & potentiam exercere; in eorum cordibus bonos quidem adfectus ciendo; qui tamen, pro mala depravataque naturae ac voluntatis ipsorum conditione, aliis inordinatis adfectibus motibusque, qui illos praecipites agant, occasiones atque incitamenta sint.

Hauserat hanc doctrinam Angelicus Praeceptor ex Augustino variis in locis, ac præsertim libro de Gratia, & libero Arbitrio, quem citat, & lib. 5. contra Julianum, cujus loci auctoritate nititur Sotus. Postquam enim S. Doctor variis demonstraverat auctoritatibus & exemplis, quaedam esse peccata, quae sunt aliorum peccatorum poenae justissimae; ut quum tradere dicitur Deus reprobos in desideria cordis eorum; Juliani responsionem adgreditur contendentis, nihil amplius quam meram Dei permissionem in his Apostoli verbis intelligendam; *Quid est autem quod dicis*: „ cum desideriis „ suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi „ sunt, non per potentiam in peccata compulsi? *quasi non simul posuerit haec duo idem Apostolus, ubi ait*: si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, adtulit in multa patientia vasa irae, quae perfecta sunt in perditionem „ & post plura in eamdem rem ex sacris literis disputata, hanc tandem elicit consecutionem: *Tradit ergo Deus in passiones ignominiae ut fiant quae non conveniunt; sed ipse convenienter tradit: & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia praeteritorum· sicut tradidit Achab in Pseudoprophetarum mendacium; sicut tradidit Roboam in falsum consilium. Facit haec miris & ineffabilibus modis, qui novit justa judicia sua, non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari. Qui non facit voluntates malas, sed utitur eis ut voluerit, cum aliquid injuste velle non possit*. Quae verba adlatam ex S. Thoma doctrinam manifeste confirmant: quod in ejusmodi sacrarum Scripturarum locutionibus, non sola Dei patientia intelligenda sit, qua sinit ac sustinet scelestos homines perperam & inique agere; sed etiam Dei potentia, & operatio, qua non eorum malas voluntates facit, sed miris atque ineffabilibus modis in eorum cordibus ipsa etiam bona ope-

S 2 ra-

tatur, quae propria voluntate reprobi in majorem suam perditionem damnationemque convertunt. Ideoque statim subjungit: *Exaudit propitius, non exaudit iratus: & rursus, non exaudit propitius, exaudit iratus. Parcit propitius, non parcit iratus: atque in his omnibus bonus perseverat & justus. Sed ad haec quis idoneus? Utique ad haec ejus perscrutanda, & investiganda judicia, quis homo idoneus, quem corruptibile adgravat corpus, etiamsi habeat jam Sancti Spiritus pignus?* Si Deus aliquando exaudit iratus, parcit iratus, & in his omnibus & justus perseverat & bonus: ergo ipsa bonitatis & misericordiae ipsius dona ad justitiae quoque atque irae declarationem conferre ac facere possunt; dum prava & corrupta voluntas iis iisdem donis, quibus incitatur & provocatur ad bonum, pro corruptionis ac pravitatis suae merito & inordinata dispositione, urgetur, ac praeceps agitur in ruinam. Quod quidem, aliis hujus generis exemplis praetermissis, exemplum Iehu Regis Israel egregie luculenterque demonstrat. Nam ex Dei munere fuit ipsius zelus, & excelsus animus, quo ex imperio Domini adgressus est ad religionem Baal funditus evertendam, ejusque cultores ac Sacerdotes omnes ad unum trucidandos: ob ejusmodi enim zelum adversus Domum Achab, & impios profani Numinis Sacerdotes laudem a Deo consequutus est, & regnum super Israel in quartam usque generationem sibi posterisque firmavit: *Dixit autem Dominus ad Iehu: Quia studiose egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis; & omnia, quae erant in corde meo, fecisti contra domum Achab: filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Verum quod justo adversus profanos Sacerdotes incitatus & inflammatus adfectu, ne ullus prorsus evaderet, cultorem se Baal finxit. & *mendacio impio*, ut ait S. Augustinus (*a*), *& sacrificio sacrilego* falsam religionem simulavit; ex ipsius animi corruptione pravisque cupiditatibus fuit; quae tamen ipsum in illicitam & *sacrilegam simulationem* minime conjecissent, nisi prius bonus ille ac prius adfectus, justusque zelus cor ejus ad persequendos ac perdendos sacrilegos inflammasset. Itaque in uno eodemque opere Deus & bonitatem suam, & iram ac severitatem ostendit; bonitatem, dum animum Iehu ad impiam super-

(a) Lib. cont. Mendac. cap. 2.

perstitionem de medio tollendam suscitavit, atque inflammavit: iram vero atque severitatem, dum occulto judicio permisit, ut inordinatus ejusdem Principis animus eodem impetu, quo adversus impios juste concitabatur, in impiam ac nefariam superstitionem abriperetur. Ideoque, omnibus rite perpensis, magis quodammodo, ut ait Sotus, *ex Deo irato*, quam ex ejus gratia & misericordia fuit inspiratus Iehu ad Baal delendam superstitionem bonus animi motus. Ut enim laudatus Augustinus observat: *Quid ei profuit, quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate suae dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accepit*? At pro falsae religionis simulatione, in quam se improvido conjecit sacrilegoque consilio, immensum sustinet sempiternumque supplicium.

§. VI.

Aliae gravissimi momenti ad idem argumentum spectantes quaestiones pertractantur.

Quaeres quarto: An recte Soto sit observatum, Scripturam, & Patres, & antiqua adversus Pelagianos Concilia, *nihil, quod infra hanc gratiam est, qua reapse convertimur, nomine hoc gratiae* Christi condecorasse.

Respondeo, quod nomine gratiae Christi dupliciter usi sunt Patres: primo generatim ad significanda quaecumque dona gratis humano generi post lapsum primi Parentis a Deo concessa per Christum: secundo arctiore significatione gratiae Christi nomine propriam ac peculiarem novi Foederis gratiam aliquando Patres intellexerunt. Priore itaque sensu quaecumque dona supernaturalia, quibus ad pietatem promoveri homines possunt, ex Christi gratia promanare, Patres, & imprimis Augustinus, adversus Pelagianorum reliquias, passim tradiderunt; quum non solum pium credulitatis adfectum, sed ipsas quoque pias cogitationes, quae omnem credendi voluntatem praecedunt, ad Christi gratiam pertinere, ac re-

fe-

ferendas esse, celebri illo Apostoli testimonio demonstrarint: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis &c.* nulla est ergo pia cogitatio, nulla humanae mentis illustratio, nulla sunt pia desideria, nullae inspirationes, & vel tenuissimae ad salutare bonum excitationes, quae non, ex Sanctorum Patrum, & maxime Augustini, sensu, ex Christi gratia proveniant; ideoque Christi gratiae nominè censeri debeant.

Sed est alia tamen, ut monui, eorumdem vèrborum notio, qua *Gratiam Christi* ad solam denotandam novi Foederis gratiam iidem Patres coarctarunt: quo sensu nullum donum a fide & caritate disjunctum Christi gratiae nomine decorarunt: quod sanè innumeris Augustini locis demonstrari posset, iis potissimum, in quibus gratiam cum lege comparat. Tunc enim nomine Gratiae, non aliud, quam (*a*) *inspirationem dilectionis*; vel (*b*) *adjutorium bene agendi adjunctum naturae atque doctrinae per inspirationem flagrantissimae & luminosissimae caritatis*, intelligit: proindeque quodcumque aliud Dei donum, quascumque bonas cogitationes, aut inspirationes, quibus re apse non fiat, ut *caritas Dei diffundatur in cordibus nostris*, sub lege comprehendit atque doctrina (*c*), & hoc sensu a gratiae Christi notione ac vocabulo excludit. Neque vero perperam, & absque solido in sacris literis fundamento, ab Augustino factum id est. Quum enim Lex Christi, quae eadem est, ac novi Testamenti gratia, in Sacris Literis Lege Mosis opponitur, intelligi praecipuum illius ab ista discrimen sine caritate non potest, hoc enim praecipuè differunt, quòd lex Mosis scripta quidem sit *digito Dei*, sed *in tabulis lapideis*; lex vero Christi *Dei spiritu* scripta sit *in tabulis cordis carnalibus*, quomodo vero lex Dei scribitur in cordibus nostris, nisi per spiritum caritatis? In ea ergo comparatione, qua gratia novi Testamenti, & lex Mosis invicem conferuntur, primaria, ac velut ἡ διαφορὰ ipsarum differentia penes caritatem adtenditur: Unde est illud S. Augustini: (*d*) *Haec est brevissima, & apertissima dif-*

(a) lib. 4. cont. duas Epist. Pelagianor. cap. 5.
(b) lib. de Gratia Christi cap. 35.
(c) vid. ibid. praecipuè cap. 10. &c.
(d) lib. cont. Adimant. cap. 17.

differentia duorum Testamentorum, timor & amor; Illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet: & quòd idem Pater identidem monet: Iustos, qui in lege Mosis, vel etiam antè legem ex fide Christi vixerunt, spiritu ad novum Testamentum pertinuisse: Et contra, Christianos, in quorum cordibus cupiditas, non caritas, dominatur; etsi legem Evangelicam extrinsecus profiteantur; ad vetus Testamentum secundum spiritum, & interiorem hominem quodammodo pertinere: *Hi*, inquit (*a*), *ad vetus pertinent Testamentum, quòd in servitutem generat; quia facit eos carnalis timor & cupiditas servos, non Evangelica fides, & spes, & caritas liberos: sub gratia vero positi, quos vivificat spiritus, & fide ista faciunt, quae per dilectionem operatur, in spe bonorum, non carnalium, sed spiritualium &c.; Hi pertinent ad Testamentum novum, filij promissionis, regenerati Deo patre, & libera Matre. Hujus generis fuerunt antiqui omnes justi, & ipse Moyses, Testamenti minister veteris, heres novi.* Cui doctrinae, praetèr alios Patres, & S. Thomas suffragatur sequentibus verbis (*b*): *Lex Vetus, quae dabatur imperfectis, id est, nondum consecutis gratiam spiritualem, dicebatur lex timoris. ..... Lex nova, cujus principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris.* In quibus verbis notandum est, quòd nomine gratiae nil aliud Sanctus Thomas intelligit, quàm caritatis inspirationem. Nam ideo ait, legem novam, legem esse amoris, quod per gratiam indita sit & inscripta cordibus nostris: contra vero legem veterem legem fuisse timoris, non amoris, quod imperfectis tradita sit, & nondum spiritualem gratiam consecutis, idest, nondum eam gratiam adeptis, per quam caritas hominum cordibus inspiratur. Quamvis enim & in lege veteri Justi quidam fuerint, qui spiritu caritatis agebantur; hi tamen, ut statim Sanctus Thomas adjungit, spiritu ad legem novam pertinebant: quemadmodum carnales Christiani, novi Testamenti spiritu vacui, in quorùm scilicèt cordibus, non spiritus adoptionis filiorum, sed spiritus praevalet servitutis, ea ratione ad Vetus potius Testamentum pertinere videntur: *Fuerunt tamèn*, inquit S. Thomas,

(a) lib. 4. cont. duas Epist. Pelagianor. cap. 4.
(b) 1. 2. quaest. 107. Art. 1. ad 2.

mas, *aliqui in statu Veteris Testamenti habentes caritatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principalitèr exspectabant promissiones spirituales & aeternas: & secundum hoc pertinebant ad legem novam. similitèr etiam in novo Testamento sunt aliqui carnales, non dum pertingentes ad perfectionem novae legis, quos oportuit etiàm in novo Testamento induci ad virtutis opera per timorem poenarum, & per aliqua temporalia promissa.*

Quum itaque Patres, ac praesertim Augustinus, legi gratiam opponunt; non id certe volunt, legem nudam omnino fuisse, atque omni exarmatam praesidio divinae gratiae; aut nullum penitus interioris gratiae radium Judeis carnalibus adfulsisse: Sed gratiae nomine eam intelligunt, in qua novi Testamenti veluti substantia, & οὐσία posita est; per quam videlicet homines a rerum temporalium amore avulsi ad coelestia revocantur; aufertur ab eorum pectoribus cor lapideum, & datur eis cor carneum; ac denique praecepta Dei in eorum mentibus, ac visceribus inscribuntur, quae idcirco *vere*, & *proprie*, & κατ' ἐξοχὴν *Christi gratia* ab Augustino, aliisque Patribus dicitur; quod eam Christus adventu suo revelaverit, atque in homines non stillaverit modo, sed effuderit; & quod hanc futuram Christiani Foederis prae Judaico praerogativam, Prophetae praenunciarint. Unde illud consequens est: non modo salvum esse, & incolume, ex Augustini mente, utriusque Testamenti discrimen, & si carnales ipsos Judaeos interioribus gratiae coelestis auxiliis adflatos fuisse sentiamus: sed ipsa quoque sufficientia auxilia, quae in interioribus tum mentis illustrationibus, tum voluntatis excitationibus constituimus, adeo cum lege fuisse conjuncta, ut ad ipsam legem, in ea comparatione, qua cum gratia confertur, ab ipsomet S. Doctore revocentur. Patet id ex innumeris ejus Operum locis, sed praesertim ex toto ferme libro *de gratia Christi*, in quo varia excutit Pelagii loca, in quibus interiores, tum mentis illustrationes, tum voluntatis excitationes admittit: sed in eis tamen, negat S. Doctor, a commendatione legis, atque doctrinae Pelagium recessisse, & veram agnovisse Christi gratiam: quia, *an credat*, inquit (*a*), *aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturae, atque doctrinae per inspi-*

(a) Cap. 35.

inspirationem flagrantissimae, & luminosissimae caritatis, non adparet omnino. Quibus verbis palam diserteque significat, in ea legis, & gratiae Christi collatione, non omnem se a lege gtatiam sejunxisse; neque omnem gratiam, quae nobis per Christi merita communicatur, ab eo fuisse hoc nomine comprehensam; sed eam tantum, in qua vis praecipua novi Testamenti, ac ejus veluti substantia posita est. Ita quum Pelagius ait: (a) „ Adjuvat nos Deus per doctrinam, & „ revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, „ ne praesentibus occupemur, futura demonstrat; dum Diaboli „ pandit insidias; dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiae „ coelestis illuminat: admonet S. Doctor, quod *in his omnibus non recessit a commendatione legis, atque doctrinae, hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans*; ac subjungit, quod *Dei adjutorium multipliciter insinuandam putavit, commemorando doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis adaperitionem, & demonstrationem futurorum, & aperitionem diabolicarum insidiarum, & multiformi, atque ineffabili dono gratiae coelestis illuminationem, ad hoc utique, ut divina praecepta, & promissa discamus.* Hoc vero, ait, esse, *gratiam Dei ponere in lege, atque doctrina.* Haec tamen omnia alio quodam sensu, qui supra expositus est, ad Christi gratiam pertinere, alibi perspicue docet; quum ipsas quoque cogitationes, quae quamvis raptim, quamvis celerrime credendi voluntatem antevolant, ex Christi gratia profluere, adversus Semipelagianos propugnat. (b) Postquam enim illo Apostoli testimonio: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo*; ostendit, non solum Christi donum esse fidem plenam, atque perfectam, sed etiam imperfectam, & inchoatam: *Nec enim ait, ut plenius, & perfectius credatis in eum, sed, ut credatis in eum*: ut id luculentius demonstret; postquam iterum observavit; *donatum illi fuisse a Christo non solum, ut crederet in eum &c.* aliud ejusdem Apostoli testimonium profert, quo vel ipsae cogitationes, quae fidem praecedunt, ac prima velut ejus semina sunt, ad eamdem Christi gratiam referuntur: *Et ideo,* inquit, *commendans Apostolus istam gratiam*, qua illi donatum fuerat a Christo, non solum

(a) Apud S. Augustin. ibid. cap. 7. (b) Lib. de Praedest. SS. cap. 2.

lum ut plenius, atque perfectius, sed ut crederet in eum; non quia idonei sumus, *inquit*, cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *Adtendant hic, & verba ista perpendant, qui putant, ex nobis esse fidei coeptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare, quam credere. Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrime credendi voluntatem quaedam cogitationes antevolent, moxque illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur: necesse est tamen, ut omnia, quae creduntur, praeveniente cogitatione credantur.... Quod ergo pertinet ad Religionem, atque pietatem (de qua loquebatur Apostolus) si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus; sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est. Quocirca, sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcumque opus bonum; quod jam isti Fratres* (Massilienses)..... *verum esse consentiunt; unde in omni opere bono & incipiendo, & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est: quoniam fides, si non cogitetur, nulla est*; & „ non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est „. Quum itaque vel ipsas cujuslibet boni ad pietatem pertinentis cogitationes hoc loco Christi vindicet gratiae S. Doctor: & alibi *mentis illuminationem, & oculorum cordis adaperitionem* sub lege comprehendat, atque doctrina; annon evidens, ac perspicuum est, non omnem Christi gratiam, in ea legis, & gratiae comparatione, fuisse a lege sejunctam?

Ejusdem libri superius laudati *de Gratia Christi* cap. 10. alium S. Doctor Pelagii locum ad examen revocat, in quo similiter contendit, Haereticum illum, Christianae gratiae inimicum, a commendatione legis, atque doctrinae minime recessisse. Est autem ejusmodi locus: „ (*a*) Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod „ sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & muto„ rum more animalium tantummodo praesentia diligentes, futurae „ glo-

(a) Apud Augustin. lib. de Grat. Christi cap. 10.

„ gloriae magnitudine, & praemiorum pollicitatione succendit; dum „ revelatione sapientiae in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem; dum nobis (quod alibi negare non metuit) suadet omne, „ quod bonum est „. Et hic etiam, monet S. Augustinus, sub nomine gratiae, nihil aliud a Pelagio commendari, quam legem, atque doctrinam: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus operatur in nobis velle, quod bonum est, quam legem, atque doctrinam?* Huic vero gratiae, quam legis, & doctrinae limites non excedere docet, hanc veluti Christianam gratiam opponit; *qua* inquit, *futurae gloriae magnitudo, non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur; nec solum suadetur omne, quod bonum est, verum & persuadetur.* Attamen & eam vocationem, qua Deus intus nos vocat, fidemque nobis tantum suadet, ex Dei gratia, & munere exsistere, & per eam gratiam fidem esse in potestate liberi arbitrii; alibi expresse docet: ubi tamen & illud monet, alius esse rationis eam vocationem, qua ita homini suadetur, ut etiam persuadeatur: (a) *Non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est: verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus; sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes.... sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat; neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat; profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus praevenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est.* Posita ergo interiori vocatione, & suasione fides est in potestate liberi arbitrii, ac per eam Deus credendi voluntatem operatur in homine, quum tamen ita suadet, ut etiam persuadeat; id est, quum ea vocatione animum pulsat, quae illum ad amplectendam fidem efficaciter flectat ac determinet. Id enim specialis esse vocationis, & gratiae, sequentia verba manifeste declarant: *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita sua-*

T 2 *dea-*

(a) Lib. de Spirit. & lit cap. 34.

deatur , ut persuadeatur , illi autem non ita ; duo sola occurrunt interim , quae respondere mihi placeat : O altitudo divitiarum ! *Et* numquid iniquitas apud Deum ? *Cui responsio ista displicet , quaerat doctiores ; sed caveat , ne inveniat praesumtores* . Sed hoc totum Sancti Augustini testimonium alio in loco adcuratiùs enucleabo , ac dedita opera expendam . Interim ex eo constat , S. Doctorem gratiae sufficientis auxilium a lege neutiquam separasse , quum legi gratiam opposuit : Nam legi adcenset , & sapientiae revelationem , & interiorem suasionem , & mentis , ac voluntatis excitationem , quibus fit, ut ex verbis mox citatis adparet , ut pietatis actus in potestate sint liberi arbitrii : quamvis ad eos reipsa exprimendos , alia sit opus gratia , quam Deus non omnibus tribuit , etiam quos interius vocat , & ad bonum adlicit , atque invitat .

Itaque , quum duplici sensu *Gratiae Christi* voces S. Augustinus usurparit ; & nunc quidem speciatim caritatis effusionem , nunc vero generatim cujuslibet boni salutaris inspirationem eae voces in ejus libris significent ; videndum superest , quis fuerit Soti de his rebus sensus , & an gratiam praesentis status ita generatim pronunciarit esse caritatis inspirationem ; quod illi Duchesnius exprobrat, (*a*) ut praeter eam , qua caritas proxime & immediate inspiratur , seu qua proxime justificamur , nullam Christi gratiam agnoverit . Mirum profecto videri debet , Baianarum rerum Historicum hunc Soto nostro errorem adfinxisse ; quum in hac eadem Epistola , ex qua illi Baiani dogmatis conflare molitur invidiam , adeo luculenter doceat , nullum esse salutarem motum , qui non ex Christi gratia proficiscatur : [*b*] „ Ut aperte, *inquit* , de hac tota perplexa difficultate dicam , quod ex Augustino colligere potui , ut emendes :
„ Duae videntur mihi propositiones , in quibus sita est tota resolutio Augustini . Prima est , nihil boni ab ipso etiam principio salutis , & justificationis a nostro libero arbitrio , quod non a Deo per gratiam producatur, nostrum liberum arbitrium movente , ac id producente per illud : itaut aperte dicamus , omnem bonam cogi-

(a) Voici donc sous un point de vue le systeme dogmatique sur la grace & le libre arbitre, que Soto presentoit à l'Université de Louvain ... la grace de l'état présent est une inspiration de Charité pag. 15.

(b) Col. 52.

„ gitationem, timorem, desiderium, propositum, sive tam per-
„ fecta, ut jam justificemur, sive minora ut tantum praeparemur,
„ & disponamur, Dei esse, & nostra simul. Quod certum sit, vel
„ ex illo ultimo loco (*quem antea produxerat*) libri primi Retra-
„ ctationum cap. 26., & ex 2. Quaest. ad Simplicianum lib. 1., ubi
„ statim in principio: *Interest*, inquit, *quibus articulis temporum*,
„ *vel celebrationibus Sacramentorum gratia plenior infundatur*. Et
„ postea: *Fiunt ergo incboationes quaedam fidei conceptionibus simi-*
„ *les; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est; quorum ta-*
„ *men nihil sine gratia, & misericordia Dei, quam opera, si qua*
„ *sunt bona, consequuntur, non praecedunt*.

„ Secunda propositio, qua Augustinus saepe utitur ad multa
„ sua exponenda in Retractationibus, & puto utendum in aliis Pa-
„ trum sententiis exponendis, haec est: Omnem nostram bonam
„ voluntatem, & opus bonum praecedit Dei gratia, quae est pro-
„ xima, & efficax ejus caussa; quamquam bona nostra voluntas, &
„ opus praecedat saepe alias gratias, quae ejus non sunt caussa. Igi-
„ tur quod remittantur peccata nostra, caussa est nostra contritio:
„ *Quia dilexit multum*, dicitur in Evangelio, *remittuntur ei &c.*
„ Sed contritionem nostram praecessit alia gratia, imo multiplex
„ praecedere potuit, alicujus videlicet timoris, vel propositi: sed
„ illa per se, & semper necessaria est, qua Deus ipsam contritionem
„ operatur in nobis, de qua dicitur: *Converte nos Deus, & con-*
„ *vertemur*. Hoc satis probant quae proxime diximus ex 23. cap.,
„ & paullo ante ex cap. 26. libri primi Retractationum, ubi quod
„ praecedit voluntas nostra misericordiam, non omnem, exponit
„ Augustinus, sed remittentem peccata, & multo plura 23. cap.
„ ita exponit. Quid clarius, aut quid luculentius, ac disertius ad-
ferri potuit ad eum errorem evertendum, cujus tamen invidia So-
tum adspergere Duchesnio libuit?

Sed inquis; Annon Sotus expresse docet: „ Nihil, quod infra
„ eam gratiam sit, qua convertimur, nomine hoc *Gratiae Christi*
„ Patres dignatos esse? Sed; inquam; Annon Sotus expresse
„ etiam docet: A principio salutis, & justificationis nostrae omnem
„ bonam cogitationem, timorem, desiderium, propositum; sive

„ tam

„ tam perfecta, ut jam justificemur; sive minora, ut tantum praeparemur, a Deo per gratiam produci? Et quod contritionem nostram praecessit alia gratia, imo multiplex praecedere potuit, alicujus videlicet timoris, vel propositi &c. Igitur utrumque ex Augustino docuit Sotus; & gratiam praesentis status esse caritatis inspirationem: & omnem bonam cogitationem, timorem, desiderium &c. ex Dei gratia promanare. Quare utrumque fido, ac sincero Historico repraesentandum fuit; utrumque (perinde ac varia de hac re Augustini loca) in unam eamdemque, & consonam Catholicae Fidei sententiam, erudito Theologo conciliandum. Quapropter dum id unum Duchesnius retulit, quo Sotum onerandum existimavit, pessimi quidem Historici: dum vero qua ratione cum fidei principiis conciliari posset, ignoravit; haud multo melioris Theologis specimen dedit.

Ex his, quae hactenus disputata sunt, perspicue constare arbitror; quae gratiae sufficientis nomine significamus divinae pietatis adjutoria, agnita Soto, & admissa fuisse; pias scilicet cogitationes, quae nos ad indeliberatos, aut imperfectos actus ciendo, proxime ad perfectiores, ac deliberatos disponunt: sed iis limitibus veram Christi gratiam, quam S. Augustinus, & Veteres Patres, & Pontifices, & Concilia adversus Pelagianos adseruerunt, circumscribi noluisse: Sed aliam praeterea ad justificationem, & salutem necessariam existimasse, *quae voluntatem ipsam*, ut loquitur Petavius[a], *ac liberum arbitrium proxime, & ἀμέσως adtingat, cum eoque, & in eo fidem, ac dilectionem efficiat*. Quo sensu ea Auctoris nostri loca accipienda sunt, in quibus docet: „ gratiam actualis inspirationis, suggestionis, suasionis salutaris, sanctaeque cogitationis praecise non esse gratiam Christi. Et; Gratiam, de qua Scriptura, & Patres loquuntur, quamque ad singulos actus bonos necessariam esse, & dari, antiqua Concilia, & Augustinus contra Pelagium affirmant, non esse quamcumque inspirationem, sive bonae cogitationis immissionem, vel sancti alicujus propositi suggestionem, vel pulsum cordis, non, inquam, esse aliquid horum solum, sed Dei efficacem operationem, & motum &c. Non enim his

(a) Lib. de Haer. Pelag. & Semipelag. cap. 8. §. 1.

his, aut similibus locis Sotus contendit, ad veram Christi gratiam minime pertinere pias cogitationes, inspirationes boni; sancti propositi suggestiones, pulsus cordis &c. Sed haec omnia praecise non esse illam gratiam, de qua praecipua S. Augustino, aliisque Patribus cum Pelagio, & Semipelagianis disceptatio fuit. Nam, ut laudatus Petavius observat [*a*]: *Gratiam, quae per Christi merita tribuitur, in sola mentis illustratione Haeretici illi posuerunt; nullum omnino repudiantes Doni coelestis genus, quod ad solam cogitationem pertineret*. Et infra: *Itaque declinatio illa cordis* [quam se apud Augustinum [*b*] Pelagius agnoscere gloriabatur, & in qua vim Christianae gratiae constituebat] *aliquid est ab externa praedicatione, ac lege distinctum, & in intimo divinae inspirationis illapsu, ac mentis excitatione versatur*. At Pelagium tamen veram non admisisse Christi gratiam, hac demum ratione S. Augustinus evincit, quod ut Sotus animadvertit [*c*]: „ Gratiam illam, per quam caritas diffun„ ditur in cordibus nostris, & per quam fit, ut vera caritate Deum „ diligamus, nusquam in ejusdem Pelagii, & Celestii libris inve„ nerit. Quare quum statim Sotus subiungit. Haec igitur (*per quam* „ *scilicet diffunditur caritas*) sola vera est gratia necessaria ad salu„ tem, quam Catholica confitetur Ecclesia; non id profecto vult; sanctas cogitationes, pulsus cordis &c. gratiae nomine censendos non esse; sed haec omnia ab efficaci Dei operatione disjuncta, non esse eam gratiam, cujus ad re ipsa consequendam salutem necessitatem adversus Pelagianos Catholica confitetur Ecclesia. Quomodo si quis adversus Lutheranos de fide viva, & quae per caritatem operatur, pronunciaret; hanc solam veram esse fidem necessariam ad salutem, quam Catholica confitetur Ecclesia; non utique id statim adserere censendus esset, fidem informem, & a caritate disjunctam, veram non esse fidem; sed non esse eam fidem, cujus ad salutem necessitatem Ecclesia Catholica confitetur. Quo sensu & ab ipso Petavio dictum est: (*d*) *Nam & Fides per caritatem operari dicitur, &* QUAE VERA PROPRIAQUE *κατ᾽ ἐξοχὴν Fides dicitur, caritate formata, hoc est viva nominatur*.

Quae-

(a) Ibid. §.1. & 4. (b) Lib. de Grat. Christi cap.22.
(c) Epist. 2. col.27. (d) To:1. Theolog.Dogmat. lib.10. cap. 10.§:8.

Quaeres quinto, quomodo intelligendum sit, quod ait Sotus; quod *quaecumque sit in nobis possibilitas bene agendi, sive per naturam, sive per gratiam, aut alia dona, nullo modo etiam tunc fieri possit a nobis bonum sine alio auxilio, quo fiat ut faciamus*. Et rursum quod ait: *Nulla gratia dari ut possimus bonum facere sine alia gratia, nisi qua fit ut faciamus*. Denique, *nullam esse gratiam, qua solum bonum caritatis velle possumus, nisi qua & volumus*.

℟. Quod quum Theologus noster in iis ipsis locis adfirmet; vere posse hominem justificatum operari bonum Christianae pietatis; restitui quodammodo in eum statum, in quo fuit Adam ante peccatum, in quo, certum ex Augustino est, potuisse hominem non peccare; ac denique de ipsomet Adam, vel alio homine in statu simili constituto, cui certe sufficiens gratia non deerat, nec deesset ad evitandum peccatum, idem tamen quod de ceteris doceat Sotus; potuisse scilicet non peccare, *non tamen sine auxilio gratiae, qua fieret ut tentationi resisteret*: quum haec, inquam, in iis ipsis locis, de quibus nunc agimus, Sotus doceat, palam est, superiores propositiones intelligendas esse de possibilitate seu potentia, quae sit cum effectu, sive actu conjuncta; neque illis adstrui nisi gratiae se ipsa efficacis ad singulos actus necessitatem. Hanc autem loquendi rationem veluti apud Thomistas sanam, & orthodoxam commendat nuperus Theologus Jansenianis infestus, & Scholae nostrae placitis, & opinionibus minime addictus: (a) „ Diligenter, *inquit*, hic eorum „ fraus praecavenda, qui postquam simpliciter asseruerunt, sine gra- „ tia efficaci nihil boni fieri posse, sibi omnia salva esse confidunt, „ cum ajunt, se locutos de possibilitate, seu potentia juncta cum „ effectu. Namque, tametsi haec loquendi ratio sana, & orthodo- „ xa sit apud Thomistas, qui absente gratia efficaci veram, & ex- „ peditam relative in gratia sufficiente potentiam ad bonum super- „ naturale agnoscunt; invidiosa tamen, ac merito suspecta est apud „ eos, qui se Augustinianos praedicant, qui antecedenter ad gra- „ tiam, seu delectationem superiorem, ac victricem, nullam agno- „ scunt, nec in sua opinione agnoscere possunt in gratia parva, seu „ inferiori, ob virium inaequalitatem, veram, ac relative expedi- „ tam

(a) Tornely de Grat. Quaest. 7. art. 4.

„ tàm ad bonum potentiam. Quum igitur Janseniani systematis de efficacia gratiae ex delectatione superiori, seu per gradus relative victrici repetenda, nec vola in Epistolis Soti nec vestigium sit; quum eam Sotus, ut ipse etiam Duchesnius agnoscit *(a)*, in efficaci Dei operatione constituat, quam Thomistae *physicam praemotionem* appellant, & quam ut plurimum in eo, cui datur, praecedit proxima bene agendi potentia; quum denique ipsummet Adam donis justitiae originalis instructum, cui certe non deerat bonorum operum proxima, & expedita facultas, hoc tamen gratiae coelestis auxilio, quod in efficaci Dei operatione positum est, opus habuisse non dubitet; ideoque nulla in eum perversi dogmatis suspicio cadere possit; nulla inde optimo Viro conflanda invidia est, quod ad insinuandam gratiae se ipsa efficacis ad singulos actus necessitatem, iis loquendi formulis usus sit, *quae* modo, ut verbis utar D. Hieronymi *(b)*, *non possint* quorumdam *hominum calumniam declinare*.

§. VII.

Confectarium Quintum.

Ex his inferri credimus, hanc gratiam multis subtrahi; vel omnino; ut iis, qui nunquam ex caritate bonum voluerunt; vel aliquando, sed non finaliter, ut peccatoribus ad vitam praedestinatis; vel certe finaliter, nempe praescitis damnari: aliis vero conferri; idque nullo in his praecedente discrimine, imo nonnunquam praecedente etiam discrimine, quo cui subtrahitur, vel natura, vel moribus propinquior illi erat, & cui conceditur, remotior.

NON hic de qualibet gratia loquitur Theologus noster, ut ipsi perperam, & per summam calumniam Duchesniuss adfingit; sed de illa, *per quam caritas diffunditur in cordibus nostris*; & *per quam fit, ut vera caritate diligamus Deum*; ac proinde de illa,

(a) .... Grace efficace, ou operation divine distinguée de l'attrait, & que Soto plaçoit entre l'attrait, & le consentement; operation que l'on a depuis nommée prédétermination physique pag. 16.

(b) Apolog. 2. advers. Rufin.

quae simpliciter, ut ajunt, & absolute efficax est. De hac enim quum verbis immediate praecedentibus Sotus loquutus esset, statim subjungit: *Ex his inferri credimus*, HANC GRATIAM, per quam scilicet re ipsa fit, ut vera caritate diligamus Deum; *hanc*, inquam, *gratiam*; non; ut infide refert Duchesnius in Gallica horumce verborum versione [*a*] *gratiam* generatim, & absolute; aut *gratiam praesentis status*, ut in compendiaria systematis, quodSoto adfingit, ex positione (*b*): sed *hanc gratiam*, qua reipsa convertimur, qua re ipsa in bono perseveramus, *multis subtrahi*; *vel omnino &c.* Hinc vero luculentissimum conficitur argumentum, quod non absolute, ac generatim *de grat a praesentis status* in hoc Consectario loquatur Sotus, sed de gratia vi ac natura sua efficaci. Quod enim *dentur* OMNIBUS *inspirationes*, *& sanctae cogitationes*; *piam & prababilem sententiam* vocat (*c*), de qua, inquit, *libentissime sensui aliena*, *& auctoritati volumus credere magis*, *quàm nostro*. At vero ut certam sententiam profert, quod *haec gratia*, de qua in praesentia loquitur, *multis subtrahatur*, *vel omnino &c.* Haec itaque gratia specialis est: non autem illa communis, de qua *pium*, *& probabile* existimat judicare, quod omnes ipsi etiam infideles, aliqua ipsius aura perflentur.

Hoc autem sensu accepta Soti propositio, ac doctrina, nulli obnoxia est reprehensioni; imo certum continet, ac manifestum fidei catholicae dogma, quod passim SS. Augustinus & Prosper adversus Pelagianos, ac Semipelagianos inculcant, & innumeris ac perspicuis sacrarum literarum testimoniis confirmant; non ea solum ex parte, qua Sotus adserit, gratia efficaci multos privari, qua de re ille exstat celebris Augustini Canon (*d*): *Scimus*, *gratiam Dei non omnibus hominibus dari*; verum etiam inquantum docet, Deum in hac varia suae gratiae distributione ad varias hominum dotes, & qualitates, eorumque mores minime adtendere; sed ea quandoque destitui, qui splendidioribus moribus pollere videtur; & eam consequi, qui perdite, ac flagitiose ad ipsum usque extremum spiritum vi-

(a) Je conclus de cette doctrine que LA GRACE est sustraite à plusieurs ou entierement &c. p. 13.

(b) La grace de l'état present n'est point donnée à tous les adultes, lès infidelès qui perseverent dans leur infidelité n' y ont aucune part, elle est quelquefois refusée aux Fidéles & même à des Justes sans qu'il y ai tde leur faute. pag. 15.

(c) Epist. 2: col. 44.

(d) Epist. 217. al. 107. cap. 5.

vixit; quod, praeter alios Patres, sequentibus versibus Sanctus Prosper pulcre, atque eleganter exponit (a):

Nam si spectatrix meritorum est gratia, & illis
Se tribuit, quorum est animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrii sibi repperit aptos;
Insontes tantum, justosque adsumere solos
Debuit, & veri cupidos ac recta volentes.
Perversos autem, & scelerum assuetudine turpes
Deturbare procul; lucemque negare tenebris
. . . .
Denique ne quisquam ex morum splendore putetur
Censeri . . . .
. . . . *recole innumerabile vulgus*
Retro Senum, & Juvenum, qui caeca turpiter usi
Libertate animi, per cultus Daemoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per stupra, per caedes vitam duxere nefandam:
Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipso
Extremi flatus; miserantem nocte remota
Agnovere Deum; purgatorisque lavacri
Munere, nulla mali linquentis signa prioris,
Exemti Mundo mutarunt tartara Coelo.

Sed de hac re est aliquid etiam sequenti §. differendum:

(a) Carm. de ingrat. cap. 16. & seq. V. 415. &c.

§. VIII.

Consectarium Sextum.

Unde pariter Fidei esse putaverim, in hoc discrimine, quo alii vocantur, alii deseruntur; idque proculdubio Dei aeterna, & inscrutabili ordinatione, non semper praecedere, vel demeritum, vel reatum, quo quis adstrictus sit damnationi aeternae.

De eadem gratia, quae nimirum simpliciter, & absolute efficax sit, adeo se aperte Sotus & in hoc Consectario loqui significat; ut qua fronte, nuperus Historicus Catholicam ejus doctrinam in haereticum sensum torquere ausus sit, prorsus intelligi nequeat. Quid enim magis Catholicum, quam gratiam efficacem, (quocumque tandem modo ejus efficacitas exponatur,) absque ullo in eis praevio aeternae damnationis demerito, vel reatu, justis primo cadentibus denegari? Quid vero magis haereticum, quam gratiam generatim sumtam eis, quum primo cadunt; omnino deesse? At vero de gratia efficaci, non autem generatim sumta; intelligendam esse Soti propositionem; ex verbis, quae mox subjungit, & quibus eam confirmat, luculentissime apparet. Duplici enim exemplo nititur; quorum alterum exhibet lapsus Adae; alterum homo per gratiam regeneratus, quum primum labitur post Baptismum: *Nam, ut omittam*, inquit, *de Adam dicere, qui nondum erat in massa perditionis; de peccante quolibet post Baptismum, vel collatam gratiam, cum primo peccat, & se a Deo avertit, hoc potest esse verissimum. Illi enim datur* HAEC GRATIA, *illi subtrahitur; & tamen nec dignus erat damnatione, nec antea peccaverat.* Non igitur quamlibet gratiam, docet Sotus, justis labentibus subtrahi; sed illam, de qua praecedente Consectario loquutus fuerat, per quam scilicet re ipsa fit, ut vera Deum caritate diligamus, vel in ejus dilectione, & amore perseveremus. *Haec*, inquit, *gratia illi datur, illi subtrahitur*, absque ullo aeternae damnationis praecedente demerito, vel reatu, *Dei aeterna, & inscrutabili ordinatione.*

Sed

Sed Auctoris nostri mens ex adducto Primi hominis exemplo maxime in propatulo est. Duplex enim, ut ipse etiam Duchesnius agnoscit, cum S. Augustino coelestis adjutorii genus distinguit; alterum, sine quo aliquid fieri non potest; alterum, quo aliquid re ipsa fit; de hoc adserit dari *Sanctis, atque Praedestinatis*; illud vero *datum Adae fuisse ante peccatum*. Adjutorium ergo, sine quo perseverare non poterat, primo Parenti minime defuit; proindeque de altero adjutorii genere, quo fit, ut reapse in justitia perseveretur, Sotus loquitur, quum in exemplum adducit Adam denegatae aliquando hominibus gratiae absque ullo praecedente aeternae damnationis demerito, vel reatu.

Sensisse Duchesnius videtur hujusce vim argumenti; ideoque priore loco adductum a Soto primi Parentis exemplum callide dissimulavit, & alterum tantum retulit hominis, qui primo labitur post baptismum: *In exemplum*, inquit (a), *eos Sotus adducit, qui primum peccant, postquam baptismi aquis, aut poenitentiae lacrymis abluti fuerant. Id vero arctius difficultatem nectit. Quoniam perspicuum est, ejusmodi justorum veram, ac realem esse impotentiam; quae tamen ex eorum usu libertatis non oritur, nec dependet; ipsorum demeritum antecedit; & nullo pacto in eorum liberi arbitrii potestate posita est*. Haec tamen omnis difficultas exemplo Adae penitus dissipatur: sed illud ut jam observari, Duchesnius callide dissimulavit, quod ejus rationes nimium conturbaret. Quum enim hoc posuerit, veluti ex mente Soti, ejus Systematis fundamentum; auxilium *sine quo* provisum fuisse naturae innocenti, & auxilium *quo* servatum homini originis labe vitiato; hoc exemplo adparet, auctore Soto, tum necessarium fuisse homini innocenti, ad re ipsa perseverandum, auxilium *quo*, tum in praesenti statu auxilium *sine quo* justis cadentibus non deesse: Hoc enim auxilium, Dei aeterna atque inscrutabili ordinatione justis aliquando subtrahitur, quod primo Parenti defuit, quum Dei praeceptum in Paradiso violavit: at primo Parenti

(a) Il allegue pour exemple ceux qui apres avoir été lavez par les Eaux du Baptême ou par celles de la pénitence péchent pour la premiere fois. c'est ce qui duble la difficulté. car il est manifeste que ces Justes restent dans une impuissance reelle & une impuisance causée par une supposition indpendant de l'usage de leur liberté, antereure à leur démerite & nullement laissée au pouvoir du libre arbitre. *pag. 14.*

renti non defuit auxilium *sine quo*, de hoc ergo Sotus non loquitur, quum ait auxilio gratiae justos aliquando destitui. Est itaque de auxilio *quo* Sotus intelligendus: hoc vero non diceret: Dei aeterna atque inscrutabili ordinatione Adae fuisse subtractum, nisi ex ejus mente fuisset ejusmodi auxilium homini primaeva justitia & innocentia praedito necessarium. Falsus est igitur utrimque Duchesnius; fallitur enim, aut fallit, & quum docet, ab innocentiae statu auxilium *quo* Sotum removisse; & quum adfirmat, auxilium *sine quo*, eodem Soto auctore, justis cadentibus denegari.

" Non ergo ex impuris Bajanae aut Jansenianae doctrinae lacunis, sed ex purissimis Augustinianae Theologiae fontibus haustum est, quod in praesenti Consectario docet Sotus: quod enim ait, auxilium quo seu gratiam efficacem hominibus aliquando subtrahi, absque ullo praecedente in ipsis aeternae damnationis merito, vel reatu, ac sola Dei aeterna atque inscrutabili ordinatione; id S. Augustinus sequentibus verbis gravissime complexus est: (a) *Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste adsumatur, ille relinquatur; & ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur; inscrutabiliora sunt judicia Dei.* At justo cum donum perseverantiae subtrahitur, nullum in eo praecessit aeternae damnationis meritum vel reatus; id est ergo ad inscrutabilem Dei ordinationem referendum; cujus de his rebus judicia, ut admonet S. Prosper, attoniti spectare ac venerari debemus, non autem curiosius ac temere perscrutari: [b]

. . . . Audeat amens
Impietas tumido arbitrio subnectere caussas
Divinorum operum: Nos quum manifesta videmus
Dona Dei, quorum est fons unus, summa volnntas;
Cum Paullo tremuisse juvat, stupidumque modeste
Invictum ad Solium Christi suspendere nutum:
Cujus judicium sic inscrutabile, & altum

Di-

(a) lib. d. dono perser. cap. 9. (b) Carm. de Ingrat. cap. 34. v. 758. &c.

Dicimus, ut verax prorsus fateamur, & aequum.

Hanc vero doctrinam [quod ait Sotus] ad fidem Catholicam pertinere; idem quoque S. Augustinus apertissime tradit. *Hic*, inquit (c) *si a me quaeratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, qua Christiane viverent dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum*: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? *Et*: O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei; quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viae ejus! *Quantum itaque nobis judicia sua manifestare dignatur, gratias agamus: quantum vero abscondere, non adversus ejus consilium murmuremus; sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus. Tu autem quisquis inimicus ejus gratiae, sic interrogas, ipse quid dicis? Bene, quod te non negas esse Christianum, & Catholicum jactas. Si ergo confiteris, donum Dei esse, perseverare in bono usque in finem; cur hoc donum ille accipiat ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possimus.* Si ergo Christianum se Duchesnius & Catholicum esse gloriatur, & gratuitum Dei donum esse non negat justorum in Dei caritate, & justitia perseverantiam; cur ex duobus justis, alii detur gratia, qua reapse peseveret, alii denegetur; ad aeternam Dei, & inscrutabilem ordinationem pertinere, cum Soto fateatur. Si vero non solum Catholici, sed etiam honesti Viri famam tueri desiderat, admissum errorem, quo egregio & optimo Viro pro Catholica haereticam doctrinam adfinxit, aperte profiteatur ac revocet. Quid enim clarius, quid apertius, quam de gratia efficaci, & qua re ipsa perseveratur, Sotum esse loquutum? quum in exemplum adducat primo Adam, de quo antea dixerat, ipsomet Duchesnio id minime dissimulante, ei non defuisse adjutorium, *sine quo aliquid* ad pietatem pertinens *fieri non potest*: deinde justum per baptismum, vel collatam gratiam regeneratum, de quo pariter antea pronunciaverat; *restitutam ei fuisse gratiam quam Adam amiserat, de qua Augustinus inquit, quod per eam poterat non peccare.*

ARTI-

(a) Lib. de corrept. & grat. cap. 8.

ARTICULUS SECUNDUS

Quomodo, quave ratione divinae gratiae efficacitas cum arbitrii libertate concilianda sit.

QUamvis in eodem Ruardi principio examinando adhuc cum Soto haereamus; attamen quae ſequuntur, quoniam novam nobis quaeſtionum ac difficultatum veluti ſegetem, ac proventum exhibent, ea diſtincto articulo duximus retractanda. Ut enim optime S. Auguſtinus animadvertit: (a) *Quaeſtio iſta, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem adſeritur Dei gratia, liberum arbitriumputetur auferri.* Ad hujus igitur graviſſimae, & per quam implexae quaeſtions obſcuritatem utcumque amovendam, cum Soto adgredimur, quod ut cum methodo atque ordine procedat, varia ipſius hac de re decreta, ſeu propoſitiones ſingillatim enucleabimus. Ducheſnius totam de hoc augumento Soti diſputationem paucis, & obſcuris, & ambiguis, & ab ejus mente penitus alienis ſenſibus, ac verbis involuit; ait enim: (b) *Quod ad ſecundum diſputationis cardinem adtinet, Sotus adnotat, quod* quidquid Deus vult, ita, ut vult, oportet eſſe. *Quod Deus vult hominem libere agere; atque ita fieri, ut neque gratia, neque illius ſubtractio arbitrii libertatem evertant: quoniam impotentia illius, cui gratia denegatur, non eſt abſoluta; quum ex hypoteſi oriatur, quod ei gratia denegetur.... Non adeo facile libertatem adimplendi ſupernaturale praeceptum cum ſubtractione gratiae conciliaveris, praecipue quum gratiae ſubtractionem nullum hominis demeritum, ac reatus praecedit, quod Sotus poſſibile admittit.* Hiſne tota de ratione conciliandi gratiam

(a) Lib. de Grat. Chriſti cap. 47.

(b) Quant au ſecond point de la diſpute, Soto avance, qu' il faut que tout ce que Dieu veut arrive comme il le veut: *Quidquid Deus vult, ita, ut vult oportet eſſe.* Que Dieu veut que l'homme agiſſe librement, qu' ainſi ni la grace ni la ſouſtraction de la grace n'otent point la liberté, par ce que l'impuiſſance de celui au quel la grace eſt refuſée, n'eſt pas abſolue, puiſqu'elle nait de la ſuppoſition du refus... Il n'eſt pas aiſé de concilièr la liberté de faire le bien ſurnaturel commandé avec la ſuſtraction de la grace, & ſur tout avec cette ſouſtraction, qui ne vient pas de la faute de l'homme, comme Soto l'admet *pag. 14.*

tiam cum libertate Soti disputatio continetur? Nae stupidum, atque inertem Theologum, si his tantum contentus fuit, neque aliud quidpiam ad hanc sane gravissimam difficultatem expediendam in medium adtulit! Quod Soti verba paucis complecti voluerit, non id profecto vitio Duchesnio verterem; dum sensus constaret, nec praecipua illius disputationis momenta dissimulasset, neque adeo illam deridendam, atque exsibilandam Lectoribus propinasset. Variis, ut jam indicavi, ea disputatio propositionibus continetur, quibus sedulo examinatis, suam illa vim, & splendorem recuperabit; & objectae ab Adversario nebulae penitus dissipabuntur.

§. I.

Prima Propositio.

Vis, & efficacitas divinae voluntatis prima caussa est, & radix contingentiae rerum, & humanae libertatis.

EAmdem conciliandae divinae gratiae, atque humanae libertatis rationem etiam Ruardus Tapper Soto laudatus iniverat: „ Sed „ hic jam nascitur difficultas, quomodo libere, & contingenter vo„ lumus, si Deus, ut velimus operatur in nobis. . . . sed quae„ stionis hujus obscuritas utcumque illustratur, si consideremus, „ quod sua providentia Deus in omnibus quidem caussis agens, ita „ tamen suaviter disponit omnia, ut agant secundum vires naturae „ suae inditas; ita dirigens, movens, & gubernans caussas liberas, „ ut agant libere, & ex libero atbitrio, ut quae agunt, possint & „ non agere: caussas vero naturales, ut agant ex naturalis inclina„ tionis necessitate.

Quemadmodum constitutum superius a Ruardo ex Augustino principium: *Multa facit Deus bona in homine &c.* Sotus adprobavit, ejusque vim longe altius, ut vidimus, penetravit, & uberius, ac luculentius exposuit: ita propositam his verbis ab eodem Tappero conciliandae cum eo dogmate humanae libertatis rationem, ut

ejusdem S. Augustini ,& Angelici praeceptoris doctrinae consonam, nedum ultro in praesenti §. ac libenter amplectitur,sed aliquot etiam eorumdem SS. Doctorum testimoniis confirmat ; & variis inde derivatis consecutionibus , & Consectariis explanat ; suamque de his rebus mentem longe adhuc praeclarius aperire pergit , ac meliori in lumine collocare : *Jam quae in eo principio dicis de libertate arbitrii, qualiter scilicet non auferatur per gratiam , ut certissima semper habuimus ; & quid juxta illa de hoc etiam sentiam , accipe : Rationem illam dispositionis suavis rerum,qua Deus omnia movet juxta naturas suas , semper agnovimus ex B. Augustino , & Thoma . Ille tertio libro de libero arbitrio capite tertio de Praescientia Dei ingeniosissime dicit , quod libertatem voluntatis nulla ratione aufert, sed potius infert : Quoniam quod ipse praescivit , necesse est ita esse , ut praescitum est ; praesciit vero ille nostram voluntatem liberam futuram : ita ergo erit : Quod de ordinatione divina , & voluntate divina , ita etiam de auxilio ejus pari ratione probatur esse verum . Necesse enim est , quod ille vult , & ordinat , esse : atque ita quod operatur per creaturas suas , non solum esse , sed ita esse ut ordinat , & vult . Unde etiam B. Thomas 1. P. Quaestione 19. art. 8. primam caussam contingentiae rerum & radicem , efficaciam & virtutem divinam dicit ; quoniam quidquid Deus vult, ita, ut vult, esse oportet .*

Quod hic docet Sotus de Praescientia Dei , ejusque voluntate , & operatione ; iis arbitrii libertatem minime violari , quod quae Deus futura praescivit , atque praeordinavit , necesse sit , non solum ut eveniant , sed ita etiam eveniant , ut eventura praenovit , atque praedefinivit ; proindeque & libere fieri , quae libera fore praescivit , atque ut libere fierent , ipse ab aeterno constituit:haec,inquam , Soti doctrina lucem accipere potest ex iis , quae S. Augustinus libro quinto de Civitate Dei adversus Ciceronis sententiam de Praescientia differit , ac voluntate Dei , necnon caussarum ordine , qui divina providentia , atque ordinatione constitutus est : qui S. Doctoris locus quoniam praecipua fundamenta continet , quibus Thomisticae Scholae de iis rebus placita , ac decreta nituntur ; idcirco in eo libet paullulum immorari , ejusque vim explicare , & in apertam lucem proferre . Itaque laudati libri capite octavo *de his Philosophis dis-*

differens, qui non astrorum positionem, sed connexionem caussarum ex Dei voluntate pendentem, fati nomine appellant; eorum sententiam adprobat, quamvis Dei voluntate constitutum omnium caussarum ordinem fati nomine appellari, ob praeposterum apud Mathematicos hujusce nominis usum, neutiquam probet: *Qui vero*, inquit, *non astrorum constitutionem . . . . sed omnium connexionem seriemque caussarum, qua fit omne, quod fit, fati nomine appellant, non multum cum eis de verbi controversia laborandum, atque certandum est: quandoquidem ipsum caussarum ordinem, & quamdam connexionem, Dei summi tribuunt voluntati, & potestati, qui optime, & veracissime traditur, & cuncta scire antequam fiant, & nihil inordinatum relinquere, a quo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates. Ipsam itaque Dei summi voluntatem*, CUJUS POTESTAS INSUPERABILITER PER CUNCTA PORRIGITUR, *eos appellare fatum, sic probatur. Annaei Senecae sunt, nisi fallor, hi versus*:

Duc summe Pater, altique Dominator Poli
Quocumque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum impiger: fac nolle, comitabor gemens,
Malusque patiar, facere quod licuit bono:
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Nempe evidentissime hoc ultimo versu ea fata appellavit, quam supra dixerat summi Patris voluntatem: cui se paratum obedire dicit, ut volens ducatur, ne nolens trahatur; quoniam scilicet, ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Illi quoque versus Homerici huic sententiae suffragantur, quos Cicero in latinum vertit: (a)

Tales sunt hominum mentes * quali Pater ipse
Juppiter auctiferas lustravit lumine terras.

Nec in hac quaestione auctoritatem haberet Poetica sententia: Sed quo-

(a) Odissea 18.

* Notant in hunc locum novae Augustini operum editionis Auctores, editos habuisse, *quales*. At probae notae mss. *quali*, & quosdam *quales*. In altero versu Colbertinum Codicem, loco *auctiferas*, habere *astrifero*. Neutram tamen lectionem respondere Graeco sic nunc habenti.

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε·

quoniam Stoicos dicit, vim fati adserentes, istos ex Homero versus solere usurpare, non de illius Poetae, sed de istorum Philosophorum opinione tractatur; quum per istos versus, quos disputationi adhibent, quam de fato habent; quid sentiant esse fatum, apertissime declaratur, quoniam Jovem appellant, quem summum Deum putant, a quo connexionem dicunt pendere fatorum: Deus itaque immobili suae voluntatis decreto, & potestate, quae insuperabiliter per cuncta porrigitur, caussas omnes creatas ordinat, & connectit. Nihil enim inordinatum relinquit, quum ab ejus potestate, id est effectrice, ac physica operatione, quae omnia pervadit, sint omnes potestates, id est, omnes rerum creatarum motus, & actiones, quatenus eis quid *actu* possunt, ac physice efficiunt; quamvis ab illa non sint omnium voluntates: excipiendae sunt enim voluntates malae, quae ut malae sunt, non ex Deo, sed ex nihilo, seu ex libero arbitrio, prout ex nihilo est, originem ducunt. Dei ergo Providentia, & voluntate omnia constituta sunt; Dei potestate, quam nulla vis superare *actu*, ac re ipsa potest (*insuperabiliter*) omnia ordinantur; ex Deo sunt omnium bonae voluntates, seu volitiones; ex ipso denique sunt omnium potestates, seu quidquid res creatae *actu*, & cum effectu possunt. Nam quemadmodum voluntatis, ita etiam potestatis nomine, ipsas potius actiones, quam facultates, ex quibus actiones exsistunt, S. Augustinus intelligit.

Sed pergendum est ad Caput nonum, quod statim sequitur, in quo *de Praescientia Dei, & libera hominis voluntate* differit *contra Ciceronis definitionem*: haec enim laudati Capitis est Epigraphes. In eo autem adhuc illustriora occurrunt Thomistici systematis, quod Sotus hoc loco praeformavit, argumenta: *Hos* (Stoicos) *Cicero ita redarguere nititur* (a), *ut non existimet, aliquid se adversus eos valere, nisi auferat divinationem. Quam sic conatur auferre, ut neget esse scientiam futurorum .... vel in Deo &c. Hoc autem totum facere videtur, ne fatum esse consentiat, & perdat liberam voluntatem.* Pu-

---

Talis enim mens est terrestrium hominum,
Qualem in dies ducit hominum Deorumque Pater.

Referuntur hi versus ab Auctore Gallici Operis *de l'Action de Dieu*, inter testimonia veterum pro Physica praemotione.

(a) Lib. de divinatione.

Putat enim, concessa scientia futurorum, ita esse consequens fatum, ut negari omnino non possit. Putavit ergo Cicero, everti non potuisse fatum, quin Dei praescientia de medio tolleretur; neque admitti potuisse praescientiam, quin fatum admitteretur; neque agnosci fatum, quin sequeretur creatae libertatis eversio, ac propterea existimavit, fato, quod *summi Dei voluntatem, cujus potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur*; Stoici definiebant, velut immobili fundamento, niti praescientiam; quo proinde funditus everso, & eam de medio tolli opus esse. Quare se nihil adversus Stoicos valiturum existimavit, nisi divinationem, Deique praescientiam auferret, quam Ciceronis opinionem S. Augustinus sequentibus verbis adhuc luculentius exponit: *Quid est ergo, quod Cicero timuit in praescientia futurorum; ut eam labefactare disputatione detestabili niteretur? videlicet, quia si praescita sunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura esse praescita sunt: & si hoc ordine venient, certus est ordo rerum praescienti Deo, & si certus est ordo rerum, certus est ordo caussarum; non enim aliquid fieri potest, quod non aliqua efficiens caussa praecesserit: Si autem certus est ordo causarum, quo fit omne, quod fit; fato, inquit, fiunt omnia, quae fiunt. Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis; quod si concedimus, inquit, omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur &c.* Et paullopost quum S. Augustinus dixisset, Religiosum animum utrumque complecti, & confiteri, nimirum & futurorum praescientiam, & liberum voluntatis arbitrium; eamdem rursus adversus praescientiae, ac libertatis concordiam ex Cicerone difficultatem, sed aliis verbis, atque alio ordine proponit: *Nam si est praescientia futurorum, sequentur illa omnia, quae connexa sunt, donec eo perveniatur, ut nihil sit in nostra voluntate. Porro si est aliquid in nostra voluntate, eisdem recursis gradibus, eo pervenitur; ut non sit praescientia futurorum. Nam per illa omnia sic recurritur. Si est voluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt: Si non omnia fato fiunt, non est omnium certus ordo causarum: Si certus caussarum ordo non est, nec rerum certus est ordo praescienti Deo, quae fieri non possunt, nisi praecedentibus, & efficientibus caussis: Si rerum ordo praescienti Deo certus non est, non omnia sic veniunt, ut*

ea ventura praescivit : porro si non omnia sic veniunt, ut ab illo ventura praescita sunt, non est, inquit, in Deo praescientia omnium futurorum. Meminisse nos oportet, ac prae oculis habere fati diffinitionem, velut ex Stoicorum sententia a S. Doctore superiori capite traditam; seu quid in praesenti quaestione fati nomine intelligendum sit. Scilicet *de his* in praesentia Philosophis disputatur, *qui non astrorum positionem, sed connexionem caussarum ex Dei voluntate pendentem, ipsamque praecipue Dei summi voluntatem, cujus potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, fati nomine appellaverunt.* Constituto itaque Dei voluntate, ac decreto, diffinitoque caussarum ordine, visum est Ciceroni, labefactari voluntatis arbitrium : sublato vero certo illo, ac determinato ex Divinae voluntatis constitutione caussarum ordine, tolli de medio praescientiam : adeoque Ciceroni cum Stoicis in eo conveniebat, quod efficaci Divinae voluntatis decreto futurorum scientia nitatur; & quod in caussis ad aliquid agendum divina voluntate praeordinatis Deus futura cognoscat. Nam quod ejusmodi, voluntate Dei constitutum, caussarum ordinem Cicero labefactaret; Dei praescientiam evertere cogebatur: quod autem Stoici Dei praescientiam agnoscerent; eumdem ex Dei voluntate pendentem caussarum ordinem, & connexionem statuere nitebantur.

Videndum superest, quod nam de hac celebri controversia fuerit S. Augustini judicium. Primo decernit, utrumque fatendum esse, & Deum omnia praescire, & inesse homini liberam voluntatem: *Nos adversus istos sacrilegos ausus, atque impios, & Deum dicimus omnia scire, antequam fiant; & voluntate nos facere quidquid a nobis, nonnisi volentibus, fieri sentimus, & novimus*. Sed quomodo utrumque tuetur? Nam si certus est ordo rerum praescienti Deo, certus est ordo caussarum; hic vero certus esse non potest, nisi divina fuerit voluntate, ac decreto praeordinatus: proindeque nisi fatum admittatur, eorum saltem Philosophorum sensu, qui, ut antea dictum est, non astrorum positionem, sed omnium connexionem, seriemque causarum, ex Dei voluntate suspensam, ac religatam, fati nomine nuncupaverunt: hinc vero fatalis necessitas oriri videtur libero infensa voluntatis arbitrio.

Re-

Respondet S. Doctor, nihil omnino fato fieri, si fati nomine constitutio siderum intelligatur: at si ordo caussarum Dei voluntate constitutus, fati vocabulo significetur, agnoscendum esse fatum, perinde ac futurorum praescientiam. Nullam ergo agnoscere S. Augustinus videtur futurorum contingentium, seu liberorum scientiam, quae divinae voluntatis decretum antecedat, eoque minime nitatur, cujusmodi est *Scientia media*, praecipuum Moliniani systematis fundamentum: Quapropter haec statim post superiora verba subjungit: *Omnia vero fato fieri, non dicimus; imo, nulla fieri fato, dicimus: quoniam fati nomine, ubi solet a loquentibus poni, id est in constitutione siderum, quum quisque conceptus, aut natus est, (quoniam res ipsa inaniter adseritur,) nihil valere monstramus. Ordinem autem caussarum, ubi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus; nisi forte ut fatum a fando dictum intelligamus, id est, a loquendo: Non enim abnuere possumus, esse scriptum in literis sanctis* (*a*): Semel locutus est Deus, duo haec audivi; quoniam potestas est Dei; & Tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique secundum opera ejus. *Quod enim dictum est*; Semel locutus est Deus; *intelligitur, immobiliter, hoc est, incommutabiliter est locutus; sicut novit incommutabiliter omnia, quae futura sunt, & quae ipse facturus est. Hac itaque ratione possemus a fando fatum appellare, nisi hoc nomen jam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinari.* Est itaque Dei voluntate constitutus ordo caussarum; & in ejusmodi caussis, divino decreto ad aliquid agendum, ab ipsa aeternitate in Dei mente praeordinatis, Deus futura cognoscit, *quae ipse*, uti scite S. Augustinus observat, perinde atque ipsaemet caussae creatae, *facturus est*. Nam & ipsae causae liberae in ea serie, atque ordine caussarum sunt, quae ex Dei voluntate, ac potestate pendent: eaque ratio est, ob quam cum divinae voluntatis constitutione ac decreto integra creatae libertatis idea componi optime potest. In hac enim duo consideranda, ac retinenda sunt: 1. quod libertatis est, 2. quod rei creatae: libertas potestatem exigit ad opposita; sed rei, caussaeque creatae conceptus, rei causaeque notionem exhibet ex Dei voluntate, atque ope-

(a) Psalm. 56. 12.

operatione pendentis: *Non est autem consequens*, inquit eodem loco S. Augustinus, *ut si Deo certus est omnium ordo caussarum, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio. Et ipsae quippe nostrae voluntates in caussarum ordine sunt, qui certus est Deo, ejusque praescientia continetur: quoniam & humanae voluntates humanorum operum caussae sunt. Atque ita qui omnes rerum caussas praescivit, profecto in eis caussis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum caussas esse praescivit.* Ergo divinae voluntatis, ac potestatis ordine contineri, ut ad notionem pertinet causae creatae, ita causae liberae ideam minime labefactat; ac proinde conciliari utrumque optime potest; & quod creatura rationalis libera sit, & quod ex Dei voluntate, atque operatione pendeat. Non enim humana voluntas humanorum operum desinit esse principium, propterea quod Dei voluntate, ac virtute ad agendum provehitur; quod sequentibus verbis adhuc disertius S. Augustinus explanat.

Ostendit enim, quam infirmo tibicine nitatur Cicero, quum admissa praescientia, fieri omnia fato contendit, quod nihil sine caussa praecedente fieri valeat, cujus proinde ordo ad effectum certus, ac Deo praecognitus esse debeat. Equidem nihil fieri, quod non aliqua efficiens caussa praecesserit, ultro S. Augustinus agnoscit; at non omnem caussam esse fatalem; sed esse & causas fortuitas, & naturales, & liberas, sapienter admodum animadvertit; imo nullam proprie fatalem esse caussam, sed omnes quodammodo voluntarias, quum nulla sit, quam non divina mens, ac voluntas regat, atque administret: *Nam & illud, quod idem Cicero contendit, nihil fieri, si caussa efficiens non praecesserit, satis est ad eum in hac quaestione redarguendum. Quid enim eum adjuvat, quod dicit, nihil quidem fieri sine caussa, sed non omnem causam esse fatalem, quia est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria? Sufficit, quia omne, quod fit, non nisi causa praecedente, fieri confitetur. Nos enim eas causas, quae dicuntur fortuitae, unde etiam fortuna nomen accepit, non esse dicimus nullas, sed latentes; easque tribuimus, vel Dei veri, vel quorumlibet Spirituum voluntati: ipsasque naturales nequaquam ab illius voluntate sejungimus, qui est auctor omnis, conditorque naturae: Jam vero causae voluntariae, aut Dei sunt, aut Angelorum,*

aut

aut hominum, aut quorumque animalium.... Ac per hoc colligitur, non esse caussas efficientes omnium, quae fiunt, nisi voluntarias, illius naturae scilicet, quae spiritus vitae est.... Spiritus ergo vitae, qui vivificat omnia, creatorque est omnis corporis, & omnis creati Spiritus, ipse est Deus, Spiritus utique non creatus. In ejus voluntate summa potestas est, quae creatorum Spirituum voluntates, bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat, & quibusdam tribuit potestates, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malae quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quae ab illo est. Convenit ergo S. Doctori cum Tullio; omnia, quae fiunt, caussis praecedentibus fieri; & certam illam omnium caussarum seriem, in qua divinae praescientiae futuri eventus objiciuntur, ex Dei voluntate, atque ordinatione connectit: nec tamen omnia fieri fatali necessitate; quod in ea caussarum serie, quibus Creator Spiritus praesidet, & causae liberae sint, quarum Spiritus ille, qui vivificat omnia, non laedit libertatem, dum eas fovet, eisque vitales auras adspirat, & agendi vim, atque impetum subministrat. Quod ut apertius fiat, ac melius intelligatur:

Ex dictis tria, colligit S. Doctor, esse causarum genera: alia est enim causa, quae facit omnia, nec ipsa fit; aliae sunt causae, quae magis fiunt, quam faciant aliquid; aliae demum, quae & fiunt, & ipsae tamen aliquid agunt. In priori genere collocat Deum, in secundo corporales caussas, in tertio spirituales: *Caussa itaque rerum, quae facit, nec fit, Deus est: aliae vero caussae & faciunt, & fiunt; sicut sunt omnes creati Spiritus, maxime rationales. Corporales autem caussae, quae magis fiunt, quam faciunt, non sunt inter caussas efficientes adnumerandae; quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt Spirituum voluntates. Quomodo igitur ordo caussarum, qui praescienti certus est Deo, id efficit, ut nihil sit in nostra voluntate; quum in ipso caussarum ordine magnum habeant locum nostrae voluntates? Contendat ergo Cicero cum eis, qui hunc caussarum ordinem dicunt esse fatalem, vel potius ipsum fati nomine appellant; quod nos abhorremus, praecipue propter vocabulum, quod non in re vera consuevit intelligi. Quod vero negat, ordinem omnium caussarum esse cer-*

certissimum, & Dei praescientiae notissimum, plus eum, quam Stoici, detestamur. . . . Quapropter & voluntates nostrae tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque praescivit: & ideo quidquid valent, certissime valent; & quod facturae sunt, ipsae omnino facturae sunt, quia facturas, & valituras ille praescivit, cujus praescientia falli non potest: Quapropter si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem, fatum esse infirmioris, potentioris voluntatem, qui rem habet in sua potestate; quam illo caussarum ordine, quem non usitato, sed suo more Stoici fatum appellant, arbitrium nostrae voluntatis auferri.

Plura in his Sancti Augustini verbis observanda sunt. Primo enim, quum ait, commune id esse omnibus creatis spiritualibus caussis, ut & fiant, & faciant; an non aperte Dei praemotioni omnem creatum spiritum subjicit? Nam, quid his verbis, *fiunt & faciunt*, significare velit, disertius explicat, quum de corporibus statim subjungit; magis fieri quam facere, ac propterea non adeo proprie inter caussas efficientes adnumerari; *quoniam*, inquit, *hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates*. Fieri ergo & non facere in corporalibus caussis, est, eas ab aliis, & non ex se ipsis moveri; ac proinde fieri & facere in caussis spiritualibus, est, eas quidem ex seipsis agere, sed prius motas a Deo; id vero, ait, in *omnes creatos spiritus* convenire. Praeterea docet, certum caussarum ordinem ex Divina voluntate ac potestate pendentem, non efficere, ut nihil sit in nostra voluntate, quod in eo caussarum ordine, quem vtique Dei voluntas praeordinavit, ac praedefinivit, magnum habeant locum nostrae, adeoque & aliorum omnium creatorum spirituum, voluntates. Quo palam luculenterque significat, caussae liberae neutiquam obesse, quod ejus actus sint a Deo praedeterminati, ipsa vero infallibili Divinae voluntatis ordinationi ac decreto subjiciatur. Ad haec, non ait Sanctus Augustinus, ideo praescire Deum futuros actus liberi arbitrii, quod liberum arbitrium valiturum sit aliquid seu facturum; sed contra voluntates nostras, seu potius *omnis creati spiritus* voluntates, certissime valituras, atque omnino facturas, quod eas Deus valituras & facturas voluit, atque praescivit. Quod alio

in

n loco S. Doctor adhuc disertius tradidit dicens: (*a*) *Universas autem creaturas suas, & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit. Non enim nescivit quae fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit.* Hanc vero regulam non ad ea tantum pertinere, quae proprie creantur, seu Dei sola voluntate ex nihilo producuntur, sed etiam ad actus liberi arbitrii, manifeste adparet ex his, quae ante praemiserat: *Nam & nos oramus eum, nec tamen necessitates nostras docemus eum*: Novit enim, *ait Verbum ejus*, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo: *Nec ista ex aliquo tempore cognovit ut nosset; sed futura omnia temporalia, atque in his etiam quid, & quando ab illo petituri fueramus; & quos, & de quibus rebus vel exauditurus, vel non exauditurus esset, sine initio ante praescivit.* Et statim hujusce rei veluti rationem subjungens ait: Universas creaturas tum spiritales, tum corporales, non ideo praecognitas a Deo fuisse, quod essent futurae; sed ideo futuras olim fuisse, quod Deus futuras illas praenoverit. quae proinde doctrina, non ad solas seu spiritales, seu corporeas substantias, verum etiam ad actus liberos pertinet; cujusmodi sunt orationes nostrae: *atque in his etiam quid, & quando ab illo petituri fueramus*; neque tantum ad actus pietatis in praesenti vitiatae corruptaeque naturae statu, sed generatim ad omnem creati spiritus motum & actionem; quum *ad futura omnia temporalia* porrigatur; & *omnes creati spiritus* eo caussarum genere contineantur, quae *& fiunt, & faciunt*; & ideo certissime valiturae sunt, atque omnino facturae, quod Deus valituras & facturas voluit, atque praescivit.

Neque illud praetermittendum, imo sedulo animadvertendum est; Sanctum Doctorem, nedum fatum admittere, si fati nomine ordinem connexionemque caussarum ex Dei voluntate ac potestate pendentem intelligamus; sed etiam Stoicos reprehendere, quod quum hoc sensu fatum docerent, ac tuerentur; omnem tamen ab actibus liberis necessitatem amolirentur; perinde atque libertas, a quaecumque necessitas neutiquam cohaererent. Contra vero Sanctus Doctor ostendit, non omnem necessitatem officere libertati. Id au-

(a) Lib. 15. de Trinit. cap. 13.

autem quomodo accipiendum sit, mox ex Angelico Doctore intelligemus: *Sed quoquo modo*, inquit Sanctus Augustinus, *se habeant tortuosissimae concertationes & disputationes Philosophorum, nos ut confitemur summum & verum Deum; ita voluntatem, summamque potestatem, ac praescientiam ejus confitemur. Nec timemus, ne ideo non voluntate faciamus, quod voluntate facimus, quia id nos facturos ille praescivit, cujus praescientia falli non potest: Quod Cicero timuit, ut oppugnaret praescientiam; & Stoici, ut non omnia necessitate fieri dicerent, quamvis omnia fato fieri contenderent.* Et capite sequenti, in quo adversus eamdem Stoicorum opinionem disputans, quaerit: *An voluntatibus hominum aliqua dominetur necessitas*; haec subjungit; *Unde nec illa necessitas formidanda est, quam formidando, Stoici laboraverunt caussas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent: atque in his, quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberae, si subderentur necessitati.* Postmodum autem variis argumentis probare nititur, libertati non omnem adversari necessitatem. Quorsum vero haec? Nisi ut ostendat, optime cum arbitrii libertate componi genus illud necessitatis, quam Sanctum Augustinum Divus Thomas interpretatus (*a*), *non absolutam, sed conditionalem*; nuncupavit: *Necesse est enim*, inquit, *hanc conditionalem veram esse: Si Deus hoc vult* (voluntate efficaci) *necesse est, hoc esse*: Et infra: [*b*] *Ea, quae fiunt a voluntate Divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult, ea habere, scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantum.* Sed de hac re, deque illo Augustini loco, eique commemorata Stoicorum opinione, sequenti Articulo data opera differemus.

Ut ergo quae observata sunt, paucis complectamur; Augustino auctore didicimus primo, quod etsi fati nomine ob pravam quorumdam intelligentiam abstinendum sit; non esse tamen omnino reprobandam eorum opinionem, qui seriem connexionemque caussarum ex Dei voluntate pendentem, fati nomine intellexerunt. Secundo; In eo caussarum ordine, quas Dei voluntate consertas contextasque Stoici existimarunt, liberas etiam voluntates contineri.

Ter-

(a) 1. par. quaest. 19. art. 8. ad 1. (b) Ibid. ad 3.

ertio ob certum illum ordinem connexionemque caussarum, Dei oluntate ac potestate constitutum, actuum etiam humanorum cerissimam fuisse apud Deum ex ipsa aeternitate praescientiam. Quaro ob eumdem caussarum ordinem Dei voluntate connexum atque raedefinitum, creatae libertatis ideam minime labefactari; quod reati spiritus medii sint inter Deum, & inter corpora, praesertim inanima: Deus vero caussa sit, quae facit, nec fit: corporales autem caussae magis fiant, quam faciant aliquid, quod ab aliis, non a se ipsis moveantur; ac proinde in creatos spiritus, seu caussas spirituales creatas, quae medium locum obtinent, haec optime quadret & congruat notio, quod & fiant, & faciant; seu quod a Deo motae se ipsae moveant. Quinto, non ideo praescisse Deum voluntates creatas quidquam facturas, quod ante divinum decretum quidpiam ex se ipsis facturae essent: sed ideo quidquam facturas, quod eas Deus facturas aliquid voluit, atque praescivit. Sexto, creatae libertati eam non adversari necessitatis speciem, quae ex efficacia oritur divinae voluntatis, & quam *non absolutam & antecedentem, sed conditionalem & consequentem* post Div. Thomam Schola Thomistica appellat.

His ergo principiis nititur ratio conciliandi cum libertate, Dei praescientiam, & voluntatem, ejusque in rebus creatis efficacem operationem, quam Sotus, Sanctorum Augustini ac Thomae vestigiis insistens, sequutus est. Usque adeo vero neutiquam veritus est, ne iis principiis admissis, libertas laederetur arbitrii; ut eam potius inde maxime confirmari atque constabiliri, sapientissime judicarit: *Usque adeo*, inquit, *credimus, ex divina cooperatione & auxilio non auferri libertatem arbitrii; ut potius dicamus, maxime stabiliri*. Id vero ipse etiam Sanctus Augustinus eodem loco ex universa illa disputatione consequens esse intellexit, ac verbis sequentibus declaravit: *Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus praescivit, quid futurum esset in nostra voluntate. Non enim, qui hoc praescivit, nihil praescivit. Porro si ille, qui praescivit, quod futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid praescivit; profecto & illo praesciente est aliquid in nostra voluntate: Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta praescientia Dei, tollere voluntatis ar-*

arbitrium; aut retento voluntatis arbitrio, Deum, (quod nefas est) negare praescium futurorum: Sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur; illud, ut bene credamus; hoc, ut bene vivamus. Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur. Unde absit a nobis ejus negare praescientiam, ut liberi esse velimus, quo adjuvante sumus liberi, vel erimus. Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes, & vituperationes: quia & ipsas futuras esse praescivit, & valent plurimum, quantum eas valituras esse praescivit; & preces valent ad ea impetranda, quae se precantibus concessurum esse praescivit: Quae Sanctus Augustinus de praescientia Dei, eadem in ejus voluntatem, praedefinitiones, decreta, praedeterminationem, praemotionem, operationem optime omnia conveniunt. Non enim propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus efficaciter decrevit, atque praedefinivit, quid futurum esset in nostra voluntate. Non enim, qui hoc efficaciter voluit, atque praedefinivit, nihil praedefinivit. Porro si ille, qui praedefinivit, quid futurum esset in nostra voluntate, non vtique nihil, sed aliquid praedefinivit; profecto & illo praedefiniente, atque efficaciter decernente, est aliquid in nostra voluntate, Quocirca nullo modo cogimur, aut retentis Dei efficacibus praedefinitionibus ac decretis, tollere voluntatis arbitrium; aut retento voluntatis arbitrio, Deum negare caussam & arbitrum futurorum: Sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur. Porro physice nos praemovendo, atque in nobis efficaciter operando, Deus exsequitur, quod ab aeterno decrevit, atque efficaciter praedefinivit. Quare absit a nobis ejus negare physicam praemotionem, ut liberi esse velimus, quo nos physice praemovente, & efficaciter adjuvante, sumus liberi, sive ad suum actum & perfectionem libertas nostra provehitur. Quod autem quae de Praescientia Dei sanctus differit Augustinus, in ejus quoque decreta, praedefinitiones &c. congruere contendimus, ac demonstramus; id ipso Augustino auctore, ac facem praeferente, praestamus. Et ipse enim in libro de Dono perseverantiae, quidquid de Praescientia Dei Massiliensibus admittendum erat, & negari absque manifesta impietate non poterat; in ejus quoque praedestinationem adamussim convenire conten-

tendit, ac demonstravit (*a*). Ubi & egregiam illam regulam statuit, quae in hunc etiam ex libro quinto de Civitate Dei San. Doctoris locum optime quadrat: (*b*) *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei praescientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem praedestinationem intelligere*. Ut enim antea praemiserat: (*c*) *Sine dubio praescivit, si praedestinavit: Sed praedestinasse, est hoc praescisse, quod fuerat ipse facturus*. Ut ergo Praescientia Dei libertas arbitrii non evertitur, sed firmatur; ita optime ait Sotus, Dei voluntate, ejusque in nobis efficaci operatione & auxilio eamdem arbitrii libertatem neutiquam labefactari, sed maxime stabiliri. Cui & consonat illud ejusdem Sancti Augustini alio in loco grauiter sapienterque monentis: (*d*) *Ecce quemadmodum secundum gratiam, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana, non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem; et ut perseveret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem*. Et illud Sancti Prosperi: (*e*)

Hoc itaque arbitrium sanat quum gratia, tolli

Dicitis, & perimi vita adspirante putatis.

Semipelagianos sugillat; quod, quum Dei spiritu libero arbitrio sanitas restituatur, eique vita adspiretur; Ejus tamen gratia, efficacique in nobis operatione hominis libertatem & agendi vim labefieri ac perimi vererentur.



Se-

(a) vid. cap. 14. & seqq.
(b) Ibid. cap. 19. in princ.
(c) cap. 18. in fin.
(d) Lib. de Corrept. & Grat. cap. 8.
(e) Carm. de Ingrat. cap. 28. ver. 593. &c.

§. II.

Secunda Propositio.

Cooperatio gratiae similis est cooperationi, qua Deus in omnibus rebus agit, eisque cooperatur.

ID etiam post Ruardum docet Sotus, atque in tribus ejusmodi similitudinem positam esse declarat; Quod scilicet non minus suavis sit, nec minus arbitrii libertatem servans gratiae cooperatio, quam naturalis; nec minus efficax; nec denique minus necessaria. Primo itaque non esse minus necessariam, verbis sequentibus probat: *Quia sicut absque illa naturali primae caussae motione, nihil effectuum naturalium fit, dicente Scriptura*: sine ipso factum est nihil; *ita sine gratiae operatione, nihil gratuiti operis effici potest, de qua scilicet illud*: sine me nihil potestis facere; *antiqui Patres, & Ecclesia intellexerunt*.

Quod ad Patres adtinet; unus interim sufficiat S. Augustini locus: (*a*) Sine me, *inquit*, nihil potestis facere. *Domine, si sine te nihil, totum in te*. Quod enim de gratiae cooperatione loquatur, ex sequentibus constat: nam statim subjungit: *Etenim quidquid ille operatur per nos, nos videmur operari. Potest ille multum, & totum sine nobis, nos nihil sine ipso*. Porro eadem vis esse videtur superioris ac sequentis Christi Domini auctoritatis: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater; qui misit me; traxerit eum*. „ Huic autem Evangelicae „ sententiae, *Auctore Eminentissimo Bellarmino* (*b*), magis congrue- „ re videtur, si dicamus, Dominum loqui de gratia efficaci, quae „ ita suadet, ut persuadeat. Dicitur autem, *subjungit*, non posse „ venire, qui non trahitur per efficacem gratiam, non quod absolu-

te

(a) Enarrat. 2. in Psalm. 30.
(b) Lib. 2. de Grat. & lib. Arbit. cap. 8

„ te non possit, sed quia infallibiliter non veniet; sicut etiam con-
„ tra, qui trahitur, potest absolute non venire, tamen infallibiliter venit. Atque eodem modo intelligendum esse Sotum, vel ex eo constat, quod gratiae cooperationem cum naturali Dei motione componit; sine qua, non ait, nihil fieri posse, sed nihil fieri naturalium effectuum, Scriptura teste, quae ait: *Sine ipso factum est nihil.*

Eumdem esse, quod etiam ait Sotus, de iis Christi Domini verbis Ecclesiae sensum, ex publicis ejus precibus compertum esse videtur, atque exploratum. *Deus*, inquit Ecclesia, *sine quo nihil est validum, nihil sanctum &c. Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum &c. Largire nobis semper spiritum cogitandi, quae recta sunt, propitius & agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Dirigat corda nostra tuae miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus.* His enim precibus dum humili, ut ait S. Cyprianus (*a*), & submissa confessione *datur totum Deo*; dum Spiritum imploramus cogitandi, & agendi quae recta sunt; ut secundum Deum vivere valeamus; dum corda nostra Dei operatione dirigi postulamus, quia Deo sine Deo placere non possumus; annon aperte significamus, & publice, ac solenniter profitemur; quod sine Dei motione, & ipsius gratiae cooperatione, nihil ad pietatem pertinens fieri a nobis potest, eo potentiae genere, quo sit cum actu conjuncta? Ut enim optime Cl. Petavius animadvertit(*b*):
„ Spiritus nomine adfectus ipsi virtutum intelliguntur ab illumina-
„ tione, & cognitione diversi, quae credendi ac diligendi impetum
„ ac voluntatem minime continet. Sicut orationis spiritus non est
„ revelatio, vel inspiratio, qua movetur intelligendi facultas, ut
„ orandum esse cognoscat, sed est ipsa voluntas orandi, atque propensio. Quum ergo Spiritum imploramus cogitandi, & agendi, quae recta sunt, ut secundum Deum vivere valeamus; eam utique gratiam petimus, quae adfectus ipsos virtutum, quibus recte vivitur, & bene agendi voluntatem, propensionem, atque impetum continet; sine qua proinde secundum Deum vivere non valemus, eo, uti dixi, potentiae genere, quam consequentem nostrates Theologi appel-

(a) Apud S. August. lib de Dono persev. cap. 5.
(b) Lib. de haeresi Semipelag. cap. 8. n. 14.

pellant. Quo sensu etiam intelligendus est D. Thomas, quum ait: (a) *Nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Johan. 15.* „ sine me nihil potestis facere.

Ad alia deinde institutae comparationis capita demonstranda Sotus adgreditur, quod nempe divinae gratiae ad pietatis opera cooperatio non minus efficax sit, nec tamen minus suavis, quàm Dei cooperatio ad opera naturalia: *Sicut* enim, inquit, *Deo ut primo motore, & auctore aliquid operante in caussa secunda, & per eam omnino sequitur effectus; nec tamen libertas aufertur a liberis caussis: ita eo ut gratiae distributore operante per gratiam, non deerit effectus ipse, nec libertas aufertur. Quod supradicta non parum confirmat, & id aperta auctoritate Pauli probatur:* „ Voluntati ejus quis resi- „ stet? *Et*; Deus est, qui justificat.

Paucis complexus est, quae pluribus, in libris de Correptione & Gratia, & de Praedestinatione SS., S. Augustinus prosequitur; quae quoniam ad hanc Soti doctrinam illustrandam plurimum valent, haud piget integra in praesentia repraesentare: *Non est itaque dubitandum,* inquit priore loco (b), *voluntati Dei, qui* in Coelo, & in Terra omnia quaecumque voluit, fecit; *& qui etiam illa*, quae futura sunt, fecit; *humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, quum vult, facit. Nisi forte (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato Viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum potestate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorùm hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est:* (c) Et dimisit Samuel populum, & abiit unusquisque in locum suum, & Saul abiit in domum suam in Gabaa; & abierunt potentes, quorum tetigit Dominus corda, cum Saule. Et filii pestilentes dixerunt: Quis salvabit nos? Hic? Et inhonoraverunt eum, & non adtulerunt ei munera. *Numquid aliquis dicturus est, non iturum fuisse cum Saul quem-*

(a) 1. 2. Quaest. 109. Art. 6. ad 2.
(b) Capite 14. (c) 1. Reg. cap. 10.

quemquam eorum, quorum tetigit corda Dominus, ut irent cum illo; aut ipse aliquem pestilentium, quorum, ut hoc facerent, corda non tetigit? Item de David, quem Dominus in Regnum successu prosperiore constituit, ita legitur: (a) Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus erat cum illo. *Hoc cum praemissum fuisset, paullo post dictum est:* (b) Et spiritus induit Amasai principem triginta, & dixit: Tui sumus, o David, & tecum futuri, Fili Jesse; pax, pax tibi, & pax adjutoribus tuis, quia auxiliatus est tibi Deus. *Numquid iste posset adversari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per spiritum suum, quo indutus est, ut hoc vellet, diceret, & faceret? Item paullo post ait eadem Sriptura:* Omnes hi Viri bellatores, dirigentes aciem corde pacifico, venerunt in Hebron, ut constituerent David super omnem Israel. *Sua voluntate utique isti constituerunt Regem David. Quis non videat? quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico, & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur. Propter quod praemisit Scriptura:* Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo, *Ac per hoc Dominus omnipotens, qui erat cum illo, adduxit istos, ut eum Regem constituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo quum voluerit Reges in Terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correcti corde correctio, ut coelesti constituatur in Regno?*

Duo, quae verbis superioribus docuit Sotus, hoc S. Augustini testimonio apertissime demonstrantur. Primo enim docuit, Deum eadem omnipotentia, qua etiam, ut naturae auctor, *in Coelo, & in Terra omnia quaecumque voluit, fecit*; & quaecumque vult, in rebus, ac de rebus omnibus facit; etiam in ipsis, ac de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, quum vult, efficacissime facere. Secundo, quod quemadmodum Deus, ut auctor naturae in caussis libe-

(a) 1. Paralip. cap. 11. (b) Ibid. cap. 12.

liberis operans, non adimit eis, nec laedit liberum earum arbitrium: ita ad opera pietatis ut auctor gratiae hominem promovens, non minore suavitate, ac providentia liberi arbitrii jura sarta tectaque conservat. Quibus etiam tertio loco illud addendum est; quod ad divinae Majestatis, ac potestatis in liberum arbitrium, & ipsius liberi arbitrii jura invicem concilianda, duo videntur esse necessaria. Primum ex parte liberi arbitrii, ut Deo moventi possit, quemadmodum Tridentina Synodus scissit (*a*), dissentire, si velit, id est, ita consensum praebeat, ut etiam in ejus sit positus potestate dissensus. Alterum ex parte Dei, ut ea vi, & efficacitate movere valeat hominis mentem, ut quamquam ei liberum arbitrium dissentire valeat, nunquam tamen absolutae illius, atque efficaci voluntati dissentiat; imo numquam contingere possit, ut Deo aliquid efficaciter decernenti, ac fieri volenti, actu ac re ipsa resistat. Haec vero tria superioribus S. Augustini verbis apertissime continentur. Primo enim, eadem potestate, qua omnia, quaecumque voluit fecit in Coelo, & in Terra, Deum, ait, quod vult, quum vult, etiam in ipsis, ac de ipsis hominum voluntatibus facere: & antea praemiserat: *Quum autem homines per correptionem in viam justitiae seu veniunt, seu revertuntur; quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris, vel arbustulis operante, dat incrementum Deus; cui volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium?* Secundo, opera Dei in cordibus hominum, ut ad coeleste regnum promoveantur, cum opere comparat, quo in Israelitarum, & Judeorum cordibus egit, ut Saulem, & Davidem Reges in Terra constituerent; quod utique Judaei, & ex animo, ac libera voluntate fecerunt; licet hoc in eis egerit, *qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur*. Quod ad tertium adtinet; plane ac diserte adfirmat S. Doctor, velle, seu nolle, quum a Deo movetur, esse in hominis potestate; & in Israelitarum, & Judaeorum potestate fuisse, subdere se memoratis Regibus, aut non subdere: adjungit tamen; sic velle seu nolle esse in volentis, aut nolentis potestate, *ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*; neque subdere se memoratis Regi-

(a) Sess. 6. Can. 4.

gibus, aut non subdere, ita fuisse in Israelitarum positum potestate, *ut etiam Deo valerent resistere*. Denique, esse quidem in hominum potestate eorum voluntates, sed eas tamen magis esse in potestate Dei; qui *magis habet*, inquit, *in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas; sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem*. Cui proinde subjecta sit oportet potestas, quam habet homo voluntatem suam in quamlibet partem inclinandi.

Testimonia Scripturae, quae de Saul, vel de David S. Augustinus produxerat, ad eam, de qua tunc agebatur, *de Correptione, & Gratia*, quaestionem minime pertinere, Massilienses apud Hilarium (*a*) contendebant. Quapropter ea iterum tractare, eorumque vim exerere S. Doctor adgressus est laudato superius libro de Praedestinatione SS. ubi sacrarum Scripturarum variis auctoritatibus demonstrat; non minus Deum per gratiam suam operari hominum voluntates, quibus ad coeleste Regnum provehuntur, quam quibus efficit, ut super terram Reges constituantur: (*b*) *Frustra itaque etiam illud; quod Regnorum & Paralipomenon Scriptura teste probavimus, quum Deus vult fieri, quod nonnisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle, ad caussam, de qua discerimus, non pertinere dixerunt. Quid est aliud nihil dicere, & tamen contradicere? Nisi forte, cur eis hoc visum sit, rationem vobis aliquam reddiderunt, quam vos in litteris vestris tacere maluistis. Sed quae illa esse possit, ignoro. An forte quia ostendimus, hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse, quorum ei placuit, voluntates, ut Rex constitueretur Saul, sive David; ideo haec exempla caussae huic convenire non putant, quoniam non hoc est temporaliter regnare in hoc saeculo, quod est in aeternum regnare cum Deo; ac per hoc existimant, ad Regna terrena facienda, Deum inclinare; ad Regnum vero coeleste obtinendum, Deum non inclinare, quorum voluerit, voluntates? Sed puto, propter Regnum Coelorum, non propter Regnum terrenum esse dictum*: Inclina cor

(a) Epist. ad Augustin. ante lib. de Praedest. Sanctor.
(b) Capite 20.

cor meum in testimonia tua: *vel*, a Domino gressus hominis diriguntur; & viam ejus volet: *vel*, Paratur voluntas a Domino: *vel*, Fiat Dominus noster nobiscum, sicut erat cum Patribus nostris; non derelinquat nos, nec avertat nos a se; inclinet corda nostra ad se; ut eamus in omnibus viis ejus: *vel*, Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes: *vel*, Dabo eis cor aliud, & spiritum novum dabo eis. *Audiant etiam illud*: Spiritum meum dabo in vobs; & faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis: *Audiant*: A Domino diriguntur gressus Viri: Mortalis autem quomodo intelligit vias suas? *Audiant*: Omnis Vir videtur sibimetipsi justus; dirigit autem corda Dominus. *Audiant*: Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam aeternam. *Audiant haec, & alia quaecumque non dixi, quibus ostenditur Deus ad Regnum etiam Coelorum, & ad vitam aeternam parare, & convertere hominum voluntates. Cogitate autem, quale sit, ut credamus, ad constituenda Regna terrena hominum voluntates operari Deum; & ad capessendum Regnum Coelorum homines operari voluntates suas.* Ex quibus omnibus constat, Deum, auctore D. Augustino, cum civilium, tum piarum actionum per efficacem suam operationem fontem esse, & originem; ac recte Soto constitutum esse; nec minus esse necessariam, nec minus suavem, & efficacem Dei motionem ad opera pietatis, quàm ad opera naturalia, sive actus moralis honestatis exprimendos.

§. III.

§. III.

Propositio tertia.

Quum Deus, ut universale agens, ad naturalia opera efficaciter moveat voluntatem, non proponens, vel suadens tantum; sed in eam imprimens, ipsamque effectivè inclinans: ita per omnia, ut gratiae distributor, ad opera gratiae non minus voluntatem movet.

DEmonstrat hanc Sotus propositionem variis, quas refert, vel ad quas digitum intendit, SS. Augustini (*a*) & Angelici praeceptoris (*b*) auctoritatibus, quas apud eum consulat Lector. Iis enim omissis, unum heic tantum, expendam laudati S. Augustini testimonium, Soto quidem intactum, sed quo egregie, quae hactenus dicta sunt, confirmantur, & illustrantur, Ut vero illud penitius intelligatur; prae oculis habenda est ratio, qua potissimum Thomistae demonstrari existimant physicae praemotionis necessitatem. Haec enim eo principio nititur, quo S. Thomas adserit, manifestius ac luculentius Dei exsistentiam demonstrari. Quidquid movetur, ab alio movetur: *Certum est enim*, inquit S. Doctor (*c*) *& sensu constat, aliqua moveri in hoc mundo: omne autem, quod movetur, ab alio movetur. Nihil enim movetur, nisi secundum quod est inpotentia ad illud, ad quod movetur; movet autem aliquid, secundum quod est actu ..... sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum inpotentia, esse actu calidum, & per hoc movet, & alterat ipsum. Non autem est possibile, ut idem sit simul in actu & potentia secundum idem, sed solum secundum diversa: quod enim est calidum in actu, non potest simul esse calidum inpotentia, sed est simul frigidum inpotentia. Impossibile est ergo, quod secundum idem, & eodem modo aliquid sit movens & motum, vel quod mo-*

(*a*) Lib. 1. cont. duas Epist. Pelagianor. cap. 19. & 10. & lib. 4. cap. 6. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 20. & 21. & lib. de Corrept. & Grat. cap. 8.

(*b*) 1. P. Quaest. 107. & Quaest. 111. & 1. 2. Quaest. 9.

(*a*) 1. P. Quaest. 2. Art. 3.

moveat seipsum : *omne ergo* , *quod movetur* , *oportet ab alio moveri.* Quum autem, ut subjungit, in iis, quae ab alio moventur, non possit infinita fieri progressio; desinere oportet in uno aliquo, quod immobile sit, & aeternum, & a quo cetera moveantur; quod esse dicimus Deum.

Huic rationi plurimum lucis adtulerunt, praeter innumeros de Schola Thomistas, Auctor Tractatus Gallici de Actione Dei in creaturas, seu de physica praemotione rationibus, ut plurimum Geometrica methodo dispositis, demonstrata: & illustrissimus olim Meldensium Episcopus Jacobus Benignus Bossuetus in Tractatu nuper edito de Libero Arbitrio, quem jamdudum in usum Serenissimi Delphini elucubraverat; ubi cum necessitatem physicae praemotionis ad omnes rerum creatarum actiones generatim ostendit; tum praesertim gratiam esse vi sua efficacem; eamqua in physica ad pias actiones praemotione esse constituendam, & hanc optimam esse rationem conciliandi cum efficacitate gratiae humani arbitrii libertatem: „ Haec enim, *inquit Cl. Bossuetus* (*a*) eorum Theologorum „ sententia est, qui Thomistae nuncupantur; idque doctiores inter „ ipsos hisce nominibus, *Praemotio*, & *Prædeterminatio physica*, „ significare intendunt; quae quamvis dura aliquibus videantur; „ attamen si recte intelligantur, optimum habent sensum. Hi enim „ Theologi, quam initio informavimus, humanarum actionum „ ideam integram, & sartam tectamque tuentur: Sed ita constitutae libertatis exercitium ex Deo tamquam primaria caussa promanare ac proficisci volunt; qui non illud modo praevenientibus „ excitationibus operetur, sed intimius etiam adtingat; id est, „ in eo, quod magis intimum habet, ipsa nimirum ejus οὐσία seu „ natura. *Et rursum* : Hæc, *inquit* (*b*), ratio liberum arbitrium cum „ Dei

(*a*) Tel est le sentiment de ceux, qu' on appelle Thomistes : voilá ce que veulent dire les plus habiles d' entre eux, par ces termes de *premotion &* *predetermination physique*, qui semblent si rudes à quelques uns : mais qui etant entendus, ont un si bon sens. Car enfin ces Théologiens conservent dans les actions humaines l' idée toute entiere de la liberté, que nous avons donnée au commencement: mais ils veulent, que l' exercice de la liberté ainsi defini, ait Dieu pour cause premiere, & qu' il l' opere non-seulement par les attraits qui le precedent, mais encore dans ce qu' il a de plus intime. *loc. cit. cap.* 8. *in fine*.

(*b*) Cette maniere de concilier le libre arbitre avec la volonté de Dieu, paroit la plus simple, parcequ' elle est tirée seulement des principes essentiels qui constituent la creature, & ne suppose autre chose que les notions precises que nous avons de Dieu & de nous-memes *Ibid. cap.* 10. *in fine*.

„ Dei voluntate conciliandi, simplicissima esse videtur, ut „ quae ex solis principiis derivetur rei creatae ideam constituenti- „ bus; neque alia re nitatur, quam claris nitidisque notionibus, „ quas de Deo, ac de nobis ipsis circumferimus.

Haec itaque adeo commoda expediendae hujusque difficultatis ratio, Augustino; qui hoc argumentum, cum in iis libris, quos pro libero arbitrio adversus Manichaeos, tum in iis, quos pro Dei gratia adversus Pelagianos elucubravit, plane exhausisse videtur; adeo ignota esse non potuit, ut non ejus saltem principia ac fundamenta posuerit. Petavius quidem productum superius ex Angelico Praeceptore, quod ex motu petitur, quove praemotio physica nititur, argumentum, ubi ad exsistentiam Dei adversus Atheos demonstrandam adgressus est, ideo praetermittendum existimavit, quod *id Philosophorum*, inquit (a), *disputationibus ac Scholis magis congruit, quam instituto a nobis Operi: quod ex antiquorum Patrum decretis, ac sententiis efflorescit: qui argumentationis genere illo uti non solent*. Non est hujus loci universim in veterum Patrum hac de re disputationes inquirere; quos mihi obvium esset ostendere, hoc argumento adversus Atheos decertasse. Unus mihi inpraesentia instar omnium erit Augustinus, cujus est in his rebus gravissima, atque excellentissima auctoritas. Ille vero hac certe via & ratione, probare adgressus est; quaecumque bona in rebus mutabilibus conspiciuntur, nisi ex aliqua forma aeterna, atque incommutabili esse non posse; quam proinde exsistere necesse sit, ejusque omnia moveri, administrari, ac perfici arte, gubernatione, providentia. En S. Doctoris verba: (a) *Omnis enim res mutabilis, etiam formabilis sit necesse est. Sicut autem mutabile dicimus, quod mutari potest: ita formabile, quod formari potest, appellaverim. Nulla autem res formare se ipsam potest: quia nulla res potest dare sibi quod non habet; & utique ut habeat formam, formatur aliquid. Quapropter quaelibet res, si quam habet formam, non ei opus est accipere quod habet: si qua vero non habet formam, non potest a se accipere quod non habet: nulla ergo res, ut diximus, formare se potest. Quid*

A a *autem*

(a) Lib. 1. Theolog. Dogmat. cap. 2. n. 21.
(b) Lib. 2. de lib. Arbit. cap. 17.

autem amplius de mutabilitate corporis & animi dicamus? superiu. enim satis dictum est. Conficitur itaque, ut & corpus & animus forma quadam incommutabili, & semper manente formentur. Cui formae dictum est: Mutabis ea, & mutabuntur: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. *Annos sine defectu pro aeternitate posuit Prophetica locutio. De hac item forma dictum est, quod* „ In „ se manens innovat omnia.

Diversis verbis eodem tendunt, atque unam eamdemque rem conficiunt S. Thomas, & S. Augustinus. Quod enim S. Thomas docuit, quum, quidquid movetur ab alio moveri, statuit; ac propterea pertingendum esse ad unum primum motorem omnino immobilem, a quo omnia moveantur; hoc S. Augustinus docuit, quum, quidquid formatur, ab alio formari adseruit; ideoque perveniendum esse ad unam primam formam incommutabilem, a qua reliqua omnia formentur. Et quemadmodum S. Thomas ostendit, quod nulla res primo movere se ipsam potest, quia quod movetur, est in potentia; idest, actu ac reipsa non habet, sed habere potest eam formam & perfectionem, ad quam movetur: movet autem aliquid, secundum quod est in actu; hoc est, inquantum reapse habet formam seu perfectionem, quae principium est & caussa motus sive actionis, qua res alias movet ac perficit: ita S. Augustinus contendit, quod nulla res formare se ipsam potest, quia quaelibet res si quam habet formam, non ei opus est accipere, quod jam habet: si vero non habet formam, non potest a se accipere, quod non habet.

Pergit S. Augustinus, atque ex eodem principio; *Quidquid formatur, ab alio formari necesse est*; omnia Dei providentia gubernari colligit, eamque in omnibus rerum creatarum motibus manifestari, quibus ad congruas ipsis perfectiones proficiscuntur: *Hinc etiam comprehenditur, omnia providentia gubernari. Si enim omnia, quae sunt, forma penitus subtracta, nulla erunt: Forma ipsa incommutabilis, per quam mutabilia cuncta subsistunt, ut formarum suarum numeris impleantur, & agantur; ipsa est eorum Providentia: Non enim ista essent, si illa non esset. Intuens ergo & considerans universam creaturam, quicumque iter agit ad sapientiam, sentit sapientiam in via se sibi ostendere hilariter, & in omni providentia occur-*

currere sibi: *& tanto alacrius ardescit viam istam peragere, quanto & ipsa via per illam pulcra est, ad quam exaestuat pervenire*. Rerum mutabilium, uti docet S. Thomas, nullus est motus, qui non ex primo motore omnino immobili defluat; vel, quod perinde est, rerum formabilium, ut ait S. Augustinus, nulla est forma, neque vel tenuis inchoatio formae, quae non ex semper manente atque incommutabili forma proficiscatur: ac proinde rerum creatarum nullus est motus, qui non in aeterna Dei providentia praeordinatus sit, neque divina gubernatione administretur. Nihil enim sine ordine ex Deo est, qui omnia in numero, & pondere, & mensura disposuit. Porro, eodem auctore D. Thoma (a), Providentia nihil est aliud, quam ratio ordinis rerum creatarum in finem; gubernatio vero hujusce ordinis executio. Recte ergo docet S. Augustinus; formam illam incommutabilem, per quam mutabilia cuncta subsistunt, ut formarum suarum numeris impleantur & agantur, ipsam esse eorum Providentiam: eamque iter agenti ad sapientiam, in via occurrere, ac se ostendere hilariter; hoc est, passim, & in omnibus rerum creatarum motibus manifestari, ac se praebere conspicuam.

Ex eodem principio; *Quidquid formatur, ab alio formari necesse est*; id etiam conficit S. Augustinus: Nullum esse in rebus tum spiritualibus, tum corporalibus vel minimum bonum, nihil vel exigua laude dignum, quod non ex Deo exsistat, neque ad ejus laudem & gloriam referendum sit: *Quamobrem*, inquit, *quantacumque bona, quamvis magna, quamvis minima, nisi ex Deo esse non possunt. Quid enim majus in creaturis, quam vita intelligens, aut quid minus potest esse, quam corpus? quae quantumlibet deficiant, & eo tendant, ut non sint; tamen aliquid formae illis remanet, ut quoquo modo sint. Quidquid autem formae cuipiam rei deficienti remanet, ex illa forma est, quae nescit deficere, motusque ipsos rerum deficientium excedere numerorum suorum leges non finit. Quidquid igitur laudabile advertitur in rerum natura, sive exigua, sive ampla laude dignum judicetur, ad excellentissimam & ineffabilem laudem referendum est Conditoris: nisi quid habes ad haec*.

Ne quis vero reponat, intelligendum esse S. Doctorem de natura-

(a) 1. P Quaest. 22. Art. 3. & Quaest. 103. Art. 4.

turalibus bonis, sive de illis, quibus bene operandi facultas spiritualibus naturis tribuitur; non autem de libero voluntatis usu: ex posito semel fundamento, quod *nulla res formare se ipsam potest*, unde confectum est, nullum esse in rebus tum corporeis, tum intelligentibus vel minimum bonum, quod non sit ex Deo; colligit etiam S. Augustinus, & ipsam liberam voluntatem, & multo magis liberae voluntatis usum ex Deo esse; atque inter cetera haec habet: (a) *Intueris enim justitiam, qua nemo male utitur. Haec inter summa bona, quae in ipso sunt homine, numeratur, omnesque virtutes animi, quibus ipsa recta vita & honesta constat..... (b) Ista ergo magna bona sunt: sed meminisse te oportet, non solum magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo, a quo sunt omnia bona, hoc est, Deo. Id enim superior disputatio persuasit, cui totiens, tamque laetus adsensus es. Virtutes igitur, quibus recte vivitur, magna bona sunt: species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt: potentiae vero animi, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt..... Quare abundantia & magnitudo bonitatis Dei, non solum magna, sed etiam media, & minima bona esse praestitit; magis laudanda est bonitas ejus in magnis, quam in mediis, & magis in mediis, quam in minimis bonis; sed magis in omnibus, quam si non omnia tribuisset.* Quid apertius ac luculentius desiderari potuit?

Ne cui tamen veniat in mentem, de habitibus virtutum esse S. Doctorem, non autem de illarum actibus intelligendum; adtendat quae paullo inferius subjungit: *Voluntas ergo, quae medium bonum est, quum inhaeret incommutabili bono, eique communi, non proprio; sicuti est illa, de qua multum locuti sumus, & nihil digne diximus, veritas; tenet homo beatam vitam: eaque ipsa vita beata; idest, animi adfectio inhaerentis incommutabili bono; proprium & primum est hominis bonum ..... sed malum, aversio ejus ab incommutabili bono, & conversio ad mutabilia bona: quae tamen aversio, atque conversio, quoniam non cogitur, sed est voluntaria* (id est, libera) *digna & justa eam poena consequitur*. Haec autem de conversione & aversione, quae in animi ac voluntatis actu versantur, esse intel-

(a) Cap. 18. (b) Cap. 19.

intelligenda, nemo inficias iverit; quum solis actibus mereamur sive demereamur: & beatitudo, non solum plena atque perfecta, cujusmodi nobis in futura vita promittitur; sed etiam inchoata & imperfecta vitae praesentis, auctore D. Thoma (a), in actu sive operatione posita sit. Verum, praeter hactenus recensita, omnem etiam hac de re dubitandi retionem adimunt, quae statim S. Augustinus adjungit: (b) *Sed tu fortasse quaesiturus es; quoniam movetur voluntas, quum se avertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum; unde ei iste motus exsistat; qui profecto malus est: tametsi voluntas libera, quia sine illa nec recte vivi potest, in bonis numeranda sit. Si enim motus iste, idest, aversio voluntatis a Domino Deo, sine dubitatione peccatum est: num possumus auctorem peccati Deum dicere? Non erit ergo iste motus ex Deo; Unde igitur erit?* Est ergo S. Doctor locutus in superioribus de aversione ab incommutabili bono, & de conversione ad ipsum, quatenus in actu motuque versantur: adeoque ratio illa, quae ex hoc principio conficitur; *quidquid formatur ab alio formari necesse est*; non ad solam naturam, ejusque facultates, ac bonos habitus pertinet, sed vel maxime ad actus motusque bonos, quibus ad incommutabile bonum convertitur. Nam motum illum aversionis, *quod*, inquit, *fatemur esse peccatum*, ideo ad Deum non pertinere docet, *quoniam defectivus motus est; omnis autem defectus ex nihilo est*. Ceterum, praeter istum motum defectionis, prout ex defectu & nihilo est, & ad nihilum tendit; quemcumque alium motum liberae voluntatis ex Deo esse, ob illam generalem rationem, quod omnis forma seu perfectio creaturae ex aeterna quadam atque incommutabili forma dimanet; firmiter atque inconcusse tenendum admonet illis ejusdem capitis verbis. *Tu tantum pietatem inconcussam tene, ut nullum tibi bonum vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo. Ita enim nulla natura occurrit, quae non sit ex Deo. Omnem quippe rem, ubi mensuram, & numerum, & ordinem videris, Deo artifici tribuere, ne cuncteris.* Haec enim ad liberas quoque humanae voluntatis actiones pertinere: in quibus etiam & modum, & speciem, & ordinem; seu & pondus, & men-

(a) 1. 2. Quaest. 3. Art. 2.
(b) Ubi sup. cap. 20.

& mensuram, & numerum reperiri, ex ipso S. Augustino [a] D. Thomas docet [b]: manifeste colligitur ex loco mox adducendo ex libro primo Retractationum; ubi Pelagianam haeresim, ex Deo esse negantem bonum liberae voluntatis usum; inter cetera, mox etiam laudatis verbis se ait, antequam erumperet, profligasse. Quod etiam Doctorem Angelicum praestitisse, dum eo principio, quod saepe memoratum est; *Quidquid movetur, ab alio moveri necesse est*; vim ac necessitatem divinae gratiae demonstravit; postea videbimus,

Nunc vero integrum heic describere oportet S. Doctoris locum ex laudato libro primo Retractationum; ubi illam de libero arbitrio adversus Manichaeos lucubrationem ad limam revocans, inter cetera haec habet: (c) *De gratia vero Dei, qua suos electos sic praedestinavit, ut eorum, qui jam in eis utuntur libero arbitrio; ipse etiam praeparet voluntates; nihil in bis libris disputatum est, propter hoc proposita quaestione. Ubi autem incidit locus, ut hujus gratiae fieret commemoratio, transeunter commemorata est; non quasi inde ageretur, operosa ratiocinatione defensa .... Quapropter novi Haeretici Pelagiani, qui liberum sic adserunt voluntatis arbitrium, ut Gratiae Dei non relinquant locum; quandoquidem eam secundum merita nostra dari adserunt; non se extollant, quasi eorum egerim caussam, quia multa in bis libris dixi pro libero arbitrio, quae illius disputationis caussa poscebat*. Et indicatis aliquot locis, subjungit: *In bis, atque hujusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra putant .... Nam & in bis libris, qui non contra illos omnino; quippe illi nondum erant; sed contra Manichaeos conscripti sunt de libero arbitrio, non omni modo de ista Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre. Diximus quippe in secundo libro, non solum magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo, a quo sunt omnia bona, hoc est, Deo*. Et paullo post: „ Virtutes, *inquam* (d), quibus recte vivitur, magna bona sunt &c. Quare abundantia, & magnitudo boni-ta-

(a) Lib. de Nat. boni cap. 3. & 23.
(b) I. 2. Quaest. 75. art. 4
(c) Lib. 1. Retract. cap. 9.
(d) Vid. sup. pag. 188.

tatis Dei non solum magna, sed etiam media, & minima bona esse praestitit &c. *Et alio loco*: Tu tantum, *inquam* (*a*), pietatem inconcussam tene, ut nullum tibi bonum vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo..... *Ecce tam longe antequam Pelagiana haeresis exstitisset, sic disputavimus, velut jam contra illos disputaremus. Quum enim omnia bona dicerentur ex Deo, id est, & magna, & media, & minima: in mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & male illo uti possumus; sed tamen tale est, ut sine illo recte vivere nequeamus: bonus autem usus ejus jam virtus est, quae in magnis numeratur bonis, quibus male uti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut dictum est, & magna, & media, & minima ex Deo sunt; sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberae voluntatis, quae virtus est, & in magnis numeratur bonis*. Quibus verbis, eo principio; *Quidquid formatur, ab alio formari necesse est*; aperte demonstrari significat, & bonum usum liberae voluntatis, in actibus ad Christianam pietatem pertinentibus, ex Deo esse per gratiam.

Ut enim quae latius disputata sunt, jam paucis complectar, ac sub uno velut intuitu collocem; ex dictis constare arbitror primo; eo principio: *Nulla res movere, aut formare se ipsam potest*; sed *quidquid movetur, aut formatur, ab alio moveri, aut formari necesse est*; cui physica Thomistarum praemotio, aut praedeterminatio innititur, ante D. Thomam, & S. Augustinum usum esse, ad probandam unius primi Motoris omnino immobilis, vel unius Formae semper manentis, atque incommutabilis exsistentiam. Secundo, eodem principio, auctore D. Augustino, demonstrari, omnia bona, & magna, & media, & minima, ex Deo esse. Tertio, haec inter bona, quae ob generalem illam rationem, ex actione primi motoris in res creatas desumtam, ex Deo esse adfirmantur, bonum quoque usum commemorari liberae voluntatis. Denique hinc stabiliri, bonum usum ejusdem liberae voluntatis in actibus pietatis ex Deo esse per gratiam. Ex quo etiam illud sponte fluere videtur, quod Sotus, & ceteri passim Thomistae docent; gratiam efficacem physice praemovere, ac praedeterminare liberam voluntatem. Negabunt hanc con-

(a) Vid. sup. pag. 189.

consecutionem Moliniani. Sed quam illa perspicue ex antecedentibus derivetur, haud difficile ostenditur. Nulla res mutabilis, aut formabilis movere, aut formare se ipsam potest; sed quidquid movetur, aut formatur, ab alio moveri, ac formari necesse est. Id vero, quamquam principii instar haberi posset, ab Augustino, & Angelico Praeceptore ejusmodi ratione probatur, quae physicam Dei in creaturas impressionem, & actionem demonstrat. Nam quaelibet res, inquit S. Thomas, movetur, *secundum quod est in potentia*; id est, inquantum re ipsa non habet, sed potest habere formam, ad quam movetur: *movet autem, secundum quod est in actu*; hoc est, inquantum reapse habet formam, quae motus principium est, & origo: *Nulla autem res*, inquit S. Augustinus, *potest dare sibi, quod non habet*; *& utique ut habeat formam, formatur aliquid*: ergo nulla res formare se ipsam potest; sed formam, quam non habet, ab alio eam accipere oportet; quod certe absque physica motoris, ac formatoris in rem mutabilem, seu formabilem actione; & impressione intelligi nequit: Sed voluntas humana est quiddam formabile, seu mutabile; movetur autem, ac formatur, seu perficitur propriis actibus: ergo mo[illegible], ac formari, seu perfici re ipsa nequit, ac proprios actus elice[illegible]i Deo eam physice praeveniente, ac praemovente: neque hoc ta[illegible]m, sed etiam physice praedeterminante, quod eadem ratione ostenditur: Res formabilis, atque determinabilis formare se ipsam, ac determinare non potest: quia nulla res potest dare sibi, quod non habet: & utique ut habeat formam, seu determinationem, formatur aliquid, seu determinatur: Si qua ergo res habet formam, & est ultimo determinata, non ei opus est accipere, quod habet: Si qua vero non habet formam, neque est ultimo determinata, non potest a se accipere quod non habet, sed oportet ut ab alio determinetur: at voluntas, qualibet praeveniente excitatione permota, non est adhuc, seu non intelligitur ultimo determinata ad consensum: ergo a se ipsa accipere non potest, quod non habet, sed opus est, ut a Deo physice determinetur: loquor autem de illo genere potentiae, quae sit cum actu conjuncta, & in actione versetur. Ex quibus omnibus elicitur, non ob solam naturae humanae infirmitatem, auctore D. Augustino, necessariam esse gratiam suapte vi efficafica-

ficacem; sed etiam ob rerum creatarum a Deo dependentiam; ob quam necesse est, ut res omnes mutabiles, atque formabiles forma quadam incommutabili, & semper manente formentur.

Idem ex eo principio consequens esse, optime etiam S. Thomas animadvertit, quum enim de Gratia, ejusque ad pietatis actus necessitate disserere adgrederetur; hoc statim & in ipso quaestionis limine omnium deinceps tradendorum veluti principium ac fundamentum statuit: quod quemadmodum omnes inferiorum corporum motus, ex motione superiorum corporum pendent: ita omnes rerum omnium tum corporalium, tum spiritualium motus, & actiones ad unum primum motorem omnino immobilem referendi sunt, ac propterea nullam esse in rebus tum corporeis, tum spiritualibus naturam adeo perfectam, cui ad suos actus exprimendos non opus sit, ut a Deo moveatur: (a) *Manifestum est autem, quod sicut motus omnes corporales reducuntur in motus coelestis corporis, sicut in primum movens corporale: ita omnes motus tam corporales, quam spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo.* Hinc vero in sequentibus Articulis probat; homini adhuc integro, & innocenti opus fuisse divina motione, ut bonum quodcumque vellet, ut Deum diligeret, ut Dei praecepta servaret, ut in bono perseveraret &c. Hanc porro motionem & physicam esse, & praevenientem, seu praedeterminantem, ac proinde vi & natura sua efficacem, facile ostendi potest. Est enim homini necessaria ob generalem rerum omnium creatarum a Deo in suis motibus dependentiam; quae certe physica est. Quumque ideo exigatur, ut sub Deo motore voluntas in suo se ipsa ordine moveat, ut se determinet; palam est, ejusmodi motione voluntatem a Deo cum physice praeveniri, tum etiam physice praedeterminari. Pluribus haec illustrari possent S. Augustini testimoniis; sed vela interim complicanda sunt. Quae enim hactenus disseruimus, ad Soti, & communem Thomisticae Scholae doctrinam communiendam, pro institutae disputationis ratione satis esse videntur.

(a) 1. 2. Quaest. 109. Art. 1.

§. IV.

Soti de conciliatione Gratiae, & liberi Arbitrii doctrina ab Adversarii calumniis, pravisque interpretationibus vindicatur.

EGimus superioribus §§. ut Soti doctrina de concordia Gratiae, & liberi Arbitrii splendorem suum, ac Theologicam gravitatem, majestatemque recuperaret, qua illam Adversarius dejicere, praecipua illius momenta dissimulando, voluerat. Nunc agendum est, ut ab ea omnem erroris suspicionem amoveamus, qua illam Duchesnius adspergere pravis interpretationibus voluit. Non enim, ut eum Duchesnius interpretatur, de gratia generatim, sed de gratia efficaci, seu de gratiae cooperatione, Sotus loquitur, quum ejus subtractione liberam bene agendi facultatem non auferri propugnat. Quid vero in universa Schola Thomistica, juxta SS. Augustini, ac Thomae principia, magis constans, atque exploratum; quam homini viatori gratiae vi sua efficacis operatione non adimi libertatem ad malum, neque ejusdem gratiae subtractione labefactari bene agendi liberam potestatem? Id enim vel pueri nostri sciunt. Fieri quidem non potest, ut Deo ad actum pietatis efficaciter hominem promovente, homo impietatis actum exprimat; quemadmodum nec fieri potest, ut perperam agat, dum recte agit. At nulla repugnantia est, ut quum a Deo ad actum pietatis efficaciter praemovetur, simul retineat impie agendi liberam facultatem; quemadmodum & dum religiose agit, potentiam non amittit habendi animum irreligiosum. Et contra, dum efficax divinae gratiae operatio subtrahitur, aut denegatur; retinere homo potest boni actus integram potestatem; quomodo & potentiam agendi, dum non agit: etsi fieri simul & coniunctim nequeat, ut actum pietatis exprimat, dum efficax auxilii coelestis operatio deest; quomodo nec fieri simul, & conjunctim potest, ut quis studiose agat, dum feriatur, & otio atque operum cessatione torpescit. Haec summa est Thomisticae doctrinae, quam Sotus hoc loco tuetur. Sed praestat suis ipsum verbis differentem audire

dire. Postquam enim variis D. Augustini, & Angelici Praeceptoris auctoritatibus demonstravit; quod quemadmodum Deus, ut universalis agens, ad naturalia opera efficaciter movet voluntatem, non proponens, vel suadens tantum, sed in eam imprimens, eamque effective inclinans: ita per omnia, ut gratiae distributor, ad opera gratiae non minus physice, atque efficienter voluntatem movet; haec statim subiungit:

Ex dicta similitudine(quae inter Deum, ut Auctorem operum naturalium, & actuum pietatis, instituta est) *hoc quoque ut certum inferri credimus; quod sicut Dei cooperatio, sive naturae, sive gratiae, ejusque auxilium libertatem non aufert arbitrii: ita etiam nec ejusdem subtractio ulla ratione ipsa nos privat: quae nihilominus sola divina, suprema videlicet caussa, saepius contingit. Quidquid enim auxilii vel cooperationis, ad quaecumque opera vel naturae, vel gratiae datur a Deo, id certe liberaliter ille dat, & subtrahit, pro suo arbitrio; ut etiam hic verum sit:* Voluntati ejus quis resistet &c. Si destruxerit, *inquit Job*, nemo est, qui aedificet: si concluserit hominem, nullus est, qui aperiat; qui praecipit Soli, & non oritur. *Sicut igitur cum operatur in secundis caussis etiam liberis, nihil aufert eis, sed potius confert, & stabilit eorum naturas: ita etiam nunc dicimus; cum non adest ad opus, non propterea aufert eis libertatem, aut facultatem. Nam cum opera illa universalis concursus Dei sit efficax, non stat, cum aliquid ut primam caussam in nobis efficere, & id non effici*. Potuit ne Sotus suam disertius mentem aperire, & apertius significare, sibi de gratia efficaci, ac physice praemovente sermonem esse, quum docet; neque illius vi, & efficacitate, ad malum, neque illius subtractione ad bonum adimi hominibus libertatem? De eadem gratia constat etiam intelligendum esse, quod ait; ejus distributionem ex mera Dei voluntate, & arbitrio, atque aeterna, & immutabili ordinatione pendere. Ceterum, praeter ejusmodi gratiam physice praevenientem, aliam agnoscere Sotum, quae in mentis illustrationibus, & moralibus voluntatis excitationibus sita est, quam sufficientem nominamus; praeter loca, quae superiori Articulo producta sunt; vel ex hoc loco manifeste probatur, in quo Jansenianum errorem cubare, Adversarius contendit. Ait enim

Sotus, quod quemadmodum Deus, ut auctor operum naturalium; ita etiam ut gratiae distributor, non modo interioribus illustrationibus, & suasionibus, sed etiam physico, ac reali impulsu, itemque physica efficientia in voluntatem agit, ubi aperte duplex divinae gratiae genus distinguit, quorum alterum in intimo divinae inspirationis illapsu, ac mentis, seu voluntatis excitatione; alterum verò in physica, & vi sua efficaci ejusdem voluntatis commotione versatur; quorum primum ab altero sejunctum, ut re ipsa saepius sejungi Sotus admittit, sufficientis gratiae nomine significamus. Confert enim ad pietatis actus exercendos expeditam, ac proximam potestatem; cui tamen, ut re ipsa consensum exprimat, alterum illud gratiae genus adjungendum est, quo Deus *voluntatem nostram*, ut ait Petavius, *moveat quo vult, & impellat; non alliciendo solum, sed etiam ipsam voluntatis actionem in nobis operando.*

Quare subtracta gratia physice praeveniente, libertas non auferatur arbitrii, hanc Sotus rationem subjungit: quoniam non absolute, ac simpliciter, sed solum ex suppositione fieri non possit, ut aliquem pietatis actum exprimat, dum physica ad illum Dei operatio deest. Ait Duchesnius, aegre cum hac Doctrina componi posse, ad servanda praecepta supernaturalia, liberam hominis facultatem. At Sotus doctrinae suae testem locupletissimum profert Angelicum Praeceptorem: *Dicit hoc disertis verbis B. Thomas* 1. 2. *Quaest.* 10. *Artic.* 4. *ad* 3. *addens rationem & certissimam, & propriissimam, quare non auferatur liberum arbitrium. Quoniam non est simpliciter impossibile, voluntatem non moveri ad id, ad quod Deus illam movet, sed solum ex suppositione.* Verba S. Doctoris citato loco sic habent: „ Si „ Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic posi- „ tioni(*al. Impossibile est poni*) quod voluntas ad illud non movea- „ tur. Non tamen est impossibile simpliciter. Unde non sequitur, „ quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur. Disputet ergo Duchesnius cum D. Thoma, eumque in jus vocet, atque illi demum Jansenianae dicam haereseos scribat: ejus enim Sotus & verba usurpavit, & sensus adoptavit. Quis igitur jam non intelligat, per Soti latus, & D. Thomam, & Scholam Thomisticam peti? Quum videat verba ipsa Sancti Doctoris, quae universa ipsius Schola veluti nulli

er-

errori adfinia tuetur, tamquam haeretica lue adflata Duchesnium traducere ausum esse.

ARTICULUS TERTIUS.

Quae in alterum Ruardi principium Sotus adnotat, ad Fidei, & rationis amussim revocantur.

Alterum Ruardi principium, quod Sotus examinandum adgreditur, his verbis continetur: *Non est libertas, ubi est necessitas, & ad unum aliquod determinata facultas*. Quamvis autem hac de re contentionis funem ducere cum Ruardo Sotus nolit; attamen varias excitat difficultates ex variis SS. Augustini, ac Thomae auctoritatibus concinnatas; quarum summa est: plures ex Sanctis hisce Doctoribus, distinguendas esse necessitatis species, neque omnem fatalem esse, & libero infestam voluntatis arbitrio: Sed generatim eam tantum, quae coactionis dicitur, & vim inferret voluntati, libertati fore inimicam. Sed eam tamen cadere in voluntatem non posse. Haec, ut dixi, summa est animadversionum Soti in hoc Ruardi principium; quas singillatim excutiemus, ab eisque temere adfictam erroris notam depellemus.

§. I.

An recte Soto observatum sit; generatim non omnem necessitatem, ex D. Augustino, exitium adferre libertati.

Recte id esse Theologo nostro observatum, ex iis potissimum constat S. Doctoris auctoritatibus, quas producit: ex quibus etiam facile intelligitur; quare positum a Ruardo principium non statim & absque ulla difficultate amplexus sit: voluit enim, ut sentio, S. Augustinum imitari; qui Pelagio idem sibi, quod Ruardus, velut extra omnem disputationem positum, arroganti; nonnullam hac de re quaestionem excitavit. Geminae sunt enim hac duae propositio-

nes; ista nimirum Pelagii, (*a*) *voluntatis enim arbitrio, ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur*; & ista Ruardi; *Non enim potest esse libertas, ubi est necessitas, & ad unum aliquid determinata facultas*. At quemadmodum similia omnino sunt Pelagii, ac Ruardi decreta; ita in iis excipiendis eadem Augustino, ac Soto adhibita cautio, ac vigilantia est; *Et hic*, inquit S. Augustinus, *nonnulla quaestio est*. Sotus autem: *Quamquam in hac re nolim contendere &c.* qua certe loquendi ratione Sotus perinde, atque Augustinus aperte significarunt; quod quamvis ad institutam de gratia, & libero arbitrio disputationem non admodum pertinere judicarent, quod in eas propositiones adnotandum existimabant; id tamen praetermittendum non esse, ne qua in re veritas laederetur, ac nequid irreperet, quod non accurate constitutum, ac definitum esset; unde proclive est judicare; quae heic S. Augustinus, ac Sotus animadvertunt, non esse de illa specie libertatis intelligenda, quam in actibus humanis agnoscendam esse contendimus, prout eis laudem, aut vituperationem, praemium, suppliciumve meremur; sed vel de libertate, quae convenit voluntati, seu volendi potentiae, ac facultati; cui certe non obest, ut etiam S. Thomas [*b*] Soto citatus observat, quod ad aliquid adfixa sit, & natura sua determinata, seu quod aliqua ex necessitate velit; vel *liberi* nomen usurpant, prout etiam spontaneum, ac voluntarium complectitur: non enim Theologi defuerunr, aut etiamnum desunt, qui quidquid voluntarium, ac spontaneum est, liberum osse pronunciant; (nec omnino ab eorum opinione alicubi S. Thomas abhorret [*c*] quorum tamen eatenus ab Janseniano dogmate caussa distat; quod libertatem, qua sponte rapitur ac trahitur voluntas, satis non esse decernunt, ut quis laude, aut vituperio, praemio, aut supplicio dignus habeatur. Hanc ergo fuisse S. Augustini, ac Dominicani Theologi mentem; hoc mihi inter cetera firmo, certoque argumento est; quod non in ea vel amplectenda, vel repudianda, probanda, vel improbanda, quam Pelagius, vel Ruardus effinxerant, libertatis definitione, controver-

siae

(a) Ap. S.Augustin. lib. de nat. & grat. cap.46.
(b) 1: P. qaest.82. art.1. ad 1.
(c) In 2. Dist. 10. quaest. 1. ad 1. & ad 2. dub. & de Potent. qu. 1. art.2. ad 5.

siae cardinem positum esse significent; sed posse dumtaxat ea de re *nonnullam esse quaestionem*. Si enim de illa libertatis specie definienda, unde meritum efflorescit, aut demeritum prodit, scrupulus exstitisset; non utique *nonnullam* in ea re questionem, sed maximi ad institutam controversiam momenti, positam esse pronunciassent. Ut re ipsa non negligenda, sed maximi ad enatas superiori saeculo de gratia disceptationes momenti ea quaestio habita est; postquam, auctore Jansenio, ea inter quosdam opinio invaluit, quacumque necessitate constrictam, sed sponte quo rapitur sequentem voluntatem, ipsum esse liberum hominis arbitrium, quod meriti ac demeriti radix, & origo sit. His circa D. Augustinum, ac Sotum conjunctim observatis, eorum de libera voluntate consulta seorsum examinanda sunt.

Igitur postquam superius descriptam Pelagii de libertate sententiam retulisset, hac eam S. Augustinus adnotatione castigavit: *Et hic nonnulla quaestio est. Per enim absurdum est, ut ideo dicamus, non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua & bona constrictione naturae: Nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere Justitiae, quia non potest velle peccare*. Cujus argumenti vis in eo posita esse videtur; quod si vera generatim esset Pelagii de libertate definitio; neque quod beati esse volumus, ad voluntatem nostram; neque ad voluntatem divinam, quod Deus justitiam diligit, pertineret. Si enim, uti Pelagius sciscit, *voluntatis arbitrio, ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur*: consequens est, ut aut voluntas humana, vel etiam divina, quidquam eligendi arbitrio, ac deliberatione careant; aut quod nulla naturali necessitate ducantur: atqui humana perinde, ac divina voluntas eligendi, ac deliberandi arbitrio, & facultate pollent: sequitur ergo, ut nulla teneantur naturali necessitate: sed beati sic esse homines volunt, ut id nolle omnino non possint; & Deus ita justitiam diligit, ut non possit velle peccare: ergo ex eo Pelagii Canone id absurdi consequeretur; ut neque ad voluntatem humanam, quod beati esse homines volunt; neque ad voluntatem divinam, quod Deus justitiam diligit, pertineret. Idemque telum etiam adversus Ruardum

dum torqueri posse, facile Lector intelligit: Si enim, ut ait, *non potest esse libertas, ubi est necessitas, & ad unum aliquid determinata facultas*; sequitur, ut aut nulla sit in voluntate libertas; aut quod nulla naturali necessitate, ac determinatione circumscribatur; ac proinde, quod beati esse volumus, & Deus justitiam diligit; neque hoc divinae, neque illud nostrae voluntatis sit. Est ergo aliqua necessitas, quae cum libertate cohaeret; & falsum est, quod universe a Pelagio, & Ruardo traditum est, quamlibet necessitatem exitium adferre libertati. Quod enim divina vel humana voluntas in aliquid naturali pondere, aut propensione ferantur; non ideo fit, quin innumerae sint actiones, in quibus exprimendis sui prorsus juris sint, & nulla naturali determinatione coerceantur.

Simile argumentum ex alio S. Augustini loco libro quinto de Civitate Dei capite decimo, quem citat Sotus, & de quo etiam superiori Articulo disputatum est, exsculpi facile potest. Differens enim adversus quosdam ex Stoicorum secta Philosophos, quaerit S. Doctor; *An voluntatibus hominum aliqua dominetur necessitas*. Quam controversiam ut perspicue dirimat, duplex genus necessitatis distinguit, quorum altero voluntas immunis sit; alterum vero neque humanae, neque divinae voluntati repugnet: *Unde*, inquit, *nec illa necessitas formidanda est, quam formidando, Stoici laboraverunt, caussas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent: atque in his, quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet, non essent liberae, si subderentur necessitati: Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quae non est in nostra potestate; sed, etiam si nolimus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis: manifestum est, voluntates nostras, quibus recte vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quae si nollemus, non utique faceremus. Quo primitus pertinet ipsum velle: nam, si volumus, est; si nolumus, non est: non enim vellemus, si nollemus. Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus, necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat; nescio, cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis: neque enim & vitam Dei, & praescientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse, Deum semper vivere, & cuncta praescire; sicut nec potestas*

stas ejus minuitur, quum dicitur, mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris esset utique potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori fallique non potest. Dicitur enim omnipotens, faciendo quod vult, non patiendo, quod non vult: quod ei si accideret, nequaquam esset omnipotens. Unde propterea quaedam non potest, quia omnipotens est. Sic etiam, quum dicimus, necesse esse, ut quum volumus, libero velimus arbitrio; & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quae adimit libertatem. Quibus verbis apertissime tradit S. Doctor, quod a Soto observatum est; non uniusmodi esse necessitatem; sed aliam esse, quae libertati repugnat; aliam, quae cum libertate consistit: & quemadmodum superioribus verbis ex libro de Natura & Gratia Pelagium; ita hoc loco quosdam ex Stoicis castigat, quod universe atque indiscriminatim nostras voluntates necessitati subtraherent. Qua in re facem Soto praetulit, ut Ruardo, quum generatim voluntatem necessitate eximeret, nonnullam quaestionem commoveret.

Est autem fere eadem praesentis ac superioris loci sententia: Nimirum aliam esse necessitatem, quae non modo cum voluntatis libertate componi nequeat, sed ipsam plane tum libertatis, tum etiam voluntatis ideam atque notionem labefactaret; ut si in actibus, quos vocant, elicitis vis adhiberetur voluntati. Quod tamen plane repugnat; quia fieri omnino non potest, ut homo velit nolens. Aliam vero esse necessitatem, qua etsi voluntas, vel homo, aut ipse etiam Deus, ut sic dixerim, teneantur; non ideo fit, quin innumerae sint actiones, in quibus exercendis sui juris ac potestatis sint, & plena atque integra libertate fruantur. Ita quum dicimus; Deum semper vivere necesse est, atque omnia praescire; aut etiam, ut hoc velit, atque in se ipso diligat, necesse est, quemadmodum & seipsum, & omnes suas perfectiones necessario diligit; non propterea vitam Dei, ejusque praescientiam, seu Deum ipsum, atque illius voluntatem ejusmodi necessitati subjicimus, quae ipsius libertatem perimat, aut etiam aliqua in re minuat. Non enim Dei perfectiones in rerum divinae libertati subjectarum ulla parte numerantur; neque illius, ut vocant, objecti ambitu, quae aeterna sunt & necessaria, continentur, sed ea solum,

quae possunt esse, & non esse; fieri, & non fieri, & contingentia vocantur. Non itaque laeditur divinae voluntatis libertas, propterea quod ipsam dicamus, ad aeternam Dei bonitatem diligendam, necessario, & naturali propensione determinatam; sed tunc solum quidquam ex illa detraheremus, & minor ea fieret & angustior, si quidquam ex rebus creatis & contingentibus necessario Deus velle ac diligere diceretur. Quod optime illustratur exemplo, quo & ipsemet S. Augustinus usus est. Non enim propterea violatur omnipotentia divina, aut ejus amplitudo coercetur, quod Deus aliqua, ut nec mori nec falli posse, dicatur; quoniam quae in Deo necessaria sunt, ejus omnipotentiae neutiquam subjiciuntur, nec ad illius objectum pertinent; quoniam in iis solum Dei versatur omnipotentia, quae creari possunt, & quae mera Dei voluntate subsistunt. Quare si quid ejusmodi divinae potentiae denegaretur; tum vero minueretur illius vis & efficientia. Ut qui Deum negabant Gentiles, posse mortua suscitare corpora, tantumdem de illius omnipotentia delibabant, quod eo minus omnipotentem eum esse fatebantur. Ergo quemadmodum nihil divinae omnipotentiae detrahitur, quod aliqua Deus facere non posse dicatur, sed ea tantum, quae illius objecti amplitudine continentur: ita Deo integra & perfecta libertas constat, quamvis aliqua velit ac diligat naturali necessitate; atque in iis tantum ipsius voluntas libere versetur, quae divino arbitrio & electioni subjiciuntur. Non itaque libertati facultatis seu potentiae liberae obest, quod aliqua necessario ac naturaliter velit; sed tantum quod vi extrinsecus illata cogatur: atque in hunc modum S. Augustinum Angelicus Praeceptor, Soto etiam laudatus, interpretatur. Quum enim sibi velut ex Augustini mente objecisset: non esse voluntarium, quod aliqua premitur necessitate: *Dicit enim*, inquit (*a*) *Augustinus in quinto de Civitate Dei*, (Cap. 10.) *Quod*,, si aliquid est necessarium, non est voluntarium,, ita respondit: *Verbum Augustini est intelligendum de necessario necessitate coactionis: Necessitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut ipsemet in eodem libro dicit.*

Nec est omittendum aliud genus exemplumque necessitatis ab Augustino adlatum, quod, salva libertate, cadere in voluntatem dicitur.

(a) 1. P. quaest. 72. art. 1.

itur: *Ut quum dicimus, necesse esse, ut quum volumus, libero velimus arbitrio. Nam & verum procul dubio dicimus; & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quae adimit libertatem.*
, Qui locus, ut optime Petavius animadvertit, (a) utilis est ad
, multorum Patrum intelligendas sententias; maxime cum de Dei
, ac Beatorum libertate loquuntur, quae cum honesti bonique in
, omnibus tenendi necessitàte consistit. Quas ita interpretamur, ut
, quatenus illis liberi usus arbitrii constat, necessitatem istam non-
, nisi universe ac generatim subesse dicamus agendi sic: in singulis
, tamen liberis actionibus integram eos habere potestatem, mini-
, meque determinatam: cui simile est, quod ibi docet Augustinus;
, *necesse esse, ut cum volumus, libero velimus arbitrio*. Nempe
, quae humano, idest, hominum proprio modo, ac libere volumus.
, Est enim liberum arbitrium, sive voluntas libera, efficiens causa
, *volitionis* liberae: & quidem necessaria; si in genere ista spe-
, ctemus, quia nonnisi a voluntate potest actio illa fieri. At minuta-
, tim, & in singulis actionibus, & *objectis*, ut vocant, liberam ha-
, bet potestatem sui, necessitate nulla definitam. Unde inter causas
, divinae potentiae, praescientiaeque subjectas, ac seriatim ordi-
, natas, locum suum habet libertas hominis, est que caussa illo, quo
, dixi, sensu necessaria: quam Deus in aliarum ordine connexam, &
, comprehensam videt: quamvis motionem illius, appetitionemque
, nonnisi contingentem & liberam fore cognoscit.

Et id quidem satis esse videtur, ad Sotum non solum excusandum, sed etiam adprobandum; quod S. Augustinum consectatus, quod ille Stoicos, hoc ipse Ruardum admonitum esse voluerit, non omnem necessitatem cum voluntatis libertate confligere. Attamen ut hic S. Augustini locus penitius intelligatur; ad ejus scopum (quod ipse etiam Sotus optime, ut postea videbimus, intellexit) puto, esse animum intendendum. Hunc vero ut adtingamus, aliqua heic nobis de Stoicis, eorumque de fato opinionibus, ex Cicerone delibanda sunt. Sciendum est ergo, tres Tullio memorari veterum de Fato Philosophorum opiniones; quarum duae maxime erant contrariae, atque inter se pugnantes, alia quasi media, atque utriusque concilia-

 trix.

(a) To. 3. Theolg. Dogmat. lib. 4. de Opif. sex dier. cap. 9.

trix. Prima enim fatum cum necessitate conjunctum, alteram nullum fatum, tertia fatum, ab rerum ratione ac libertate vigentium necessitate disjunctum, agnoscebat. (a) *Ac mihi quidem videtur, quum duae sententiae fuissent veterum Philosophorum: una eorum, qui censerent, omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis adferret; in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit: altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii: Chrysippus tamquam arbiter honorarius medium ferire voluisse; sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animos liberatos volunt.* Nullus dubito, quin ad hunc Ciceronis locum respexerit Augustinus, quum ait; quod Stoicis necessitatem metuentibus visum est; caussas rerum ita esse distinguendas, ut quasdam obnoxias esse vellent necessitati, quasdam eriperent: atque in his, quas necessitati ereptas esse voluerunt, principem locum obtinuisse nostras voluntates, ne videlicet sui juris ac potestatis non essent, si aliqua eis necessitas dominaretur. Chrysippi enim, qui in ea Secta aliquod sibi fecerat nomen, ea fuisse videtur distinctio; de quo idem Tullius paullo post subjungit: *Chrysippus autem quum & necessitatem improbaret, & nihil vellet sine praepositis caussis evenire, caussarum genera distinguit, ut & necessitatem effugiat, & retineat fatum. Caussarum enim, inquit, aliae sunt perfectae & principales, aliae adjuvantes & proximae. Quamobrem quum dicimus; omnia fato fieri caussis antecedentibus, non hoc intelligi volumus caussis perfectis & principalibus, sed caussis adjuvantibus, antecedentibus & proximis. Itaque .....si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia caussis fiant antepositis; verum non principalibus & perfectis, sed adjuvantibus & proximis. Quae si ipsae non sint in nostra potestate, non sequitur, ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate. At hoc sequeretur, si omnia perfectis & principalibus caussis fieri diceremus; ut quum hae caussae non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate.* Itaque non inficiabatur Chrysippus, quamlibet rem caussis antecedentibus fieri; sed harum duo esse genera contendebat, quorum alterum libertati neutiquam repugnaret: & caussas quidem perfectas & principales actionis evertere libertatem; sed caussas adjuvan-

(a) Libro de Fato.

juvantes nullo modo efficere, quin actio libertate praedita sit. Quum igitur statueret, adsensus nostros non ex caussis externis principalibus pendere, sed solum minus principalibus & adjuvantibus, sive ad adsensum ipsum praestandum solum excitantibus; hinc efficiebat, libere adsensiones ex anima proficisci, easque positas esse in ipsius animae potestate. Opus quidem esse, ut objectorum, seu visorum incursione excitetur, sine quibus nullam concipere posset atque exprimere adsensionem; sed objecta, seu visa, quibus commovetur, ipsum voluntatis actum non efficere; sed ipsam se se suapte vi determinare, postquam primum ex objectis impulsum acceperit. Quod Chrysippus hac similitudine illustrabat. Qui cylindrum impellit, primum ei quidem motum imprimit, sed volubilitatem non dat; ipse deinceps vi sua volvitur, motumque protendit: sic anima visis excitata, se ipsa deinceps movet. *Nam quamquam assensio*, ut eodem loco habet Tullius, *non possit fieri nisi commota viso: tamen quum id visum proximam caussam habeat, non principalem, hanc habet rationem (ut Chrysippus vult) quam dudum diximus, non ut illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata, (necesse est enim, adsensionem viso commoveri) sed revertitur ad cylindrum & ad turbinem suum, quae moveri incipere, nisi pulsa, non possunt: id autem quum accidit, suapte natura, quod superest, & cylindrum volvi, & versari turbinem putat. Ut igitur, inquit, qui protrusit Cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: sic visum objectum imprimet illud quidem, & quasi signabit in animo suam speciem, sed adsensio nostra erit in potestate, eaque, quemadmodum in Cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi & natura movebitur.*

Ut ad S. Augustinum revertamur; ad haec, inquam, S. Doctor respexisse videtur, quum ait, Stoicos; ii saltem, qui Chrysippo praeceptore utebantur; etsi fatum tuerentur, omnem tamen ab humanis voluntatibus necessitatem removisse. Quid enim ad hoc probandum his Tullii verbis ac testimonio disertius? Et quidem actiones liberas necessitate solutas esse, optime hac ratione Chrysippus demonstrabat. At quomodo deinceps fatum tueri posset, ac rerum futurarum praescientiam, profecto non adparet. Vel enim fato; quod esse caussarum seriem & connexionem ex Dei voluntate & ordinatione

ne pendentem, Stoici definiebant; vis inerat causae principalis atque perfectae, aut minus principalis & adjuvantis. Si priore causfarum genere fatum ejus opinione continebatur; sequebatur, ut mentem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati devinciret. Sin ad alterum genus fatum Chrysippus revocabat; quomodo in ea qualicumque caussarum minus principalium serie, quae nullam omnino voluntati necessitatem adferret, Deus futura praenosceret? Ut enim apud S. Augustinum Tullius disputat: si Deus praenoscit futura, & hominibus etiam aliquando significat, hoc ordine evenient, quo ipse eventura esse praenoscit; si hoc ordine evenient, certus est rerum ordo praenoscenti Deo; si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum, quibus res efficiuntur. Et contra; si certus causarum ordo non est, nec rerum certus est ordo praenoscenti Deo; si rerum ordo praenoscenti Deo certus non est, non omnia sic eveniunt, ut eventura ipse praenoscit; si non omnia sic eveniunt, non est in Deo cognitio futurorum. Nihil horum profecto fas erat Chrysippo in disputationem vocare. Vel enim certus causarum ordo adstruendus erat, vel Deo certa futurorum cognitio deneganda. Quod enim certum non est, certo praenosci non potest; nec potest esse rerum futurarum certus eventus, nisi certus fuerit ordo causarum; hic vero, praesertim quod ad causas liberas adtinet, quae suapte natura ad nullam partem adfixae atque determinatae sunt, certus esse non potest, nisi fuerit divina voluntate praedefinitus; ac proinde nisi necessitati, non antecedenti quidem & absolutae, sed consequenti & hypotheticae (*conditionalem* S. Thomas appellat) voluntas humana subjiciatur. Sensit hujusce argumenti vim Chrysippus, quam declinare dum fatagit, in eos se laqueos implicat, quibus expediri non potest. *Dum* enim, ut a Cicerone de illo traditum est, *verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus.* Nam ejus haec erat apud Gellium (a) fati definitio: *Fatum est sempiterna quaedam & indeclinabilis series rerum, & catena volvens semet ipsa, & implicans per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque est.* Qua serie quum ejus opinione ipsae quoque causae liberae implicarentur; qui fieri poterat, ut omnis prorsus esent

(a) Lib.6. cap.2.

essent necessitatis immunes? Longe ergo felicius ex his salebris Augustinus evasit, recte observando, non qualibet necessitate eripi hominibus libertatem; ac proinde constitutam atque efficaciter praedefinitam divinae voluntatis ac providentiae decreto atque ordinatione humanarum actionum seriem posse cum libertate consistere; quod huic repugnet necessitas antecedens & absoluta; non autem consequens & hypothetica; quam Sotus *inevitabilitatis*, hoc est, ut in scholis dicitur, *infallibilitatis*, & passim *ex suppositione*, seu *conditionatam*, appellat. De hac enim, non autem de necessitate simplici & absoluta, loqui S. Doctorem invicte adversus Jansenium, ejusque asseclas, Petavius sequentibus verbis & observatione demonstrat. (*a*)

„ Augustinus de ea voluntate loquitur, & ejusmodi praesciri a „ Deo voluntatem, ac si praesciatur, libertati non repugnare, dicit, „ quae caussa libera est; & cujus effectio contingens est, non neces- „ saria. Nisi enim de ea loquitur, inepta, & ab eo, quod proposi- „ tum est, aliena, tota illa est oratio. Nam ad hoc pertinere debet, „ ut quod Cicero contra praescientiam opponebat, & quod ei con- „ trarium putabat esse, id responsione sua dissolvat Augustinus. „ Movebat autem Ciceronem, ut cum praescientia Dei pugnare li- „ bertatem hominis arbitraretur, hoc unum, quod illa posita, jam „ necessario voluntas ageret: ageret autem necessario, quia unum „ tantummodo, ac definitum ab illa Dei praescientia, posset facere. „ Quare necessitas illa in sermone & controversia versatur, quae „ contingenti, & indifferenti ad hoc ut sit, vel non sit, opponitur: „ quae est simplex necessitas, non violentia, nescio quae tantum, & „ coactio, aut extrinsecus illata vis. Non enim contingenti opposi- „ ta est ista, sed τῷ ἑκουσίῳ, id est, *spontaneo*. Quaeritur autem, „ utrum praescientia Dei res contingentes, & fortuitas, quales vo- „ luntatis electiones sunt, certo noverit. Nam si spontaneae dum- „ taxat, sed necessariae sunt, ut sunt appetitiones brutorum: non „ dubitaret Cicero, quin certo praesciri a Deo possint. Habent e- „ nim caussas invicem connexas, quarum series ex sola Dei volun-
tate

(a) Lib. 4. de Opific. sex dier. cap. 11. num. 11.

„ tate & ordinatione pendet : qua omnes illae certo constitutae , &
„ ex se mutuo aptae continuataeque sunt , ut aliter habere neque-
„ ant ; quantum quidem ad rationis expertes caussas , & efficientias
„ attinet . Possunt enim libere agentium effectiones aliquae in illa
„ serie ac propagatione locum habere , quae fortuiti non nihil affe-
„ rant . Sed citra liberae voluntatis usum , rata , definita , necessa-
„ ria sunt omnia ; ut a Deo praesentiri possint , assentiente Cicero-
„ ne . Quocirca perspicuum est, de ea tantummodo agi voluntate ,
„ quae soluta sit necessitatis vinculis, & ad opposita invicem pro li-
„ bito indifferenterque possit vergere ; ut , quod voluerit , ex illis
„ eligat . Hac enim remota, manet integra quaestio ac dubitatio Ci-
„ ceronis : qui cum solo eo, quod fortuitum & contingens est in vo-
„ luntatis actionibus , certam Dei praescientiam contendit . Quae
„ enim necessariae sunt, eae cum fato ac praescientia neutiquam pu-
„ gnant . De his ergo non loquitur Augustinus, uti neque Cicero :
„ nec de voluntate universe uterque disserit : sed de ea voluntate ,
„ quae hominis , vel ratione praeditorum potius est omnium pro-
„ pria, hoc est, libera, ac sui juris, & arbitrii .

Optime id quidem ex Augustini scopo ac proposito Clar. Theologus efficit . At non minus perspicue simili argumento demonstrari potest ; necessitatem hypotheticam, quam Sotus heic asperiori vocabulo *inevitabilitatis*, mitiori alii Theologi , *infallibilitatis* , appellant , agnitam in humanis ac liberis actionibus ab Augustino fuisse ; & quidem eo sensu , quo a Thomistis admittitur , quae scilicet oritur ex vi & efficacitate divinae voluntatis . Medius enim San. Doctor inter Ciceronem & Chrysippum incedit . Cicero fatum seu providentiam negabat , quoniam inde orituram existimabat absolutam , & humanae libertati exitialem necessitatem : Chrysippus fatum seu Providentiam tuebatur , atque uti cum ea libertatem componeret ; nullam, inde in humanas actiones derivari necessitatem , propugnabat . Itaque Sanctus Augustinus , medius inter Ciceronem & Chrysippum incedens ; ut contra Ciceronem demonstrat , non oriri ex Providentia, Deique ordinatione absolutam in humanas actiones necessitatem : Ita adversus Chrysippum differens , & hypotheticam in actionibus voluntatis necessitatem agnoscens ; eo profecto sermonem

ac

ac disputationem intendit, ut aliquam ex Dei providentia, ejusque decretis, atque ordinatione, absque jactura libertatis, dimanare in humanas actiones necessitatem demonstret. Nam ut inepta esset San. Doctoris adversus Ciceronem oratio, nisi eam in humanis actionibus libertatem tueretur, quam Tullius, admissa providentia, de medio sublatum iri judicabat: ita prorsus a scopo & proposito aberrans ejus esset disputatio, nisi aliquam saltem ejus necessitatis speciem, admissa providentia, in humanis actionibus agnoscendam esse defenderet, quam Chrysippus generatim atque universe negabat. Quum igitur Stoico Philosopho neutiquam repugnaret, quatenus nullam docebat divina providentia adferri humanis actionibus absolutam necessitatem; sequitur, ut tota ipsi adversus Stoicos Chrysippi asseclas contentio fuerit, de admittenda vel repudianda hypothetica necessitate, quae ex efficacitate oritur divinorum decretorum; quam optime ostendit, & cum Dei aeterna de rebus humanis ordinatione, & cum humanarum actionum libertate cohaerere.

Verum quocumque modo hic Sancti Augustini locus intelligatur; ex eo constat, Chrysippi sectatores a Sancto Doctore reprehensos, quod crederent (seu potius hoc credere videri vellent) nullam omnino necessitatem cum voluntatis posse libertate componi: ac proinde recte id etiam Soto (utpote Augustino facem praeferente) in ea Ruardi de libertate definitione notatum fuisse, atque animadversum. Idem etiam alia Sancti Doctoris testimonia demonstrant, ad quae Sotus digitum intendit. Sed de his aliquid sequenti §. Disseremus.



D d *Quid*

§. 11.

Quid ex praecedentibus aliisque Sancti Augustini auctoritatibus concludat Sotus? An haeresim Iansenii in ejus tertia Propositione damnatam?

HAnc fuisse in iis congerendis Sancti Augustini, & aliquot etiam Angelici Praeceptoris testimoniis, Soti mentem, hoc propositum, Duchesnius adfirmat, hanc ei doctrinam adfingens : (*a*) „ Hominem auxilio gratiae destitutum, liberum esse : quoniam, „ juxta Divum Augustinum, & Divum Thomam, sola coactio, sive „ quae est ex coactione necessitas liberum evertit arbitrium. Quapropter ut voluntati integra libertas constet, opus non esse, ut ad „ opposita invicem pro libito possit vergere, neque ad unum determinata & adstricta sit : sed satis esse, ut nulla ei vis adhibeatur. „ Denique, gratiae privationem, quum non adferat nisi extrinsecum impedimentum, non efficere, quin sit actus hominis voluntarius. Et infra hanc Soto propositionem tribuit [*b*] : „ Liberum PRAESENTIS STATUS arbitrium in eo, quod voluntarium est, atque spontaneum, constitutum est : non oportet, ut sit „ inevitabili necessitate solutum ; sed sufficit, ut nulla vi extrinsecus illata prematur.

Ut Soti verba Duchesnius interpolaverit, ut hanc in eum calumniam conferre posset, postea videbimus. Illud interim demonstrandum est, nullius eum esse ejusmodi erroris adfinem, sed Catholi-

(a) L'homme destituè du secours de la grace est libre, dit-il, parcequ', il n'y a que la necessite de contrainte, qui ôte le libre arbitre selon Saint Augustin & Saint Thomas. Ainsi pourque la volonte soit libre, il n'est pas requis qu'elle puisse se porter à des partis opposez, ou que elle ne soit pas determinèe à un seul ; mais il suffit qu' elle soit exemte de contrainte. La soustraction de la grace n' est qu' un empêchement extrinseque, qui n' ôte point le volontaire. *Pagin.* 14.

(a) Le libre arbitre DEL' ETAT PRESENT consiste dans le volontairè ; il n' est pas necessaire qu' il soit exemt de la necessite inevitable, mais il suffit, qu'il soit exemt de contrainte. *Pag.* 15.

licam Sancti Augustini & Angelici Praeceptoris verbis interpretationem adlinivisse. Igitur postquam superius productis atque examinatis Sancti Augustini testimoniis universe ac generatim ostendit, libertati non omnem repugnare necessitatem; ut hanc rem clarius ac luculentius explanet, sequentes ex eodem D. Augustino, ac D. Thoma colligit propositiones.

Primo, ad libertatem voluntatis non requiri potentiam aut indeterminationem ad utrumque oppositorum, quam nonnulli *quoad specificationem* vocant.

Secundo, sufficere nonnullorum opinione (a qua Sanctus Augustinus alienus omnino esse non videatur] ad communem & genericam notionem libertatis, immunitatem a coactione.

Tertio, ex D. Thoma requiri, saltem in nobis viatoribus, libertatem & indeterminationem secundum exercitium.

Quibus expeditis, hanc demum Ruardo quaestionem proponit: quare ad libertatem requirat, posse in opposita ferri; cum nec Augustinus & Thomas hoc requirant, nec certa aliqua ratio vel fides postulet.

Ad ejusmodi propositiones, Soti, imo & Sancti Augustini & Angelici Praeceptoris, hac de re sententiam revocari; ab eaque procul abesse Iansenïani erroris suspicionem, facile me non inerudito Lectori adprobaturum confido. Quod enim adtinet ad primam propositionem; nihil pene frequentius in Augustini libris occurrit, quam Dei ac Beatorum libertatem cum honesti bonique in omnibus tenendi necessitate consistere; imo Deum ac Beatos eo liberiores esse, quo prave agere, & ab eo, quod rectum & honestum est, declinare non possunt. Dies me deficeret, si omnia huc congerere vellem, Sancti Doctoris hac de re testimonia. Itaque ea tantum adferam, quae Sotus indicavit. Primum occurrit ex libro tertio de libero Arbitrio capite tertio. Sed de hoc infra ad secundam propositionem specialis erit differendi locus. Hoc ergo interim praetermisso, ad alterum accedamus, quod profert ex libro ultimo de Civitate Dei capite ultimo; ubi de Beatorum aeterna felicitate differens Sanctus Augustinus, haec de illorum libero arbitrio pronunciat: *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non*

poterunt. Magis quippe erit liberum, a delectatione peccandi, usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem, liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: Hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit......., sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori; novissima erit, non posse mori: Ita primum liberum arbitrium, posse non peccare; novissimum, non posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis, & aequitatis; quomodo est felicitatis. Nam utique peccando, nec pietatem, nec felicitatem tenuimus; voluntatem vero felicitatis, nec perdita felicitate, perdidimus. Certe, Deus ipse; numquid, quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Ex his verbis Sotus, ad illam adstruendam propositionem, duo conficit argumenta: Hinc enim constat, tum Deo ac Beatis integram, ac perfectam constare libertatem, etsi peccare non possint, sed ad bonum & aequum volendum adfixi, ac determinati sint: Tum nos etiam liberos esse, etsi felicitatem ita volumus, ut velle esse miseri nequeamus. Non ergo generatim ad libertatem voluntatis requiritur, posse in opposita flecti, honestatem scilicet & peccatum, beatitatem atque miseriam.

Eadem vis est alterius loci, quem Sotus citat ex Enchiridio ad Laurentium, ubi similiter de futura hominis beatitudine loquens; *Postea vero*, inquit Sanctus Doctor (*a*), *sic homo erit, ut male velle non possit; nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato, neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo anima nostra etiam nunc nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem, semper habitura est.*

Aliud Sotus in eamdem sententiam laudat S. Doctoris testimonium ex libro de Praedestinatione Sanctorum, ubi de Christo Domino idem, quod de Beatis docet, eum non ideo sine libertate fuisse, quod

(a) Cap. 55.

quod peccato ſervire non poterat: (a) *Numquid metuendum fuit, ne accedente aetate homo ille libero peccaret arbitrio? Aut ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat; quanto magis peccato ſervire non poterat?* Recte itaque Sotus monet, cum libertate non eam pugnare neceſſitatem, quae hominis voluntatem ad unum aliquod actionum genus adſtringat. Quid enim manifeſtius, eſſe in Deo, & in Beatis, & in Chriſto Domino perfectiſſimam, & integerrimam libertatem? quamvis inter bonum, & malum ſuſpenſa,& anceps non ſit eorum voluntas, ſed uno tantum bonarum actionum genere exerceri valeat, & ex duobus bonis finitis, ac limitatis, in quod magis libuerit, ſuopte nutu propendere.

Paullo aliquanto gravior occurrit difficultas in altera Soti propoſitione, qua ad communem, atque genericam notionem libertatis ſufficere,nonnullorum opinione, docet, ut nulla voluntati vis inferatur, ſed ut ſponte velit, ſuoque pondere, & inſita, nativaque, ad aliquid appetendum, inclinatione trahatur. Nec difficultas in eo poſita eſt, quod nonnullis Theologis eam Sotus tribuat opinionem, atque illam nulla prorſus cenſura notet. Quid enim magis vulgatum, quam non deeſſe Theologos, a quibus re ipſa propugnetur; nec Janſenianam haereſim ad metaphyſicam illam de libertate quaeſtionem pertinere; ſed in eo ſitam eſſe, quod ad meritum, ac demeritum comparandum, id ſufficere in praeſenti Statu Janſenius doceat, quod ad communem libertatis ideam conſtituendam, ſatis eſſe docuerat? Utrumque vero (ut omnis prorſus Lectori ſcrupulus eximatur) Eminentiſſimus Meldenſium Epiſcopus agnoſcit, ac teſtatur: [b] „ Nemo, *inquit*, Janſenium damnare auderet, ſi tantum „ ad id, quod ſpontaneum, ac voluntarium eſt, eſſentiam revoca- „ ret libertatis, prout communis eſt Deo, Angelis, & hominibus: „ quoniam inter Catholicos Theologos nonnulli ſunt, quorum ea „ eſt opinio: ſed poſtea demonſtraturi ſumus, haud aliam ab eo li- „ bertatis ad merendum in praeſenti ſtatu, ac demerendum requiſi- „ tae,

(a) Cap. 15.

(b) On ne pourroit condamner Janſenius, s'il reduiſoit ſeulement au pur volontaire l'eſſence de la liberté en tant qu' elle est commune à Dieu, aux Anges & aux hommes; car il y a des Théologiens Catholiques qui ſont de ce ſentiment. Mais nous montrerons dans la ſuite qu'il ne donne pas une autre idée de la liberté requiſe dans l'homme pécheur pour meriter & démériter, que celle qu'il donne en cet endroit. *Card. Biſsy in Inſtruct. Paſtoral. adverſ. Inſtitut. Theolog. P. Juven. pag. 13.*

„ tae, quam quae in praesenti loco [*ubi de communi, ac generica* „ *libertatis notione disputat*] ab ipso delineata est. Nulla itaque in his duobus articulis difficultas est; sed ea tota versatur in exponendo insigni quodam S. Augustini testimonio, quo Sotus eam quorumdam Theologorum opinionem communiri posse existimavit.

Exstat hic S. Doctoris locus, plurimis sane Theologorum disputationibus vexatus, libro tertio de libero arbitrio capite tertio, ubi praesensionem, ac praescientiam Dei nihil obstare libertati hominis adfirmat, eoque ipso probat, quod nihilominus voluntas agit: quare ,& fit aliquid quando volumus, & libere fit, estque in potestate nostra hoc solo, quia volendo facimus. Nam quum Evodius quicum in eo libro colloquitur, intelligere non posset, ac miraretur; *quomodo non sint contraria, & repugnantia, ut & Deus praescius sit omnium futurorum, & non necessitate, sed voluntate peccemus .... ac sit in peccando voluntatis arbitrium, & non potius inevitabilis, & fixa necessitas*: Augustinus, ut ei haec minime repugnare persuadeat, hoc primum pluribus demonstrat; non efficere Dei poaescientiam, imo id plane implicare, ut quod voluntate nostra futurum est, quum postmodum fiet, voluntate nostra non fiat; & quum ipsam voluntatem nostram futuram praevidet, quin postmodum voluntas ipsa sit: *Attende enim quaeso, quanta caecitate dicatur; si praescivit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nibil aliter potest fieri, quam praescivit, necesse est, ut velim, quod ille praescivit: Si autem necesse est, non jam voluntate, sed necessitate id me velle fatendum est. O stultitiam singularem! Quomodo ergo non potest aliud fieri, quam praescivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille praescivit? Omitto illud aeque monstruosum, quod paullo ante dixi, eumdem hominem dicere; necesse est, ut ita velim; qui, necessitate supposita, auferre nititur voluntatem. Si enim necesse est, ut velit, unde volet, quum voluntas non erit?*

Quoniam vero nimis absonum est, Deum certo futuram voluntatem praevidere, nec tamen illam postmodum esse; ideo non hoc sensu objectum fuisse merito suspicatur Augustinus, quae Deus futura praevidet, necessitate fieri oportere non voluntate, quod nulla voluntas futura sit; sed quod futura non sit in hominis potestate, ac proin-

proinde nec libera. Huic vero difficultati ita S. Doctor occurrit, ut nullam prorsus agnoscere videatur volontatem, quae nec sit in hominis potestate, nec libera; sed liberum aeque patere, ac voluntarium; ac propterea quemadmodum Deo futuram hominis voluntatem praesentiente, necesse est, ut voluntas sit; ita necesse est, ut libertas sit: siquidem ista sic reciprocantur, ut si voluntas sit, libertas sit; & si libertas, voluntas: *Quod si non hoc modo dixerit, sed dixerit, se quia necesse est ut velit, ipsam voluntatem in potestate non habere; occurretur ex eo, quod ipse dixisti, cum quaererem, utrum invitus beatus futurus sis: respondisti enim, quod jam esses beatus, si potestas esset in te; velle enim te, sed nondum posse, dixisti. Ubi ego subjeci, de te clamasse veritatem: non enim negare possumus, habere nos potestatem, nisi dum nobis non adest, quod volumus: dum autem volumus, si voluntas ipsa deest nobis, non utique volumus. Quod si fieri non potest, ut dum volumus, non velimus, adest utique voluntas volentibus: nec aliud quidquam est in potestate, nisi quod volentibus adest. Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus; aut potest non esse, quod habemus. Ita fit, ut & Deum non negemus esse praescium omnium futurorum, & nos tamen velimus, quod volumus. Quum enim sit praescius voluntatis nostrae, cujus est praescius, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est praescins. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo & potestatis est praescius. Non igitur per ejus praescientiam mihi potestas adimitur, quae propterea mihi certior aderit, quia ille, cujus praescientia non fallitur, adfuturam mihi esse, praescivit.* Ex his ergo S. Augustini verbis haud omnino absurde colligere mihi Sotus videtur; ab ea quorumdam Theologorum opinione haud prorsus alienum fuisse S. Doctorem, qui ad communem, & genericam notionem libertatis sufficere existimarunt, ut sit actio voluntaria.

Haud me latet, ab insignibus Theologis Jansenium, ejusque asseclas vapulare, quod similem ex hoc S. Augustini loco consecutionem derivarint. Verum ut illius Catholicorum Theologorum disputationis adversus Jansenianam haeresim invictum esse robur agno-

sco,

sco; ita parum illam valere adversus Sotum existimo. Caussam discriminis adferam, postquam praecipua nostrorum Scriptorum momenta adversus Jansenium Petavii verbis produxero.

Postquam Cl. Auctor animadvertit, (*a*) quod „ *voluntatis* nomen alias universe pro actione voluntatis sumitur, qualiscumque „ ea sit; hoc est, sive necessaria sit, sive libera, & ex deliberatio- „ ne, ac consultatione suscepta: alias ad eam restringitur, quae li- „ bera est, ut idem sit, ac προαίρεσις, id est, *electio*, cui simplex, „ & absoluta necessitas opponitur: hoc posteriore modo volunta- „ tem in illo Augustini loco accipi; & voluntatem istic a S. Docto- „ re nominari, non eam *volitionem*, quae necessitate est expressa; „ sed quae libera est, atque ex consultatione, & pendente, indiffe- „ rentique voluntatis potestate prodiit; tam clarum est, *inquit*, ut „ vel caeco pateat. Hoc enim caussa ipsa dicendi, & disputationis „ totius ratio persuadet ac series. Nam agit ibi de consensu, & con- „ cordia liberae voluntatis cum Dei praescientia: quae res difficilli- „ ma semper est habita, multumque jactata inter Philosophos: ut „ etiam hodie Christianos Theologos exercere non desinit. Itaque „ nemo istud non concedendum putabit, eam *voluntatis* vocabulo „ vim, ac significationem subjecisse S. Augustinum, quae sola „ tantam adfert quaestioni illi difficultatem, ac molestiam. Quae- „ nam igitur est illa? Non opinor ejusmodi *volitio* [sic enim loqui „ fas est] quae ex se uni tantum addicta, uno definita, & circum- „ scripta sit; hoc est, necessaria, ut in potestate non sit arbitrii, „ hac omissa, alteram & contrariam *elicere*. Quid enim facilius; „ quàm talem voluntatem cum fato, ac Dei praescientia conciliare? „ Nemo quaeret, quì fieri possit, ut futura praesentiat Deus, quae „ ab homine sunt agenda, si agit necessario, quia tunc contingentia „ esse desinunt, hoc est ejusmodi, ut esse, vel non esse possint. Es- „ se enim oportet, adeo ut non esse non possint, quia necessario „ sunt: ac proinde praesagiri, praedicique possunt, sine ulla ambi- „ guitate, vel metu, ac periculo ne non eveniant.

„ Atqui ita percontabatur Evodius, ex quo sermonis istius caus- „ sa

(a) Lib. 4. de Opific. sex. dier. cap. 10. n. 3. cum seqq.

„ sa fluxit; *Si praescius est Deus, peccaturum esse hominem, necesse*
„ *est, ut peccet. Si autem necesse est; non ergo est in peccando voluntatis arbitrium; sed potius inevitabilis, & fixa necessitas.*
„ Hic necessitatem opponit voluntati, non utique cogentem, & violentam, quam solam libertati contrariam esse fingunt adversarii;
„ sed eam, quae *contingenti* repugnat, hoc est, quae *inevitabilis est*
„ *& fixa*, & qua sola periclitari potest divinae praescientiae veritas, ac fides. Quare *voluntatem* eodem usurpat modo deinceps
„ Augustinus in ea quaestione solvenda, quo in ipsa sumitur: ut
„ hanc voluntatem appellet, & eo sensu non abhorrere probet a
„ Dei praescientia, quo Evodius, & alij similiter quaerentes, intellexerunt.

„ Quid enim absurdius? quid indignius, non modo tanto Viro
„ quantus Augustinus fuit, sed vel qualicumque homine, quam ita
„ respondere, ut illic responsum esse, consequens est, si novis istis
„ Theologis auscultemus? Quaerit Evodius hoc idem, quod & Gentilium plerique Sapientum, & inter alios Aristoteles, ejusque
„ discipuli in libro de Interpretatione; tum Cicero, *ut supra vidimus*: quomodo futurorum contingentium, quae ex libertate nostra pendent, vera, & certa, definitaque possit esse vel praescientia, vel praenuntiatio. Et id propterea quaeritur, quoniam id,
„ quod vere praesciri, ac praedici dicitur, necessarium est esse: quod
„ autem libero ex arbitrio fit, id contingens est, ac tam esse potest,
„ quam non esse. Hic status est inquisitionis, quod nemo diffiteatur. Huic ergo quinam ex nostrorum sensu, & interpretatione
„ respondet Augustinus? Ait voluntatis actionem illam ideo praesciri, quia fit a voluntate, & quidem necessario, hoc est, ut
„ non esse non possit. Hoccine est quaestionem dissolvere, an praevaricari potius, & ei, qui contra disputat, totum id, quod vult,
„ concedere? Non enim, qui sic argumentabantur, voluntatis
„ actionem omnem certo praesciri a Deo, negabant, ut puta eam,
„ quae uniusmodi, definitaque, ac necessaria sit: Sed eam solam
„ non videri certo sciri posse, dicebant, quae ex natura sua incerta
„ contingensque esse debet. Ita non quamcumque voluntatem, seu
„ *volitionem* Augustinus in potestate nostra esse judicat: sed eam vi-

„ delicet, quae sola difficultatem, & quaestionem parit, quae pro
„ eligentis arbitrio poterat non esse, & est tamen, praevideturque
„ futura.

Haec igitur, ut jam superius dixi, adversus Jansenianum errorem peremtoria esse fateor, dum tamen non ad singulas ejus disputationis partes, quam Augustinus versat; sed ad scopum, ad quem tandem totam illam disputationem refert, ac referre debuit, adtendamus. Quid enim manifestius, quam quod, ubi de conciliando fato seu praescientia cum libertate differitur, id potissimum difficultatem pariat; quomodo praesciri possit, quod contingens est, ac tam potest esse, quam non esse; cujusmodi esse, quae libera sunt, Cicero, ejusque in ea disputatione vestigiis insistens Evodius, pro comperto habebant? Quod enim necessario futurum est, quin certo praesentiri valeat, nulla quaestio, ac difficultas est. Quare si hoc uno contineretur traditum ad eam quaestionem ab Augustino responsum, quod libertati non repugnat *inevitabilis, & fixa necessitas*, ac proinde certa futurorum praescientia, quae ex libera hominis voluntate pendent, optime cum libertate cohaeret; tum caussam, ut optime Petavius observat, S. Doctor praevaricatus esset; tum seipsum deridendum, atque exsibilandum Ciceroni, aliisque ejusdem ingenii, ac Sectae Philosophis propinasset: qui quum studiis suis, ac philosophicis exercitationibus optime a se consultum vellent humano generi, propterea gravissimam hanc controversiam summa animorum contentione versabant, quod metuerent, ne fato, seu praescientia illata necessitas liberam homini, & ancipitem, ac suopte nutu ad utrumque versatilem inter pravum, & honestum eligendi facultatem adimeret; atque ita leges jacerent; neque *justae*, ut ait Tullius (a), *laudationes* essent, *nec vituperationes*, *nec honores*, *nec supplicia*. Est enim ab humano sensu, ac ratione prorsus alienum, ut haec hominibus constituta sint, si humanas actiones necessitas exprimit, non consilium, atque deliberatio; quae frustra, ac nulla sunt, ubi homo naturali impetu agatur, nec libera illi adsit, ac necessitatis vinculis expedita inter plura eligendi facultas.

Qui

(a) Lib. de Fato.

Qui igitur, inquis, haec conciliaveris cum iis, quae superius ex S. Doctore disputata sunt, quibus effici aperte videtur, voluntarium & liberum ita reciprocari, ut unum vicissim ex altero inferatur? Dispertienda est in plures partes ea S. Doctoris cum Evodio disputatio. Quum enim ille, qui objicit; quae praesciuntur a Deo necessitate fieri, non voluntate; non solum negare videatur [posita Dei praescientia de futuris eventibus] ad utrumvis indifferentem in humanis actibus potestatem, unde meritum hominis, ac demeritum exsistit; sed ipsam quoque voluntariam appetitionem, perinde atque ea, quae praesciuntur a Deo, invito, ac reluctanti homini extorqueri necesse sit; hinc S. Doctor orationem suam ita distribuit, ut 1. ostenderet, Dei praescientia non fieri, ut humanae actiones ab invitis hominibus proficiscantur. 2. quamdam eis inesse libertatis speciem, hoc ipso quod voluntariae sunt. 3. Deum futura praescientem, non adimere homini potestatem sese in quamlibet partem suopte nutu inclinandi. ac tandem, quod inde consequens est; Deum quamvis futurorum praescium juste, & honestis actionibus praemium constituere, & inhonestis supplicium. Singula haec S. Doctorem ordine, ac divisim, suisque momentis confirmasse, vel parum vigilanti, ac non omnino stertenti, atque oscitanti Lectori facile apparebit.

Ut enim a priore capite exordiar; illud profecto unum, & nihil amplius demonstrat exemplum beatitudinis; quae non invito, sed volenti, atque id maxime appetenti homini ingeritur; licet praesentiat Deus, quem ipse beatum facturus sit. Tum enim generatim naturalis est homini beatitudinis appetitus; tum etiam speciatim naturalis, ac necessarius evadit amor veri, ac summi Boni, quum eo clare, & aperte fruendi a Deo potestas homini datur. Quare quum hominem peccaturum cum homine beatitudinem consequuturo contendit S. Doctor, id tantum probat; quod quemadmodum beatitudinem homo voluntate adepturus est, quamvis id futurum Deus ex aeternitate praesenserit: ita voluntate prava acturus est, etsi id futurum Dei praescientiam minime lateat. Atque eo etiam referenda esse, quae de voluntariis actionibus disputat, earumque ab aliis distinctione, quod eae in voluntatis potestate sint; ipsa orationis ra-

tio persuadet, ac series. Sed ut se habeat ipsa Augustini oratio, videamus: *Dic quaeso, num tu creatura ejus* [Dei] *non es, aut tua beatitudo non in te fiet* ? E. *Imo & creatura ejus sum, & in me fiet, quod beatus ero*. A. *Non ergo voluntate, sed necessitate in te fiet beatitudo tua, Deo faciente*. E. *Voluntas illius mihi est necessitas*. A. *Tu itaque invitus beatus eris*. E. *Mihi si esset potestas, ut essem beatus, jam profecto essem: Volo enim etiam nunc, & non sum, quia non ego, sed ille me beatum facit*. Duo continet hoc Evodii responsum. Nimirum & velle se beatitudinem; & in ejus potestate non esse beatitudinem consequi. Ex his vero duo similiter colligit S. Augustinus. Nimirum dari aliquando voluntatem a potestate sejunctam; quum velle quandoque possit homo, quod in potestate non habeat. At fieri non posse, ut homo sine voluntate velit, quia in ipsis actibus voluntatis, quos *elicitos* vocant, non est voluntas; hoc est, *volitio* a potestate divulsa, quia statim atque homo vult, voluntas ipsa praesto est. Hic enim sequentium verborum sensus est. A. *Optime de te veritas clamat. Non enim posses aliud sentire, esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, praesto est. Et ideo recte possumus dicere, non voluntate senescimus, sed necessitate, aut non voluntate morimur, sed necessitate; & si quid aliud hujusmodi: non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere* ? Hinc vero ulterius S. Augustinus efficit, Dei praescientia non eripi homini voluntatem; imo id plane repugnare, quia fieri non potest, ut sine voluntate homo velit. Quapropter quum Deus hominem volentem beatum facturus est, atque id ille praescit; necesse est, ut futuram hominis voluntatem praenoscat, quam proinde praescientia sua homini ademturus non est. *Quamobrem, quamvis praesciat Deus nostras voluntates futuras: non ex eo tamen conficitur, ut non voluntate aliquid velimus. Nam & de beatitudine quod dixisti, non abs te ipso beatum fieri, ita dixisti, quasi hoc ego negaverim: sed dico, quum futurus es beatus, non te invitum, sed volentem futurum. Quum igitur praescius Deus sit futurae beatitudinis tuae, nec aliter aliquid fieri possit, quam ille praescivit, alioquin nulla praescientia est, non tamen ex eo cogimur sentire;*
quod

quod absurdissimum est, & longe a veritate seclusum; non te volentem beatum futurum. Sicut autem voluntatem beatitudinis, quum esse coeperis beatus, non tibi aufert praescientia Dei, quae hodieque de tua futura beatitudine certa est: sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, non propterea voluntas non erit, quoniam Deus, eam futuram esse praescivit. Eodem pertinent, quae statim sequuntur, ac supra descripta sunt, quibus, ex ipsis Evodii verbis demonstrat, Dei praescientia non ereptum iri hominis voluntatem; quoniam, ut Evodius objiciebat; quae Deus praescit, necesse est, ut homo velit. *Si enim*, inquit S. Augustinus, *necesse est ut velit; unde volet, quum voluntas non erit?* In his ergo verbis, quae hactenus descripta sunt, *voluntatis* nomen universe ab Augustino usurpari pro actione voluntatis, qualiscumque ea sit; hoc est, sive necessaria sit; sive libera, & ex deliberatione ac consultatione suscepta; tam clarum est, ut vel caeco pateat. Quid enim aliud hactenus demonstratum est, nisi hoc unum; Dei praescientiam non adimere homini voluntatem? quoniam ea posita, sive homo necessario velit, seu libere, & contingenter; necesse tamen est, ut quae vult, voluntate velit.

Id verò, etiamsi cetera argumenta deessent, ipse etiam S. Augustinus, uti saepius animadversum est, aperte indicat, dum subjungit: *Quod si non hoc modo dixerit; sed dixerit, se, quia necesse est ut velit, ipsam voluntatem in potestate non habere, occurretur &c.* Jam ergo cum Evodio egerat, quasi hoc sensu dixisset; quae praesciuntur a Deo, necessitate fieri oportere, non voluntate; quod Deo futura praesciente, nulla futura sit hominis voluntas, ac proinde id unum hactenus data opera, & ex proposito profligatum est. Nunc vero ad alterum adgreditur refellendum; quod posita Dei praescientia, ita necessario futurum sit, ut a Deo praescita homo velit, ut suam in potestate non sit habiturus voluntatem, ac propterea non libere voliturus. Cui difficultati ita ex dictis S. Augustinus occurrit, atque in ea solvenda versatur; ut plane & aperte doceat, nullam esse voluntatem, quae non sit in potestate, ac proinde non libera. Quum enim ex dictis, illud sit in potestate, quod volentibus adest; ipsa voluntas, quae numquam volentibus deest; non potest hoc sensu non esse

esse in hominis potestate. Nam sive libere quisquam, sive necessario Deum diligat; ipsa semper voluntas volenti diligere praesto est: neque enim quisquam diligere vult Deum, nisi voluntate, qua diligit: Hoc itaque, ut dixi, sensu nulla est voluntas, quae non sit in hominis potestate: Et hoc sensu loquutus esse videtur S. Augustinus, quum ait: *Quod si fieri non potest, ut dum volumus, non velimus, adest utique voluntas volentibus: nec aliud quidquam est in potestate, nisi quod volentibus adest: voluntas igitur nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus; aut potest non esse, quod habemus.* Frustra mihi esse videntur, qui haec tantum de voluntate contingente, & indifferente ad utrumlibet interpretantur. Voluntas enim, quae spontaneo rapitur motu, & quam necessitas exprimit, an voluntas non est, ut jure dixerit Augustinus: *Voluntas igitur nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate*; id est, nisi, ut illi interpretantur, anceps voluntas atque indifferens esset? Haud ergo injuria ex hoc loco colligere mihi Sotus videtur; haud alienam esse ab Augustini mente illam quorumdam Theologorum sententiam, quod ad communem & genericam libertatis notionem satis sit *immunitas a coactione*. Si enim aliud quidquam exigeretur, haud recte concluderet S. Doctor: Dei praescientiam, quemadmodum non eripit homini voluntatem, ita neque adimere libertatem; nam facile responderetur; unum ex altero non inferri, quoniam cohereat cum voluntate necessitas, repugnet autem libertati, ac propterea rectè fieri possit, ut Dei praescientia non adimat voluntatem, perimat vero libertatem: At contra S. Augustinus contendit, non esse voluntatem, quae non sit libera, quoniam non sit voluntas; quae non sit in potestate; nam nec voluntas esset, si in potestate non esset; ac proinde Deus futura praesentiens, ut voluntatis, ita libertatis est praescius.

Et quidem si solvendae propositae ab Evodio quaestioni nihil praeterea S. Augustinus adjungeret; haud immerito forsan hoc S. Doctoris loco Jansenius, ejusque Discipuli triumpharent: At Sanctus ipse Augustinus victum se quaestionis difficultate demonstraret, eoque adactum, ut, quod de Chrysippo ait Tullius, *necessitatem fati confir-*

firmet invitus. Nam qui fatalem necessitatem adstruebant hominum etiam voluntatibus dominari; non propterea voluntatem ipsam de medio tollebant; quae profecto si nulla esset, neque esset, cui fatum dominaretur: neque illa tamdiu jactata inter Philosophos de fato & libertate controversia in eo posita erat; an fatum ipsum quoque humanae voluntati spontaneum ac voluntarium motum evelleret; vel in istum motum, hoc ipso quod spontaneus ac voluntarius sit, communis quaedam libertatis notio conveniret, ac liber eo sensu nuncupari posset, quod in potestate hominum sit; qui seu necessario quid velint, seu contingenter, semper tamen voluntas ac statim volentibus praesto est. Sed hic status erat inquisitionis; an ita posset cum Dei praescientia libertas humana consistere, ut in potestate hominis esset in quamlibet partem pro arbitrio flecti, & huc atque illuc pro libito nutuque suo detorquere *quemdam*, ut ait mox laudandus Augustinus, *quasi cardinem voluntatis*. Hoc caput erat, & arx, ut sic dicam, caussae, S. Doctori adeunda, & occupanda: Nam *si omnia*, ut est apud Tullium (*a*), *fato fiunt* ..... *non sunt igitur neque adsensiones, neque actiones in nostra potestate: ex quo efficitur, ut neque laudationes justae sint, nec vituperationes; nec honores, nec supplicia*. Frustra enim consultationes adhibentur, frustra leges proponuntur, frustra praemia vel supplicia rectis aut pravis actionibus statuuntur; nisi potestate praeditus sit homo ad utrumlibet indifferente. Hanc vero quì cum divina praescientia conciliaveris? quoniam necessarium esse videtur, quod vere praesciri dicitur: quod autem ex libero arbitrio fit, & facultate adutrumvis indifferente, contingens est, ac tam esse potest, quam non esse.

Difficultatem in ominum oculos incurrentem nec tam caecus fuit Augustinus, ut non videret; neque adeo incuriosus ac negligens u t praeteriet: ac propterea postquam generatim atque universe dem onstrasset, omnem voluntatem quodam sensu liberam esse; atque in hominis potestate; idque adsensu suo Evodius probasset: *Ecce jam non nego, ita necesse esse fieri, quaecumque praescivit Deus; & ita eum peccata nostra praescire, ut maneat tamen nobis voluntas libera, atque in nostra posita potestate*: optime S. Doctor animadvertit,

(a) Lib. de Fato.

tit, haec solvendae quaestioni satis non esse; ideoque ad omnem Evodio scrupulum evellendum, illi in memoriam revocat, atque ob oculos ponit superius informatam ideam libertatis ad meritum aut demeritum requisitae; quam, ut mox videbimus, in indifferentia, ac potestate sese in quamlibet partem suopte nutu inclinandi, reposuerat: *Quid ergo*, inquit Evodium adloquens, *te moves*? Erat ergo aliquid post superius disputata, quod Evodium adhuc moveret; id vero inde oriri suspicatus est Augustinus, quod ei memoria excidissent, quae antea de libertate hominis, ad meritum seu demeritum requisitae, fuerant constituta: *An forte oblitus*; *quid prima nostra disputatio peregerit*, *negabis*, *nullo cogente*, *aut superiore*, *aut inferiore*, *aut aequali*; *sed ea nos voluntate peccare*? Priorem illam disputationem, quae toto hujusce Operis libro primo pertractata fuerat, ejusque vim, paucis complexus erat Augustinus, antequam in hanc de concordia praescientiae ac libertatis concertationem descenderet; inde vero facile intelligere est, quod requireret in homine genus libertatis, ut laude seu vituperatione, praemio vel supplicio, dignus existimetur. Quum enim ex Evodio quaereret (a): *Egimus ne aliquid superioribus duabus disputationibus*? & responderet Evodius: *Egimus sane*: *Credo ergo*, subjungit S. Doctor, *meminisse te*, *in prima disputatione satis esse compertum*, *nulla re fieri mentem servam libidinis*, *nisi propria voluntate*: *nam neque a superiore*, *neque ab aequali eam posse ad hoc dedecus cogi*, *quia injustum est*; *neque ab inferiore*, *quia non potest*. *Restat igitur*, *ut ejus sit proprius iste motus*, *quo fruendi voluntatem ad creaturam a Creatore convertit*, *qui motus si culpae deputatur* . . . . . *Non est utique naturalis*, *sed voluntarius*. Quum voluntarium motum cum naturali contendat; necesse est, ut contingentis motus notionem hoc loco S. Doctor *voluntario* subjiciat. Nam motus voluntarius, qui non contingens, sed necessarius sit, naturalis est, & a voluntate tamquam natura promanat: (a) *Beati esse volumus*, *& id omnino nolle non possumus*, *nescio qua & bona constrictione naturae*. Hanc esse S. Doctoris mentem, magis etiam ex sequentibus patet: Nam statim subjungit: *In eo-*

(a) Hoc eodem lib. 3. de lib. Arbit. cap. 1.
(a) Lib. de Nat. & Grat. cap. 46.

eoque similis est illi motui, quo deorsum versus lapis fertur, quod sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi; verumtamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius; animus vero, dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis, inferiora deligat: & ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius. Et hic etiam *voluntarium* significat non necessarium, sed contingens. Nam voluntas, quae necessario movetur, non eo differt a lapide; quod secus ac lapis suum valeat cohibere motum, imo hoc etiam plane conveniunt; & quemadmodum lapis cohibere nequit motum, quo deorsum fertur, sic voluntas beati cohibere nequit motum, quo trahitur ad incommutabile bonum: & quemadmodum lapidi naturalis est ille motus, quo in ima trahitur; sic Beato naturalis est ille motus, quo summo Bono ipsius voluntas inhaeret. Hinc vero aliud oritur inter lapidis motum & voluntatis discrimen; quod illum, quoniam naturalis est, & cohiberi non potest, nemo culpabilem dicit; hic autem, quoniam voluntarius est, id est, non necessarius, sed cohibere illum voluntas potest, recte ac merito culpabilis dicitur, & culpa jure in ipsam rejicitur voluntatem. *Hinc est, quod lapidem si quis dicat peccare, quod pondere suo tendit in infima, non dicam ipso lapide stolidior, sed profecto demens judicatur: animum vero peccati arguimus, quum eum convincimus, superioribus desertis, ad fruendum inferiora praeponere. Propterea quid opus est quaerere, unde iste motus exsistat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, quum eum nonnisi animi, & voluntarium, & ob hoc culpabilem esse, fateamur: omnisque de hac re disciplina utilis ad id valeat, ut eo motu improbato atque cohibito, voluntatem nostram ad fruendum sempiterno Bono, a lapsu temporalium convertamus.* Quibus postremis verbis aliam rationem indicat, quare ille motus voluntatis, qui culpae adscribitur aut laudi, non solum coactionis esse debeat, sed etiam necessitatis immunis, ne scilicet inutilis sit disciplina, ac frustra sint leges, praecepta, consilia, admonitiones, exhortationes, objurgationes. Quapropter Angelicus Doctor eorum opinionem, qui voluntatem effutiebant ex necessitate moveri ad aliquid eligendum, non solum haereticam vocat, quod meritum hominis ac demeritum tollat; sed eti-

am ipsi extraneam morali Philosophiae, quod ejus ab imis fundamenta subvertat; *Haec autem opinio*, inquit S. Thomas (a), *est haeretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus: non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiae opiniones, quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiae moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quae Philosophia moralis consistit.* Quae etiam S. Augustinus passim tum in hoc opere de libero arbitrio, tum pluribus aliis in locis explanat: sed maxime notanda atque animadvertenda sunt, quae statim velut ex persona Evodii subjungit: *Video, & quodammodo tango, & teneo, vera esse, quae dicis: non enim quidquam tam firme atque intime sentio, quam me habere voluntatem, eaque me moveri ad aliquid fruendum: quid autem meum dicam, prorsus non invenio, si voluntas, qua volo & nolo, non est mea.* Id scilicet est, quod aliis est etiam Cl. Scriptoribus animadversum: libertas voluntatis, & ad utrumlibet indifferentia cognita est nobis & explorata, quia illam vivido sensu constantique percipimus; quo sane judicio nullum potest esse gravius. Siquis enim a me petat, num sim, num vivam, num sentiam, idque sibi probari velit, quid est, quod respondeam, nisi rem ita esse, quia ita plane percipio? Igitur quum sentio, me libere velle ac nolle, stare ac sedere, tacere ac loqui, revera ita est, sicuti sentio. Quod ubi Evodius animadvertit; inde proficisci, cum Augustino docet, quod humanarum actionum noxa in voluntatem redundat; quod eis laus debetur aut vituperium, quod haud frustra suorum officiorum homines admonentur: *Quapropter cui tribuendum est, si quid per illam male facio, nisi mihi? Quam enim bonus Deus me fecerit; nec bene aliquid faciam nisi per voluntatem, ad hoc potius datam esse a bono Deo, satis apparet. Motus autem, quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus voluntate; neque laudandus, quum ad superiora; neque culpandus homo esset, quum ad inferiora detorquet*

quem-

(a) Quaest. 6. de malo.

quemdam quasi cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, ut istis neglectis, aeterna vellet adipisci; atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. Hoc autem monendum non esse hominem, quisquis existimat, de hominum numero exterminandus est.

En qualem humanae libertatis ideam Evodio Sanctus Augustinus ob oculos ponit, ubi de actionibus speciatim agit, quibus meritum nobis aut demeritum comparamus, & quibus Deus aut praemium aut supplicium constituit. Non satis est, ut sit homo ab externa vi & coactione immunis; sed opus est, ut sit etiam a quibusvis naturalis necessitatis vinculis expeditus: nec sufficit, ut voluntario ac spontaneo trahatur motu; sed ut suopte nutu inclinet quo vult ac detorqueat intimum illum, & in suspenso atque in ancipiti positum, quasi cardinem voluntatis. Nihil autem horum negare audet Evodius. Sed nondum satis percipere, quomodo haec cum Dei praescientia cohaereant: *Nihil horum prorsus audeo negare: sed tamen fateor, nondum video, quomodo sibi non adversentur haec duo; praescientia Dei de peccatis nostris, & nostrum in peccando liberum arbitrium*. Paullo ante adsensus fuerat; ita Deum peccata nostra praescire, ut maneat tamen nobis voluntas libera, atque in nostra posita potestate. Quì ergo nunc ait, se nondum videre, quomodo sibi non adversentur haec duo; praescientia Dei de peccatis nostris, & nostrum in peccando liberum arbitrium? Id scilicet est, quod contendimus: antea loquutum esse Augustinum de his tantum, quae ad communem & generalem quamdam notionem libertatis requiruntur: nunc vero de forma libertatis disceptari, quae proprie liberum hominis arbitrium constituit; & unde meritum in humanas actiones aut demeritum promanat; atque unde est, ut juste Deus honestis castisque actionibus praemia rependat; turpibus autem flagitiosisque supplicia. Hanc igitur speciem seu formam libertatis, quae, ut ostensum est, voluntatem requirit pendente indifferentique potestate praeditam, nondum Evodius intelligit, quì cum praescientia componi valeat: *Nam*, subjungit, *& justum Deum necesse est fateamur, & praescium: Sed scire vellem, qua justitia puniat peccata, quae necesse est fieri: aut quomodo non sit necesse fieri, quae futura esse praescivit: aut quomodo non Creatori deputandum est, quidquid in ejus creatura fieri, necesse est.*

 Hic

Hic nodus est & cardo difficultatis, quem Sanctus Augustinus ut dirimat ac divellat; non jam ad illud se refert, quod antea dixerat; modo voluntarius sit ille motus, quodam sensu liberum esse, atque in hominis potestate : porro Dei praescientia non fieri, quin motus ille sit voluntarius. Sed illud potius demonstrandum suscipit, quod huic caussae maxime opportunum ac necessarium erat : Dei praescientia, perinde ac nostra, si qua esset de futuris liberis eventibus, humanae voluntatis naturam nequaquam labefactari, ac proinde tam libere & cum indifferentia, (quod ejus natura fert) in hisce objectis prosequendis versari; quamvis Deus id futurum certo praenoverit; ac si nobis ejusdem rei fuisset certa praesensio. Quare ex Evodio quaerit : *Unde ipsi videretur adversum esse liberum arbitrium nostrum praescientiae Dei ; quia praescientia est, an quia Dei praescientia est? &c. E. Quia Dei potius. A. Quid ergo si tu praescires, peccaturum esse aliquem, non esset necesse, ut peccaret? &c. E. Imo necesse esset, ut peccaret: non enim aliter esset praescientia mea, nisi certa praescirem. A. non igitur quia Dei praescientia est, necesse est fieri, quae praescierit, sed tantummodo quia praescientia est; quae si non certa praenoscit, utique nulla est. &c. E. Consentio : sed quorsum ista? A. Quia nisi fallor, non continuo tu peccare cogeres, quem peccaturum esse praescires; neque ipsa praescientia tua peccare eum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset: non enim aliter id futurum esse praescires. Sicut itaque non sibi adversantur haec duo, ut tu praescientia tua noveris, quod alius sua voluntate facturus est : ita Deus neminem ad peccandum cogens, praevidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt.* Quibus verbis non aliam, Sanctus Augustinus docet, ex Dei praescientia inferri necessitatem, quam illam, quam *infallibilitatis, & consequentiae, non consequentis*; siue non simplicem & absolutam, sed hypotheticam, seu *conditionalem* nostrates Theologi appellant. Haec porro quoniam naturam voluntatis non destruit, neque indifferentem ejus ad plura & ancipitem potestatem, optime cum ea libertatis forma componitur, quae in praesenti quoque statu ad merendum & demerendum, ex Apostolicae Sedis definitionibus, necessaria est : & qua fit, ut jure Deus & justis praemia, & impiis supplicia constituerit.

rit. Quam tamdem consecutionem ipse etiam Sanctus Augustinus ex praecedentibus elicit: *Cur ergo non vindicet justus, quae fieri non cogit praescius? sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt: sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt. Et sicut tu quaedam, quae fecisti, meministi, nec tamen quae meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia, quorum ipse auctor est, praescit; nec tamen omnium, quae praescit, ipse auctor est. Quorum autem non est malus auctor, justus est ultor. Hinc ergo jam intellige, qua justitia Deus peccata puniat: quia quae novit futura, non facit. Nam si propterea non debet retribuere supplicium peccantibus, quia praevidet peccaturos: non recte facientibus debet praemia retribuere, quia & recte facturos nihilominus praevidet. Imo vero fateamur; & ad praescientiam ejus pertinere, ne quid eum lateat futurorum; & ad justitiam, ut peccatum, quia voluntate committitur, ita judicio ejus impune non fiat, sicut praescientia non cogitur fieri.*

Gradatim ergo, ut iam me demonstrasse confido, & ordine quodam Sanctus Augustinus in hujus perquam implexae, ac difficillimae controversiae solutione processit; ab iis, quae obvia sunt, & in propatulo posita, ad abstrusiora, & magis recondita & arcana penetrans. Nam primum ostendit, Dei praescientia non eripi hominibus voluntatem; deinde nec illam qualiscumque libertatis formam, quae cum voluntate indivulse conjuncta est: tum vero & libertatem, quam vocant *indifferentiae*, cum Dei praescientia optime cohaerere: denique Deum, etsi peccatorum praescium, justum tamen eorum vindicem esse. Itaque San. Doctoris mentem optime Sotus expressit, quum ait; ad libertatem voluntatis vel satis esse, ut sit immunis a coactione; vel etiam requiri, ut in agendo eam saltem indifferentiam, quam vocant *secundum exercitium*, integram tueatur. Nam prior hujusce disjunctionis pars ad primum genus pertinet libertatis; quo, ex quorumdam Theologorum opinione, ipse etiam beatarum mentium beatus amor liber est: altera vero ad aliam speciem libertatis, ex qua humanarum actionum aut demeritum exsistit, aut meritum efflorescit.

Hanc Soti fuisse mentem, §. *sequenti* amplius demonstrabitur.

In-

Interim egregiae & optimae fidei atque integritatis, qua in referendis Theologi nostri opinionibus, atque ipsis etiam verbis, Duchesnius versatus est, insigne Lectori est specimen exhibendum. Si Duchesnium audimus; haec Soti sententia est ,, (*a*): Liberum praesen-
,, tis status arbitrium sufficit, ut sit coactioni, nec requiritur, ut
,, sit exemtum necessitati. Haec vero tamquam Soti verba, integra utique descripta fide, repraesentat: *Ad libertatem itaque voluntatis ex Augustino & Thoma non video requiri potentiam aut indeterminationem ad utrumque oppositorum, quam nonnulli quoad specificationem vocant, sed sufficere libertatem a coactione*. Proh superum atque hominum fidem! Haeccine Soti sententia est? haeccine ipsius verba? nihil minus. Verba illa, *praesentis status*, pro tuo libito, Duchesni, tuoque libero arbitrio, addidisti, ut haereticam Soto opinionem adfingeres: parique licentia conjunctionem disjunctivam, *vel*, aliaque verba expuncta e Soti textu voluisti, ut impune proscriptam illi propositionem tribueres. Non ait Sotus, *ad liberum praesentis status arbitrium sufficere libertatem a coactione*: Sed vel eam sufficere ad communem quamdam & universalem notionem libertatis, ex quorumdam Theologorum opinione, qui beatam ipsam Dei dilectionem quodam sensu liberam esse volunt; vel requiri etiam *libertatem & indeterminationem* saltem *secundum exercitium*; quam ait esse Angelici Doctoris sententiam; & quam proinde Sotum alteri opinioni praeferre, dubium non est; quum se Sancti Thomae discipulum profiteatur. Sotus ergo & de communi quadam libertatis notione loquitur; & de Beatorum libertate loquitur; & ex quorumdam Theologorum sententia loquitur; & cum disjunctione loquitur. At vero juxta Duchesnium de libertate loquitur ad meritum ac demeritum requisita; & de libero praesentis status arbitrio; & ex propria opinione; ac demum certam habet diffinitamque sententiam. Quatuor ergo capitalibus articulis differunt, quam reipsa Sotus habet, opinio; & quam ei Duchesnius adfingit. Redde Soto verba sua, & evanescet calumnia tua.

Ter-

(a) Le libre arbitre de l' etat present consiste dans le volontaire . . . . . il suffit qu' il soit exemt de contrainte.

§. III.

Tertiam Ianſenii propoſitionem Sotus praedamnavit.

PArum eſt, quod Soti doctrinam cum tertia Ianſenii propoſitione, nihil habere commune, demonſtravimus. Eſt etiam demonſtrandum, ab ipſo in hac ipſa Epiſtola eamdem fuiſſe Ianſenii haereſim praedamnatam. Nec profecto, ut id apertum exploratumque faciamus, admodum laborandum eſt; nam ſingulis fere paginis textus occurrunt meridiana luce fulgidiores; quibus perſpicue docet. Primo, Liberum praeſentis ſtatus arbitrium conſiſtere in indifferentia & poteſtate ad oppoſita. Secundo, Ejuſmodi libertatem in ipſis etiam peccatoribus permanere. Tertio, propterea ipſis, quae committunt, ſcelera imputari, quod proprio nutu hunc quaſi cardinem voluntatis ad inferiora detorquent.

Quod ad primum adtinet; quid hac, quaeſo, Soti adſertione luculentius? (a); *Ad libertatem potentia in utrumque oppoſitorum requiritur*. Quid item hiſce aliis ejuſdem Auctoris verbis diſertius? [b]; *Non ſolum ſimpliciter dicimur poſſe hoc & oppoſitum, tacere videlicet vel loqui; ſed etiam quum alterum facimus, abſolute dicimur poſſe oppoſitum; atque adeo effectus ipſi, dum fiunt, contingentes & liberi ſunt, quamvis non indeterminati ad utrumlibet oppoſitorum*; SED DETERMINATI LIBERE A CAUSA LIBERA ET CONTINGENTE. *Quum hoc ergo ſufficiat ad libertatem arbitrii; Pharao, qui abſolute poterat obtemperare, quia poterat impetrare, vel ſaltem habere gratiam, libere non obtemperavit; ſicut libere ſedet, qui ſedet; quamquam uterque ex ſuppoſitione in ſenſu compoſito non poſſit in oppoſitum*. Id ne eſt adſerere, liberum arbitrium praeſentis ſtatus in voluntario conſiſtere? Qui hoc adfirmant, illud etiam conſequenter docent; quoslibet effectus, qui voluntarii ſint, liberos quidem eſſe, non tamen contingentes: nam & effe-

(a) col. 32. (b) 37.

effectus necessarii, dum ex spontaneo voluntatis motu proficiscantur, liberi, ipsorum opinione, sunt : neque voluntas ipsa, quatenus ad unum adfixa, ut Beatorum voluntas ad diligendum Deum, caussa dici potest, quae se ipsam contingenter ad actum divini amoris determinet ; nam spontaneo quidem, sed necessario in Deum impetu rapitur ; & tamen, Iansenio auctore, beatae illius dilectionis caussa libera est. Sotus autem, ut effectus liberi sint, vult etiam esse contingentes, & a caussa libera & contingente determinari.

Ejusmodi formam ac speciem libertatis in omnibus non modo justis, sed etiam perditis ac profligatis hominibus reperiri ; Sotus nedum perspicue docet, sed hanc etiam esse testatur cum Sancti Augustini, tum ipsius Ecclesiae doctrinam : [a] *Libertas, qualis in Adam fuit ab omni servitute peccati, & miseria, dicitur ab Augustino, non esse in peccatore ; fortis scilicet & robusta virtus ad bene operandum* : LIBERTAS *tamen* VERA A COACTIONE ET NECESSITATE IMMUNIS, *in omnibus conceditur ab Augustino*, IMO ET AB ECCLESIA. Vera igitur libertas Soto illa dicitur, quae non solum nulla violenta necessitate premitur, sed est etiam quibuslibet verae necessitatis vinculis expedita:& haec in praesenti statu, juxta Ecclesiae doctrinam, Soto ipso teste, in omnibus invenitur. Quanti vero sit usus ad Augustini mentem adsequendam, & innumera ipsius in speciem pugnantia loca invicem concilianda, distinctio illa, quam heic Sotus adhibet, duplicis libertatis ; quarum altera in Adam periit, nec nisi per Christi gratiam recuperatur ; libertas nimirum a servitute peccati, & fortis ac robusta, & cupiditatis atque concupiscentiae laqueis & illecebris expedita, ad bene operandum, & quod Deo gratum est, amplectendum voluntas : altera vero post Adae praevaricationem adhuc superstes ; quae non solum nulla agitur violentia; sed nulla etiam obstringitur naturali necessitate ; quanti, inquam, ejuscemodi distinctio sit usus, & quanti, illam prae oculis habere, referat, ad Augustini, aliorumque veterum Patrum passim occurrentium verborum & sententiarum, specie tenus se se collidentium, concordiam ineundam; pluribus Clar. Peta-

(a) col. 63.

tavius demonſtrat; qui etiam Calvini, Ianſenii, aliorumque de natura & libertate humana peſſime meritorum, abſonas & exoticas opiniones inde fluxiſſe probat; quod quae Auguſtinus aliique Patres de primo genere libertatis habent, ad alterum imperite tranſtulerunt; & quoniam illud, quod ex primaeva juſtitia promanabat, in Adam periiſſe, docent Patres; iſtud etiam, quod natura inſitum eſt, perditum ac profligatum fuiſſe, ii, quos nunc appellavi, homines tradiderunt. Videſis laudatum Petavium (*a*), ex quo plurima peti poſſunt ad hanc Soti obſervationem illuſtrandam; quae certe Baïanae & Ianſenianae cauſſae jugulum petiit. Si enim, ex Eccleſiae doctrina, *vera libertas* poteſtatem exigit indifferentem, & neceſſitate ſolutam; eaque nobis indivulſe cohaeret; ergo nec pondere gravata cupiditatis, nec ſpiritu adflata divinae gratiae, ulla voluntas agitur aut premitur neceſſitate, ſed indifferens manet ſuique juris, poteſtque ſe in alterutram partem flectere; & cum Deo vocanti atque excitanti, uti Tridentina Synodus ſciſcit; tum concupiſcentiae illicienti atque oppugnanti, aut diſſentire ac cedere; ſeu diſſentire, atque obniti, ac reluctari, ſi velit.

Nec modo in hujus dogmatis confirmationem Patrum, & Eccleſiae auctoritatem adſciſcit Sotus; ſed unam etiam ex praecipuis rationibus adfert, quas ad illud adverſus Manichaeos, aliosque haereticos, ac Genethliacos, fatique defenſores adſerendum, iidem adhibuerunt; quod nempe fruſtra eſſent praecepta, & comminationes poenarum, & praemiorum pollicitationes, niſi eſſet homo ſui juris, ac niſi haberet poteſtatem ad utrumvis indifferentem, ſed uno aliquo circumſcriptam, ac definitam: *Haec enim*, inquit Sotus, (*b*) *eſt ex praecipuis rationibus, quibus Patres, & Eccleſia Manichaeos damnant liberum arbitrium negantes; praecepta videlicet, & comminationes poenarum, & praemia a Deo propoſita; quae certum eſt, omnibus propoſita eſſe, quamdiu vivimus; fruſtra vero eſſent propoſita, niſi eſſet liberum arbitrium: nec video, quid huic rationi reſponderi poſſet*. Teſtimonia veterum Patrum, qui hac ratione adverſus Gnoſticos, & Manichaeos, necnon Mathematicos, & Aſtrologos uſi

(a) De Opific. ſex dier. Lib. 4. cap. 7. & ſeq.
(b) Col. 35.

sunt, Petavius congessit, & quamdiligentissime excussit (*a*). His autem luculenter ostenditur, frustra & leges, & praecepta, & poenas, & praemia fuisse hominibus constituta, nisi libero arbitrio, hoc est, facultate praediti sint, qua ex pluribus ad eligendum propositis, unum adsciscere possint, rejecto, ac segregato altero; atque eorum ad unum adfixa necessario sit, & constricta voluntas; quamvis idipsum sponte persequatur, imo ardenter expetat, & avide complectatur. Neque enim qui E. G. fatum adserebant Astrologi, propterea negabant, voluntatem fatorum vi, & astrorum motibus impulsam aliquid agere, aut voluntario, ac spontaneo motu cieri; quos tamen Patres ea, qua diximus, ratione veluti humanae libertatis eversores oppugnant. Unum aut alterum libet ad id probandum ex elegantioribus Patrum testimoniis adferre. S. Gregorius Nazianzenus Carm. 5. Arcanorum, quod est de Providentia, adversus fati defensores, & Genethliacos ita eleganter cecinit (*b*):

Si enim circulus omnia fert, illius circumvolutione
Rapior cum impetu: porro voluntatem ipsam circulus infert:
Neque ulla mea est propensio ad melius adducens
Consilii, vel mentis: polus autem huc me revolvit.

Non ergo fatalis necessitas spontaneum voluntatis impetum eripiebat, sed abripiebat potius, atque incitabat: ipsaque humana voluntas, ejusque motus arctissimo fatorum nexu, & astrorum circulo constringebatur.

Idem etiam ex prolixa Eusebii Caesariensis adversus Genethliacos disputatione perspicuum est. Quum enim illos velut humanae libertatis oppugnatores adgrederetur, non utique id eis imputabat, quod mentem homini, ejusque spontaneum motum, quem in nobis ani-

(a) Ubi sup. lib. 3. per tot.

(b) Εἰ γὰρ κύκλος ἅπαντα φέρει κείνου περιωγῇ
Ῥοιζοῦμαι, τὸ θέλειν δὲ καὶ αὐτόγε κύκλος ἐποίσει.
Οὐδέ τις ἐστὶν ἐμεῖο ῥοπὴ πρὸς κρεῖσσον ἄγουσα
Βουλῆς ἠδὲ νόοιο, πόλος δέ με τῇδε κυλίνδει.

animadvertimus, ac sentimus, eriperent; sed quod ea fatorum potestati subjicerent, eorumque vi ad quodlibet adpetendum excitari impellique docerent (a): *Vide*, inquit, *quemadmodum juris sui libertatem destruunt, dum non externa solum, & quae in nobis sita non sunt, ex astrorum motione suspenduut; sed etiam liberum nostrum arbitrium*. Quod in sequenti capite probat, cujus haec est epigraphes: (b) *Hoc etiam, quod in potestate nostra situm est, ab illis tolli, dum arbitrium quoque nostrum fati necessitate moveri volunt*. Tum in ipso capite ex Apollinis oraculo demonstrat, quemadmodum Genethliaci existiment, fatales illos siderum occursus quosdam ingenerare impetus hominum voluntatibus, & efficere, ut magno animi ardore aliquid cupiant: *Sic*, inquit (c), *Apollo de nescio quo loquens, & unde sit ei ad militiam capessendam injecta cupiditas, explicans, ita dicit*:

„ Mars olli natalis adest, stimulatque ruentem.

Igitur horoscopante Martis Stella, fatalis quaedam exstitit necessitas, quae illius voluntatem ad bella, & atma tractanda compelleret. Qui autem fieri hoc potest, nisi id efficiat, ut agat, & velit, & appetat voluntas? Clarius etiam idipsum exponit ejusdem libri capite sexto, ubi praeterea, quod Soto est in praesenti §. animadversum, frustra esse contendit cohortationes, & castigationes, adeoque & leges, & praecepta, quibus a sceleribus revocare alios studemus, si fato cientur hominum voluntates, neque in ipsorum potestate est, earum impetus ad alia transferre, aut cohibere saltem, ac mo-

(a) Θέα δ' ὡς καὶ τὸ ἐφ' ἐμῖν ἀναιροῦσιν, οὐ μόνον τὰ ἐκτός, καὶ τὰ ἐκ ἐφ' ἡμῖν τῇ τῶν ἀστέρων ἀνατιθέντες φορᾷ, ἀλλὰ καὶ τὰς ἡμετέρας προαιρέσεις.

(b) Ὅτι καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν ἀναιροῦσιν, ἐξ εἱμαρμένης φάσκονες καὶ τὰς προαιρέσεις κινεῖσθαι.

(c) Οὕτως καὶ ὁ Ἀπόλλων περί τινος ἅμα, καὶ τὴν περὶ στρατιὰν προθυμίαν ἀφηγούμενος, πόθεν αὐτῷ γίνεται ἔφη.

Ἄρεα κραιπνὸν ἔχει γενεθλήϊον, ὅς μιν ὀρίνει

moderari: (*a*) *Cur me castigas, & admones, mi homo? Haec enim non sunt in potestate mea posita; uti liberum mutem arbitrium meum. Nam ante me fatum occupavit. Quid igitur attinet ad id contendere, quo ne voluntate quidem ferri potero; nisi idipsum fato mihi constitutum sit? Ferar autem eo voluntate, si hoc mihi fatale est, etiamsi nihil praecipias, ipsa fati necessitate adductus.* Inflectere itaque voluntates hominum, & ad volendum adducere, fati necessitas credita est ab iis, quos eo refellebant Patres, quod cum libero arbitrio nequit necessitas ista consistere: ac revulso libero arbitrio, & sola superstite voluntate, frustra fore ducebant admonitiones, cohortationes, objurgationes.

Duobus his Graecis Auctoribus unum ex Latinis adjiciam Prudentium; qui cum fati propugnatores eodem argumento adoritur; tum palam agnoscit, cum fati in homines vi, ac dominatu motum appetitionemque consistere voluntatis. (*b*)

Denique nulla hominum res est, nulla actio Mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere sortem.
Quae quia constituunt; dicant, cur condita sit lex
Bis sex in tabulis: aut cur rubrica minetur,
Quae probibet peccare reos, quos ferrea fata
Ad facinus cogunt, & inevitabile mergunt.
Quin & velle adigunt, pravum insinuantia votum
Ne liceat miseris vetitum committere nolle.

Ergo non ea ratione Christiani Scriptores Ethnicos fato addictos exagitarunt, quod fatorum vis necessitatem inveheret ipsi etiam voluntati exitialem; Sed quia persuasum habuerunt, voluntatem non

ad

(a) Τί με, ὦ ἄνθρωπε, νουθετεῖς; ταῦτα γὰρ οὐδήπω ἐστὶν ἐπ' ἐμοί, τὸ μεταβάλλειν τὴν προαίρεσιν, ἡ γὰρ εἱμαρμένη προκατείληφε. Τί οὖν δεῖ συντετάσθαι πρὸς ὃ οὐδὲ προθυμεῖσθαι δυνήσομαι, εἰ μὴ καὶ τοῦτο καθείμαρταί μοι; προθυμήσομαι δὲ, ἢ καθείμαρται, καὶ ἄνευ τῆς σῆς διδασκαλίας, ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης ἀγόμενος.

(b) Lib. 2. cont. Symmach.

ad utrumlibet indifferentem, ac sui juris, sed fatorum vi ad unum adstrictam, & adligatam, idoneam non esse, in qua monita, & praecepta valerent. Sed est ad Sotum redeundum, cujus ergo haec disputata sunt.

Satis jam conjicere ex dictis possumus, quae fuerit ipsius mens de libertate, etiam in praesenti statu, ad meritum, ac demeritum requisita. Mens enim, seu voluntas, quae monitorum, ac praeceptorum capax non est, quod in utramque partem flecti pro arbitrio nequeat, nec mercedis ac meriti, praemiorum ac poenarum capax dijudicanda est. Quare cum Sotus ad primum illud voluntatem exigat nedum coactionis immunem, sed etiam necessitate expeditam; quidni etiam ad alterum similem libertatis formam requirat? Sed quid conjecturis, & consecutionibus agimus? Quam id ex superioribus esset consequens, ipse etiam Theologus noster optime animadvertit; quare ad superius relata verba, haec statim adjecit: *Rursus de sic destitutis quaeritur; an imputentur eis peccata, quae admittunt. Certe illi, de quibus Paulus loquitur ad Rom.* 1. Quos Deus tradidit in reprobum sensum &c. *non excusantur ab eo peccato; nec illi, de quibus in Psalmo;* dimisi eos secundum desideria cordis ipsorum; *dicuntur non libero arbitrio peccasse; sed statim sequitur;* Ibunt in adinventionibus suis. *Ibunt, inquit, quod liberi arbitrii est; non ducentur, non cogentur, in adinventionibus suis. Quid adinventio, nisi excogitatum aliquod, quod homini est a seipso, significat?* Potuit ne quidquam elegantius adferri ad illustrandam communem, ac pervulgatam libertatis ideam, quam ex intimo quodam naturae, ac religionis sensu inditam nobis, atque insculptam habemus? Hanc Sotus necessariam esse docet, ut nobis imputentur peccata: perperam ergo, atque injuria illi tribuitur, quod voluntas, solius violentiae, non autem necessitatis nexibus expedita, ad meritum, aut demeritum comparandum, in praesenti statu sufficiat.



Quo

§. IV.

Quo sensu dixerit Sotus;

Quaedam peccata necessitate committi.

HAec una superest, quod ad praesentem spectat disputationem, removenda difficultas; quam tamen paucis expediam: hoc enim uno nititur, quod Duchesnius disjuncta Soti verba contexuit; ut ex iis perperam adsutis, maleque compactis haereticam doctrinam & propositionem exprimeret; quare artificio detecto, concidat necesse est, quae inde pendet de Soto injecta suspicio. Ut ergo Bajanarum rerum Historicus ostenderet, ex Auctoris nostri mente, ad meritum, seu demeritum, *non requiri potentiam, aut indeterminationem ad utrumque oppositorum; sed sufficere libertatem a coactione*; his ejus verbis perperam etiam compactis, ut supra ostendimus & quorum jam legitimum sensum enucleavimus; haec statim adtexuit: *Aliqua peccata necessitate committuntur; hoc non recte de necessitate liberum arbitrium auferente, sive cogente simpliciter; sed trahente ad consensum, intelligendum est, & hoc se sensisse ait Augustinus in Retractationibus &c.* Ut haec verba, quae octo spissis columnis a superioribus disjuncta sunt, recte illi cohaereant, ea oportet in hanc mentem interpretari: ideo quaedam peccata necessitate commissa nihilominus imputari, quod non sit necessitas violenta, quae vim inferat libero arbitrio; sed necessitas simplex, quae propterea quod voluntarium, ac spontaneum consensum exprimat, non eripit libertatem, etsi voluntatem ad unum adfigat, adimatque potentiam ad opposita.

At quam aliena sit ab Auctoris nostri mente, gratisque conficta haec horumce verborum interpretatio, satis jam constare potest ex dictis; quum, ut vidimus, claris, rotundisque verbis adfirmet, admittendam esse ex Augustini, imo & Ecclesiae sensu, veram libertatem, non modo a coactione, sed & a simplici necessitate immunem; & ad libertatem potentiam requiri in utrumque opposito-

to-

torum. Quin & ipse locus, quem ab antecedentibus, & consequentibus divulsum Duchesnius adfert; si suam in sedem restituatur, perspicue demonstrat, perperam illum, ac praeter Soti mentem fuisse ab Historico acceptum, eique alienum omnino sensum adtributum. Nam demonstrandum ex Augustino susceperat, (*a*) *haec duo simul stare*; *Omne peccatum caveri posse*, *&*, *quaedam necessitate quadam committi peccata*. Id vero S. Doctor his verbis, quae Sotus laudat, perspicue docet: (*b*) *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem. Caveri igitur potest. Et tamen etiam per ignorantiam facta quaedam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus*; *ait enim Apostolus*: Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. *Ait & Profeta*: Delicta juventutis, & ignorantiae meae ne memineris. *Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere, & non potest: Nam unde sunt illae voces*: „ Non enim, quod volo, facio bonum; „ sed quod nolo malum, hoc ago &c. Quae S. Augustini verba postquam retulit Sotus; *Si ergo*, adjecit, *vera haec duo sunt*; Omne peccatum caveri potest; *&*, Aliqua necessitate committuntur; *hoc ultimum non recte de necessitate liberum arbitrium auferente, sive cogente simpliciter, sed trahente ad consensum, intelligendum est*: *& hoc se sensisse ait in Retractationibus*: Voluntas est, *inquit* (*c*), qua peccatur, & recte vivitur: quod his verbis egimus: *& loquitur de citatis verbis*: „ Quis enim peccat in eo, quod cavere non potest? Igitur cum ex antecedentibus, tum ex consequentibus, quae de industria suppressit Historicus, satis superque constat; Dominicanum Theologum, quum ait, quaedam peccata necessitate committi, de tali necessitate non loqui, quae potentiam adimat ad opposita. Si enim ea ipsa peccata, quae cum S. Augustino ait, quadam committi necessitate, cum eodem S. Doctore contendit, quod nihilominus caveri possunt; quid ab ejus mente magis aperte alienum adscribi Soto potuit, quam necessitatem, de qua loquitur, ejusmodi esse, quae indifferentiam, & potentiam adimat ad oppositum, id est ad cavendum

(a) Col. 41.
(b) Lib. 3. de lib. Arbit. cap. 18.
(c) Lib. Retract. cap. 9.

dum peccatum? Nam quomodo peccatum quadam necessitate commissum caveri nihilominus posset, si talis esset necessitas, quae potentiam ad illud cavendum eriperet?

Certe non omnem necessitatem potentiam ad opposita labefactare; sed esse aliquam ejus speciem, quae cum indifferentia voluntatis cohaereat; non puto, adeo esse Duchesnium in rebus Theologicis hospitem, ut ignoret. Quid enim apud Augustinum, aliosque Patres, vetereſque Theologos frequentius, quam peccata quadam commissa necessitate nihilominus imputari? quos oportet recentium haereticorum prodromos facias, nisi aliquam agnoscas necessitatis speciem, quae cum potestate opposita agendi, ac voluntatis indifferentia non pugnet. Duplicem ejusmodi speciem Petavius adhibet, ad quaedam Guillelmi Parisiensis duriora verba in sensum Catholicum inflectenda; quarum alteram *Moralem*, atque *infallibilitatis* cum vulgo Theologorum appellat; alteram consequentem, & voluntariam, quae caussam habet, priorem, & antecedentem ipsius hominis voluntatem: „ Siquidem, *inquit Petavius* (*a*), determina-
„ tio illa & necessitas (*quam Guillelmus adfirmabat cum libero vo-*
„ *luntatis arbitrio cohaerere*) non est absoluta, sed ad summum
„ ejusmodi est, quam *moralem*, *&* *infallibilem* vocant: quum om-
„ nino cessura, & obsecutura est ei voluntas: quamvis potest, si ve-
„ lit, resistere, praesertim extraordinario aliquo refecta naturae
„ vel gratiae robore. Nam & plerique longa vitiorum consuetu-
„ dine sic obdurati sunt, & occalluerunt, ut occasione data, prope
„ pecudum more, & quadam insuperabili necessitate rapiantur,
„ quoquo eos impetus ac libido tulerit. Nec tamen excussa illis est
„ penitus arbitrii libertas: nec alia est ista, quam *moralis* necessi-
„ tas: cui licet absolute reluctari possint, & in contrarium niti, si
„ velint; non tamen hoc facturi sunt.... Ad eum modum intelli-
„ gendum est, quod ait Guilielmus: *Nec sequitur, si non potest*
„ *agere, vel etiam velle, quod propter hoc excusatus fuit &c.* Haec
„ inquam, *ἀδυναμία*, quam, si liceat, *impotentiam* appellem, &
„ scio vocari sic in Scholis; cum apud Latinos alia sit nominis istius
„ notio. Sed ille potestatis defectus non est absolute, praeciseque
„ ca-

(a) Lib. de Opific. sex dier. 5. cap. 10. n. 11.

„ capiendus: verum, ut jam dixi, *moraliter*: *ut non posse agere* id „ sit; nunquam velle movere se ad agendum: quamvis absolute queat. Haec certe; *prope pecudum more, & quadam insuperabili necessitate rapiantur, quoquo eos impetus, ac libido tulerit*; ut & vocabulum illud ἀδυναμία, vulgo *impotentia*; haec, inquam, aliaque de industria omissa, longe fortiora sunt; quam illa Soto memorata *necessitas trahens*, hoc est, inclinans *ad consensum*.

„ Praeterea, *subjungit Petavius*, de ea necessitate loquitur „ Gulielmus, quae est consequens, & in causa sua voluntaria. Ut „ cum aliquis in praeceps se sponte committit, etsi postquam se se- „ mel ex alto jecit, deinceps necessario labitur, nec retinere se po- „ test; tamen is libere non modo prosiluisse, sed porro etiam cade- „ re provolvique dicitur. Quae etiam in ea, de quibus nunc agi- „ mus, Auctoris nostri verba optime congruunt. Nam sequentem S. Augustini locum exponit: *Jam locus ille*, inquit, *ex libro tertio de libero Arbitrio etiam diligenter excuciendus est pro captu nostro*; „ non tibi, *ait cap. XIX.*, imputatur ad culpam, quod invitus igno- „ ras; sed quod negligis quaerere, quod ignoras: nec illud, quod „ vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. *Ante haec vero praemisit, quod ubique praesto sit, qui multis modis, & per creaturas vocet aversum, & doceat credentem &c.* quae verba prout omnes homines complectuntur, ait quidem infra, ad interiorem illam & efficacem vocationem, *qua operatur Deus in nobis velle & perficere*, neutiquam pertinere; sed referenda esse vel *ad exteriora quaedam beneficia & dona*, vel etiam *ad* interiores *aliquas inspirationes*: Unde satis perspicue ac luculenter adparet, ignorantiam, atque necessitatem, ex quibus, post S. Augustinum ait Sotus, quaedam peccata derivari, voluntarias esse, atque excuti potuisse partim naturali lumine & exterioribus adjumentis, partim etiam interioribus inspirationibus: Ac propterea recte meritoque concludit: *Satis se ex mente Augustini ostendisse, nullum peccantem libero arbitrio carere; imo certe implicare contradictionem, peccare aliquem, & non libero arbitrio agere*.

Denique est illud etiam observandum; pauca illa verba, quae ex Soto Duchesnius refert; dum tamen, ut mox iterum laudandus

Petavius ait, juxta *communem sermonis humani consuetudinem* accipiantur, satis ostendere, simplicem necessitatem, quae voluntatem ad unum aliquod adpetendum adfigat, eripiatque potestatem oppositum eligendi, labefactare atque evertere arbitrii libertatem. Ait enim *necessitatem cogentem simpliciter* auferre quidem liberum arbitrium; at non eam, qua voluntas trahitur ad consensum. Porro, uti scite observat Petavius (*a*) „ stulte faciunt, & communem sermo-
„ nis humani consuetudinem ignorant, qui ex eo, quod apud Ber-
„ nardum, aliosque Patres nomina haec, *invitum*, *coactum*, *vio-*
„ *lentum*, *compulsum*, *extortum*, & hujus generis alia legunt, op-
„ ponique vident *libero ac voluntario consensui*, *vel arbitrio libero*:
„ statim ad absolutam illam, & peremtricem libertatis omnis neces-
„ sitatem, ac violentiam animo recurrunt: quae nec unquam fuit,
„ nec erit in rerum natura. Ridicule, inquam, & satis proterve
„ solam istam necessitatem commemorari, opponique libertati adse-
„ runt: non enim quod invitos nos & coactos facere, aut violenter
„ extorqueri a nobis dicimus; id statim intelligi volumus nullo vo-
„ luntatis impulsu agere. Ut ille apud Poetam (*a*)
„ *Invitus*, *Regina*, *tuo de littore cessi*.
„ non utique nisi volens, & libere: cum manere utique posset, sol-
„ vit ex Africa: sed hoc non sponte ait fecisse: ut ipse alibi di-
„ cit (*b*)
„ *Italiam non sponte sequor*.
„ Ergo & libere profectus est, quia manere poterat: & tamen non
„ sponte, quia coactus et impulsus abiit. Distant igitur haec duo,
„ *libere* aliquid velle, & *sponte* velle: neque quidquid sponte fit, id
„ libere fit, aut vicissim..... atque ex scripturis ostendimus, nun-
„ quam genus illud necessitatis ac coactionis accommodari posse ad
„ ea loca, in quibus vi aliquid extortum, ac contra voluntatem factum
„ legitur. Sed nec apud Patres, aut alios etiam profanos Scriptores:
„ ac denique inauditum, stupidum, & ab usu hominum, & com-
„ munis more sermonis alienum id esse commentum: Quum volun-
„ tati quasi contrarium usurpatur violentum & coactum, ibi locum
„ non

(a) Ubi sup. lib. 5. cap. 5. 6. 8.
(a) Aeneid. lib. 6. (b) Ibid. lib. 4.

„ non esse libertati, sed vim ac necessitatem intelligi debere, quae
„ libero arbitrio sola sic adversetur, ut ejus motum omnem funditus
„ exstinguat.

Itaque *coacti* seu *coactionis* nomine, quum de voluntate agitur, ex communi sermonis humani consuetudine, adeo non intelligitur vis, quae motum ipsum, & actum, ut vocant, *elicitum* voluntatis evellat; cujusmodi in voluntatem cadere violentiam, impossibile est, & ad contradictionem implicatum; sed neque vis ac necessitas intelligitur, quae voluntati ac libero arbitrio utriuslibet adsciscendi potestatem, ac libertatem eripiat: sed illud coacti ac reluctantes facere ac velle etiam dicimur, quod libero quidem, at non libenti ac propenso animo facimus. Recte proinde Sotus, quum vim seu necessitatem significare vellet, quae liberum auferat arbitrium, non modo cogentem, sed *cogentem simpliciter* appellavit. At quum necessitatem cogentem *simpliciter* audimus, non statim animo recurrendum est ad genus illud violentae necessitatis, quod voluntati sic adversatur, ut ejus motum omnem, & interiorem impulsum funditus exstinguat. Id enim, Petavio teste, inauditum esset, stupidum, & ab usu hominum, & communis more sermonis alienum commentum: sed ut *coactum* dicitur, quod voluntatem libertate sua non penitus exuit, sed aliquid ex ea detrahit: ita *coactum seu cogens simpliciter* illud intelligendum est, quod voluntatem ad unum prosequendum sic adfigeret atque determinaret, ut alterius eligendi potestatem eriperet. De hac ergo coactione, quae non spontaneum voluntatis motum & impulsum, sed potestatis indifferentiam exscinderet, ait Sotus, quod liberum auferret voluntatis arbitrium; quod sane Jansenianae caussae jugulum petit. Quare quum huic necessitati, libertati voluntatis infensae, aliam opponit, *trahentem*, ut ait, *ad consensum*, nec penitus libertatis inimicam; non ea profecto hoc potest nomine intelligi, quae potestatem & indeterminationem adimat ad opposita; sed quae voluntatem in unam partem sic deprimat, atque inclinet, ut quamvis absolute reluctari possit, & in contrarium niti; hoc tamen factura non sit: quae *moralis* necessitas Petavio ac ceteris Theologis dicitur; & quomodo cum libertate consistat, jam supra expositum est.

ARTICULUS QUARTUS.

De vi, ac pretio bonorum operum, quae fidem, aut justificationem praecedunt.

§. I.

An Sotus negaverit; bona opera, quae justificationem praecedunt; ad illam disponere.

ANtequam hanc de vi, & pretio bonorum operum, quae fidem, aut justificationem praecedunt, disputationem adgrediar; rogandus mihi Augustini vocibus Deus est: [*a*] O *vita pauperum, Deus meus, in cujus sinu non est contradictio, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter*, aut saltem non ultra modum lacessito atque exulcerato animo, *feram* impositam clarissimo viro, ac prestantissimo Theologo apprimeque Catholico turpissimae calumniae personam: vellem quidem alio uti nomine, sed crassae pingues, & apertae calumniae quo alio nomine appellandae sunt? Hujus vero generis esse, quas repellere ac diluere praesenti Articulo institui; adeo constans atque explorata res est, ut ipse calumniator haberi velim, nisi apertissime demonstravero.

Primam hanc itaque quaestionem propono: An Sotus agnoverit, bona opera, quae justificationem praecedunt, ad eam disponere. Inficiatur Duchesnius: at ego plane ac constanter adfirmo. Sed prius instructam ab Adversario in Dominicanum Theologum accusationem audiamus; ac deinde objectum crimen diluemus. *Quod reliquum est*, inquit (*a*), *Epistolae seu Tractatus Dilingani Theologi, refu-*

(a) Lib. 12. Confess. cap. 25.

(a) Le reste du Traite du Theologien de dilingue, est une refutation des sentimens du Chancelier de Louuain. Celui-ci avoit enseigné dans sa Lettre qu'il faut reconnoitre qu'il y a de saintes dispositions qui precedent la justification, & qu'il importoit peu qu'on leur donnat ou qu'on leur refusat le nom de merites de congruité. Soto n'est pas de son sentiment: Il pretend qu'avant la grace de justification, il n' y a en nous que des merites de damnation: *Ante ipsam &c.* cette décision est bien dure. *Pag.* 15.

futatio est opinionum Cancellarii Lovaniensis. Hic sua in Epistola docuerat, admittendas esse pias dispositiones, quae justificationem praecedant; ac parum referre, an merita ex congruo dicerentur, an eis ejusmodi nomen denegaretur. Sotus hanc non adprobat opinionem: sed ante gratiam justificantem nihil esse in nobis contendit nisi merita damnationis: „ Ante ipsam, qua ex peccatoribus efficimur justi, „ nulla praecedere merita nisi damnationis. *Hoc decretum nimis asperum ac durum est.* Opinio ergo Tapperi, quae Soto, Duchesnio teste, neutiquam probabatur; pias quasdam dispositiones justificationem praecedere sustinebat: sed ad fidei Catholicae summam minime pertinere, an essent meriti *ex congruo* nomine decorandae. Haec, inquam, Ruardi opinio, quam Sotus repudiabat, qui proinde, si Duchesnium audimus, nullas ejusmodi dispositiones, quae ad gratiam justificantem paullatim animum praeparent, agnoscebat. Nam praeterquam quod generatim Duchesnius ait, aliam fuisse Soti ac Ruardi opinionem; quod ad quaestionem adtinet de nomine meriti *ex congruo*, eam non magni esse momenti, Soto cum Ruardo aperte conveniebat. Ut enim Ruardus scripserat: (*a*) *An autem hae praeparationes possint dici meritum congrui, non est quaestio fidei*; ita Sotus respondit: (*b*) *Quod ais de merito congrui, nomen non puto curandum multum*. Divortium igitur opinionum Sotum inter atque Tapperum & cardo disputationis, Duchesnio Auctore, potissimum in rebus ipsis, non in vocibus ac nomine vertebatur, Ruardo adfirmante, dari bona opera, quae ad justificantem disponant; Soto vero id inficiante, ac sola ante gratiam justificantem agnoscente opera tenebrarum, & damnationis merita. Hanc certe de Soti doctrina opinionem ingerunt Duchesnii verba: & si aliud voluit, aut in alium accipi sensum, aliter illi scribendum fuit, ac narratio aliter temperanda.

Jam vero, quae re ipsa de hac re Dominicano Theologo sederit opinio, perspiciendum est: verum non est heic admodum laborandum. Est enim Auctoris nostri clara atque explorata sententia, bona opera & praecedere justificationem, & ad illam disponere. Quod tanquam Ecclesiae dogma defendit Lutheranis exosum, & ab eis pertina-

(a) Col. 10. (b) Col. 55.

tinaciter atque haeretico animo oppugnatum: *Negant*, inquit (a), *Lutherani duo illa priora, esse scilicet aliquod bonum opus, & per illud nos praeparari.* Et paullo post ait, quod haec *sententia ab Haereticis pertinaciter haeretico animo negatur. Nam*, subjungit, *ex proxime dictis satis patet, Deum boni aliquid inspirare cordibus peccatorum, ipsosque sic a Deo motos actum timoris, aut spei, sive poenitentiae producere. Unde quamquam in Colloquio illo Ratisbonensi anni 46. & in Libello de eo edito a Bucero, nulla ratione Haeretici voluerunt hoc concedere: sed ut ex ipso Buceri Libello patet, non possunt negare, Deum nonnunquam paullatim perducere peccatorem ad justitiam, ipsumque ita eum praeparare: quod in Augustino ille latissime ex Confessionibus ejus ostendit: quo concesso, mirandum est, quibus technis elabi conentur, clamantes contra Scripturam esse; dicere, aliquod bonum opus a peccatore fieri; sed bene, inquit ipse, Deum in illo efficere, & Deum illum praeparare: quo nihil amplius nostra sententia adserit: Deus operatur in illo, & praeparat illum, sed per illum ipsum; non enim illa opera ullus vere dicere potest, ab illo non esse.* Quae ubi variis S. Augustini testimoniis, & ab eo adlatis sacrarum literarum auctoritatibus confirmavit, subjungit: *Hoc dogma est ut Ecclesiasticum adserendum: Fieri a peccatoribus bona quaedam opera, quibus praeparantur ad gratiam, non sine Dei gratuito auxilio: quod nihil detrahit gratiae, imo magis commendat: quod & consolatur infirmorum mentes, & ad bene operandum excitat, & certe praeter controversiam a Patribus adseritur.* Quod deinceps ab Haereticorum objectis vindicat, ac tandem concludit: *Sunt igitur & bona opera ante remissionem peccati, & praeparamur per illa.* Quod etiam tamquam Fidei Catholicae dogma tuetur in Adsertione ejusdem Catholicae Fidei adversus Confessionem, Wirtembergensis Ducis nomine, Tridentinae Synodo oblatam: *Quidquid vero*, inquit (b), *ante remissum peccatum in nobis est doloris & poenitudinis, illud praevia quaedam dispositio est & remota, qua paullatim gratia hominem ducit ad Deum.*

Qui haec scribit ac docet, videturne tibi, Duchesni, bona ope-

(a) De Institut. Sacerdot. Lect. 9.
(q) In Not. ad Tit. de Contrit. n. 3.

opera non agnoscere, quae justificationem praecedant, ad eamque peccatorem disponant? Sed nos, inquis, agimus de Epistola Soti ad Ruardum; haec vero ex aliis ejus Operibus excerpta sunt. Quid ergo contrariam ne in illa Epistola doctrinam tenuit? imo vero eamdem & constantissime adseruit. Quid enim, ut alia omittam inferius referenda; quid, inquam, haec sibi volunt? (a) *Ita ut aperte dicamus, omnem bonam cogitationem, timorem, desiderium, propositum; sive tam perfecta, ut jam justificemur; sive minora, ut tantum praeparemur & disponamur, Dei esse, & nostra simul*. Sunt ergo, Auctore Soto in hac ipsa ad Ruardum Epistola, pia deside. ria, aliique pii animi motus; & perfecti, qui proxime ad justificationem disponunt, & cum gratia justificante intime conjunguntur; sunt & quidam minus perfecti, qui non sunt nisi remotae dipositiones, ac propterea gratiae sanctificantis inspirationem antevertunt. Non enim momento temporis tantum opus absolvitur: sed quemadmodum mulier, ut eleganter cum S. Augustino Sotus observat; prius, suscepto semine, fetum concipit rudem & informem ac tempo. re maturandum, postmodum vero perfectum ac formatum partum effundit: sic peccatoris animus, suscepto divinae gratiae semine, primum conversionis opus, & novum vitae genus inchoat, ac veluti concipit; ac deinde, divino pariter adspirante numine, perficit, & ad maturitatem perducit: ,,*Interest*, inquit (b), *quibus articulis*
,, *temporum, vel celebrationibus sacramentorum, gratia plenior in-*
,, *fundatur*: Et postea: *Fiunt ergo inchoationes quaedam fidei con-*
,, *ceptionibus similes; non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus*
,, *est: quorum tamen nihil sine gratia & misericordia Dei; quam*
,, *opera, si qua sunt bona, consequuntur, non praecedunt*.

§. II.

(a) Col. 41.
(b) Lib. 1. quaest. 2. ad simplician. apud Sotum ibid.

§. II.

De merito bonorum operum, quae justificationem praeveniunt, quae fuerit Soti sententia.

RUardus Tapperus, ut praecedente §. dictum est, ad Sotum scripserat; quod in peccatoribus dum bona admittantur opera, quibus ad justificationem praeparantur; non admodum refert, an merita *ex congruo* ejusmodi bona opera nuncupentur. Duchesnius universe ac generatim ait, aliam Soti fuisse sententiam. Num res ita se habeat, praesertim quod ad praedictum meritum adtinet, videamus.

Postquam loco superius laudato ex Tractatu de Sacerdotum Institutione Sotus ostendit, bona quaedam opera & justificationem praecedere, & ad eam peccatoris animum praeparare; postremo *an* etiam *meritoria sint justitiae ipsius*, disputandum adgreditur. Sic vero negantis & adfirmantis opinionis momenta librat, & inter utramque sententiam suspensus & incertus haeret; ut in quam magis propendeat, vix agnosci possit: *Sunt igitur*, inquit, *& bona opera ante remissionem peccati, & praeparamur per illa. Jam vero, an aliqua ratione meritoria sint justificationis, minus est certum, & minus necessarium: quare mallem hoc Haereticis concedi: quod videtur etiam Augustinus frequenter dicere; & tribuitur etiam haec sententia B. Thomae. Tamen multi Pii contrarium sentiunt & verius & utilius conscientiis. De quo, ut intelligi possit, breviter haec notentur. Primum, ante plenam justificationem semper voluntatem, qua commissum est peccatum, permanere Deo ingratam, sed non semper aequalem, verum remissiorem nonnunquam & minorem, & ideo minus ingratam: quod ipsum est, nonnihil jam accessisse ad Deum, & recessisse a peccato. Secundum, semper ante justificationem, voluntatem illam, qua peccatum est, fortiorem esse, & praevalere alteri, qua bonum aliquod orationis &c. fit. Propter hoc itaque ultimum Augustinus clamat, ante remissum peccatum semper esse*

esse mala merita, imo nulla merita, nisi damnationis. Ita Psalm. 31:
„ Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur
„ opera tua, inveniuntur mala: si quod debetur operibus, Deus red-
„ deret, utique damnaret: *stipendium enim peccati mors.* Malis ope-
„ ribus quid debetur, nisi damnatio? *Et super Johannem in illa ver-*
„ *ba:* De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia &c.
„ *post multa de hac re:* Hanc ergo, *inquit*, accepit gratiam primam
„ peccator. ut ejus peccata dimitterentur, Quid meruit? Interro-
„ get justitiam, invenit poenam. *Cui consonat id, quod superius cita-*
„ *vimus ex quarto libro contra duas Epistolas Pelagianorum:* Reddun-
„ tur peccatoribus bona pro malis. *Itaque si utrumque consideremus in peccatore incipiente jam ad Deum redire, quidquid boni est, minus est, minus amatur ab eo, quam peccatum odio habeatur: magis Deus odit peccatum in illo, quam amet illa alia; quia & ipse peccator magis amat peccatum, quando adhuc voluntate in eo manet, quam salutem, pro qua etiam orat. Nam si non ita esset, sed fortior esset voluntas gratiae, jam & ille non amaret peccatum, & remissum esset ei. Itaque si status ipse consideretur, magis provocat iram, & magis meretur iram, quam misericordiam.* En quo sensu voluit Sotus intelligi, non praecedere in homine gratiam justificantem nisi merita damnationis; quod nimirum quaecumque bona opera justificationem praeveniunt, non eo pretio ac dignitate praedita sunt, ut hominem constituere possint absolute ac *simpliciter* Deo gratum, imo & ipsum a reatu aeternae damnationis absolvere. quod ipsum paullo inferius sequentibus verbis adhuc luculentius declarat: *Id certum habeamus, peccatorem, quamdiu in peccato est, magis dignum esse damnatione, quam venia: & propter hoc, ipsum in se consideratum, nulla ratione mereri, nisi damnationem.* Itaque non ipsa quaecumque opera ex peccatore proficiscuntur, Sotus merita damnationis appellat; sed ipsum peccatorem adserit, non habere nisi merita damnationis; quoniam & ipsa bona opera & laude digna, quae peccator adgreditur; quamquam Deus adprobet, & grata habeat, attamen aut nullo modo (si de merito juxta propriam notionem & circumscripte loqui velimus) aut non *simpliciter*, ut ajunt, & absolute justificationis gratiam promerentur. Quod in Catholica doctrina adeo ob-

vium ac pervulgatum est; ut quamquam Sotus mentem suam, quod adtinet ad commendationem bonorum operum, quae peccator divina gratia excitatus agere potest, & quandoque agit, non satis aperuisset, haud aliud possemus de piissimo atque optimo Viro, ac praestantissimo & summi nominis Theologo nisi temere judicare. At Sotus suum de his rebus sensum adhuc clariore in lumine collocare pergit: quare superioribus haec statim verba subjungit.

Verum quia bonum suum, quod scilicet Deus operatur in illo, & quo ipsum praeparat, non est dubitandum, Deum aspicere in ipso, sane, & catholice putamus esse dicendum, Deum respicere bona illa ante justificationem. Quid enim non respiciat dona sua in homine? imo magis, quam ipsa opera mala: Aspice, *inquit*, in me. *Et alibi*: Averte faciem tuam a peccatis meis. *Et illud*: Reminiscere miserationum tuarum; *quod de ipsa gratia, quam Deus in nobis operatur, intelligi potest, quando incipit nos praeparare. Et statim sequitur*: Delicta juventutis meae ne memineris. *Dicamus ergo, Deum illa aspicere; & propter illa, quae sua magis sunt, quam peccatoris, illius misereri. Haec quidem juxta sanam doctrinam*. Potuitne de bonis operibus, quae justificationem praecedunt, & a peccatoribus fiunt quidquam magnificentius praedicari, quam quod hoc loco ait Sotus; magis ad illa Deum, ut bonitatis suae ac misericordiae dona respicere, ut peccatori ex sua immensa benignitate parcat; quam ad praeterita scelera, ut ex sua justitia in ipsum animadvertat? Atqui nullum esse Theologum existimo, qui non agnoscat; quod dum bona opera, quae a peccatore ex divinae inspirationis impulsu peraguntur, ad gratiam sanctificantem disponere; Deum ad illa respicere, eisque ad misericordiam adlici, & inflecti, concedatur; quod reliquum est disputationis, fidei christianae summam nullo modo adtingere, ac fere in vocibus, & nominum usu, ac notione versari. Re enim omnes conveniunt, sed vocibus differunt; quod harum vocum, *meritum ex congruo*, prout ad bona illa opera referuntur, haud fixa omnino apud Theologos ac definita sit notio. Quare haud immerito ad praecedentia haec Auctor noster adjungit.

An vero etiam per illa opera ex parte aliqua mereri possit justificatio, vel secundum quamdam congruitatem; satis utraque pars sine ul-

ullo periculo affirmari potest. Certe Augustinus in Epistola illa ad Sixtum (a) *meritum videtur asserere. Sic enim inquit*: Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito fidei est, si fides hanc impetrat: Nec enim nullum est meritum fidei, qua ille dicebat ,, Deus ,, propitius esto mihi peccatori. *Dixit itaque* meritum, *lenivit addito vocabulo* (aliquo). *Sit itaque meritum aliquod, non quale in justificatis jam est ad aeternam vitam; idque si cui ita placet, & sibi videtur Dei misericordiam commendare. Illud enim meritum divinae gratiae opus est, nondum quidem justificantis, sed praeparantis. Nec ab hoc puto B. Thomae sensum loco citato abhorrere..... In hac itaque quaestione omnes conamur, cuncta tribuere gratiae, & tribuimus quidem. Sed qui plus putant, divinae gratiae tribui, illud qualecumque meritum ponentes; quod satis rationabile est; non sunt arguendi. Nec è contrario, qui volunt, peccatori sua demerita decantatissima esse, etiam non sunt reprehendendi: modo eis concedamus, peccatori nullum bonum gratiae debitum esse, & auferamus omnem suorum operum fiduciam; sic tamen ut divinum erga se favorem agnoscat, & veneretur*. Viden, ut in omnibus cum Ruardo, aliisque Theologis Sotus conveniat? Convenit in agnoscendis piis dispositionibus, quae gratiam justificantem antevertant. Convenit in eo, quod bonis piisve operibus impiorum ad novis eos beneficiis cumulandos Dei bonitas inflectatur. Denique etiam in eo convenit, quod possint eadem bona opera meritum *ex congruo* absque ullo Fidei discrimine nuncupari.

Haec vero tria paucioribus quidem, sed non minus apertis, ac perspicuis verbis complexus est loco superius laudato ex Adsertione Catholicae fidei adversus Confessionem Wirtembergensem. Nam postquam dixit: *Quidquid vero ante remissum peccatum in nobis est doloris & poenitudinis, illud praevia quaedam dispositio est, & remota, qua paullatim gratia hominem ducit ad Deum*; quod ad primum pertinet, adjungit: *Quod vero nonnulli asserant meritum quoddam deficiens quidem, & secundum quamdam dumtaxat congruitatem, quo divinae bonitati congruit, quod coepit in nobis perficere, &* bo-

(a) Epist. 194. al. 105.

homini conanti ad se redire manum praebere ; non rejicimus . Quamquam non minus placet bene consideranti rem , & doctrinam Patrum, ante remissum peccatum , nullum esse aliud meritum , quam damnationis , propter permanentem adhuc in eo affectum peccati . En iterum quo sensu docuit Sotus, non praecedere in impio remissionem peccati nisi merita damnationis:Non enim bona ipsa opera,quae divina gratia incitatus,& impulsus peccator quandoque agit,merita damnationis vocavit.Absit.Sed quoniam in ejusmodi bona opera propria meriti notio minus congruit;scelera vero,quae admittunt impii, aut quibus adhuc adfectu inhaerent , aeternam proprie damnationem merentur; ideo consequens est , ut quamvis sint in peccatoribus aliqua bona opera , quibus ad justificationem praeparantur , ac Dei bonitatem adliciunt; proprie tamen , & quod ad meriti nomen adtinet , in eis non sint, nisi merita damnationis : quo certe Sotus omnem illius decreti , quod Duchesnius adtulit , duritiem , & asperitatem emollivit .

Quoniam vero haec ex aliis Soti libris decerpta sunt ; quid in Epistola ad Ruardum , in quam Duchesnius censuram exercuit;quid, inquam , in ea Epistola Dominicanus Theologus senserit , inspiciamus . In ea Sotus sui similis , sibique constans , quod in aliis operibus docuerat , docere pergit : nisi quod apertius in eam opinionem inclinat , quae meriti nomen piis impiorum operibus adimebat ; & vehementius rationes urget , quibus in hanc partem impellebatur . *Quod ais de merito congrui , nomen non puto curandum multum .* Itaque non omnino abnuit, quin nomen meriti piis illis operibus tribuatur ; hanc tamen conditionem adjungit ; ut *diserte concedatur , gratia nos absque ullo merito justificari.* Porro id jure optimo adjunctum est : quoniam id exprese Apostolus docet ; cujus verba paucis ante annis Concilium Tridentinum sic fuerat interpretatum : (a) *Quum vero Apostolus dicit , justificari hominem per fidem , & gratis ; ea verba in eo sensu intelligenda sunt , quem perpetuus* Ecclesiae Catholicae *consensus tenuit , & expressit : ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur , quia fides est humanae salutis initium &c. Gratis autem justificari , ideo dicamur , quia nihil eorum, quae justificationem praece-*

(a) Sess.6. ca p.8.

cedunt, *sive fides*, *sive opera ipsam justificationis gratiam promereatur*. *Si enim gratia est*, *jam non ex operibus*: „ Alioquin, *ut idem* „ *Apostolus inquit*, gratia jam non est gratia. Merito ergo Sotus, bona opera, quae justificationem praecedunt, meriti appellatione donari permittit; modo tamen diserte concedatur, gratia nos absque ullo merito justificari; id enim nuper Tridentina Synodo, juxta Apostolum, sancitum fuerat. Eodem quoque pertinent, quae statim sequentibus verbis adjungit: *Imo ante ipsam*, *qua ex peccatoribus efficimur justi*, *nulla praecedere merita*, *nisi damnationis*: Invenit, *inquit Augustinus*, peccator ante gratiam non se dignum fuisse, nisi supplicio: *Tractatu tertio super Johannem*. Quibus verbis, ut jam luculenter ostensum est, non id profecto vult, quod suis Duchesnius Lectoribus persuasum vellet; nulla bona opera justificationem antevertere, ad eamque disponere; sed proprie, ac nulla adjecta limitatione, merita vocanda non esse; ac proinde, quod ad vim nominis adtinet, non esse in impio, nisi merita damnationis.

Alia ratio, quae Sotum ad abnuendum bonis impiorum operibus meriti vocabulum inclinabat, ex auctoritate S. Thomae proficiscebatur, qui Prim. Sec. quaest. 114. art. 5. & 6. *ubi*, inquit Sotus, *illius sententia* imprimis *quaerenda est*; *docet*, *nec merito congrui aliquam* (f. aliquem) *primam gratiam mereri*. Quamquam enim id S. Thomas conceptis verbis non doceat: attamen, ut Sotus observat, *congruitatem meriti ponit S.* Doctor, *secundum quamdam amicitiam*, *& in eo*, *qui est in gratia*; *vel ad aliorum utilitatem*, *vel ad propriam*; *in his*, *quae sub merito proprie dicto non cadunt*, *ut perseverantia*. „ Quia enim homo in gratia constitutus, *inquit Sanctus Thomas*, implet Dei voluntatem, congruum est secundum „ amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in „ salvatione alterius. Quum haec ergo amicitiae congruitas, unde meritum *ex congruo* nuncupatur, in impio desideretur, qui divinae amicitiae jura violavit, & offensam Majestati inlatam nondum reparavit; idcirco Sotus juxta hanc meriti *ex congruo* ideam, ex S. Thomae verbis efflorescentem, meriti nomen piis impiorum operibus adimendum existimabat.

Tertiam Soto rationem suppeditabat inficiale, seu negans argu-

mentum, quod ex Patrum silentio ducebatur; qui ubi de justificationis gratia loquuti sunt, meriti vocabulo prorsus abstinuerunt: *Et certe nescio*, inquit Sotus, *quare doctrina haec recens, non accepta a Patribus, non sit rejicienda potius, quam defendenda, vel extendenda. Illi docuerunt, quae sufficere nobis debent*. Patrum nomine existimo Tridentinos indigitari, qui bona impiorum opera dispositiones quidem appellaverunt, sed *meriti* nomine neutiquam decorarunt. Quin & Dominicus Soto testis oculatus narrat (*a*): „ Fautores meriti de „ congruo multorum dierum disputationibus in S. Tridentina Sy„ nodo contendisse, ut in Canone poneretur, Justificationem fieri „ nullis nostris *proprie* meritis praecedentibus; at eos id neuti„ quam obtinere potuisse. Qua in re, ut idem Auctor observat, Tridentini veterum Patrum vestigiis institerunt, qui, inquit, „ in „ Concilio Palaestino, Milevitano, & Arausicano ab omni nomina„ tione meriti ante gratiam exhorruerunt.

Postremo, ut a meriti nomine piis illis operibus adjungendo, abstineri cuperet, hanc Sotus rationem habebat, quod videret, quosdam Theologos ferri, plusquam par erat, ad ejusmodi peccatorum bona opera, & qualecumque meritum praedicandum. Adfert(*b*) in hujusce rei probationem, & argumentum cujusdam, ut ait, Monachi Hispani (Vega is erat) exemplum, qui bona illa opera *meritum simpliciter* appellare non dubitaverat: *Scripsit quidam Monachus Hispanus, de quo in superiori Epistola, in Concilio Tridentino Opusculum* de Justificatione, Gratia, & meritis, *erudite certe. In eo ita inquit concludens*: Itaque respectu gratiae gratum facientis datur peccatoribus fidelibus meritum ex congruo, quod & meritum simpliciter dici potest. *Quod ille dicit propter promissiones factas orantibus. Ecce quomodo proceditur in his, & quomodo quotidie extenditur novitas haec: unde magis offenduntur Haeretici; quanto vero fructu, non video*. Id scilicet haud raro accidit; ut dum Catholici Scriptores vehementiori stylo adversus grassantes haereses invehuntur, circumscriptos veritati terminos transiliant, & immodico alterius erroris odio ad alium extreme oppositum propius accedere videantur.

(a) 4. Sent. dist. 14. quaest. 2. art. 5.
(b) Epist. 2. col. 65.

tur. Quod Catholicae caussae, ut optime Sotus observat, plurimum importare incommodi consuevit, nil vero commodi, & utilitatis adferre.

§. III.

An Sotus Baio ansam dederit ad docendum nonam, inter confixas ab Accademia Parisiensi, propositionem: „ Haereticus, Schismaticus, & „ homo non pure infidelis meretur „ quandoque de condigno vitam „ aeternam.

Mirum profecto videri debet, quod ejusmodi hoc loco quaestionem excitemus. Si enim Sotus, auctore Duchesnio, ante justificationem non agnovit in homine impio, nisi merita damnationis; qui fieri potest, ut ansam Baio dederit ad docendum; Haereticum &c. mereri quandoque de condigno vitam aeternam? At si Duchesnio pronas, & obsequentes aures praebeamus, rem ita se habuisse animum inducere debemus, ut credat. Quo vero pacto id ex Soti Doctrina extundat, intelligamus: *Baius*, inquit (*a*), *in hunc errorem incidit, quoniam cum Soto quodcumque ex congruo, seu congruitatis meritum rejiciebat: legebat autem in Augustino, & Patribus, quaedam esse merita; quae justificationem praecedunt: unde ille efficiebat, merita ejusmodi, merita esse* ex condigno, *atque illis aeternam vitam* ex condigno *haereticum &c. promereri*. Papae! egregiam conjecturam! Id scilicet est, errorum consecutiones omnes probe tenere; sciteque, ac solerter extreme opposita dogmata in unum aliquod pravae doctrinae corpus compingere. Quod certe non omnibus datum est, sed iis tantum, qui pari ingenii acumine polleant. Sed haec missa faciamus, & rem serio consideremus: ac primo illius argumenti duo priora pronunciata, deinde consecutionem

(a) Bajus est tombé dans cette erreur en rejettant avec Soto tout mérite de congruité; & en lisant clairement dans S. Augustin & les Peres, qu' il ya des mérites qui precedent la justification. D'ou il a conclu que c'étoient des mérites de condignité, & des mérites de la vie éternelle. *pag. 36.*

nem expendamus. Baius, inquit Historicus, in hunc errorem incidit, quoniam hinc omne meritum *ex congruo* cum Soto repudiavit; inde vero merita, quae justificationem praeveniunt, perspicue in Augustino, & Patribus animadvertit. Quod ad priorem propositionem adtinet; falsum omnino est, quod generatim adserirur, quod omne meritum *ex congruo* Sotus rejecerit. Nam, ut ex praecedenti §. compertum est, hoc meriti genus, cum Angelico Praeceptore, in hominibus justis agnovit. Qnod si reponat Hjstoricus, de merito id esse intelligendum, quod justificationem praecedat; falsum perinde est, ut jam pluribus demonstravimus, quod Sotus illud omnino repudiarit: Re enim cum ceteris Theologis conveniebat: Sed quod ad nomen attinet, dubius, & incertus haerebat; quoniam non omnino fixa videretur, ac definita illius nominis ratio. Denique Soto cum Ruardo conveniebat, hanc quaesttonem, quae non in rebus, sed in usu nominis versabatur, ad fidei summam minime pertinere. De altera nunc propositione videamus.

Merita, inquit, *quae justificationem praecedunt, perspicue Baius in Augustino, & Patribus animadvertit*. Non id profecto adeo perspicuum & exploratum. Nam etsi alicubi S. Augustinus, ut Soto etiam observatum est, aliquid meriti in fide, aliisque dispositionibus praecedentibus justificationem, agnoscere videatur: frequentius tamen, justificationem gratis omnino fieri, docet; gratiam esse omnino gratuitam; nulla eam merita praevenire; bona opera, hoc est, opera meritoria eam subsequi, non praecedere. Exponens „ illud Apostoli: „ Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, „ justificati gratis per sanguinem ipsius: *Quia gratis*, inquit (*a*), *ideo gratia. Non est enim gratia, si non gratuita: quia nihil boni ante feceramus, unde talia dona mereremur.... Nihil praecesserat in meritis nostris, nisi unde damnari deberemus..... nihil enim boni fecisti, & tamen tantum bonum accepisti &c.* Et alio in loco: (*b*) *Sed quia hoc ipsum, quod Deus justificat homines, nimis occulto judicio facit, quoniam gratuita gratia facit, non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia: ex hoc quippe incipiunt opera bona, ex quo justi-*

(a) Enarrat. 2. in Psalm. 18. n. 2.
(b) Epist. 140. al. 120. ad Honorat. cap. 30.

stificamur, non quia praecesserunt, justificamur &c. Et alibi inter justificationem & vitam aeternam hoc statuit discrimen; quod justificatio tantum est gratia; vita aeterna & merces, & gratia: [a] *Itaque, si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia, sine dubio & vita aeterna, quae bonae vitae redditur, Dei gratia est: & ipsa etiam gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est: haec autem, quae illi datur, quoniam praemium ejus est, gratia est pro gratia, tamquam merces pro justitia.* In his ergo, aliisque similibus auctoritatibus, quae apud Sanctum Doctorem satis frequentes occurrunt, perspicue docet Augustinus, justificationem impii nulla praecedere merita, sed gratis fieri, atque esse omnino gratuitam.

Sed alia tamen ejusdem S. Doctoris testimonia suppetunt, in quibus aliquid meriti piis illis adfectibus tribuit, quibus ad justitiam impius adspirat: ut in litteris ad Paulinum: [b] *Si quis autem dixerit, quod* gratiam bene operandi fides mereatur; *negare non possumus, imo vero gratissime confitemur.* Et infra: *Nec dicat sibi,* si ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur, quam donatur? *Non dicat ista homo fidelis, quia cum dixerit;* Ut merear justificationem, habeo fidem; *respondetur ei:* Quid enim habes, quod non accepisti? *Quum ergo fides impetrat justificationem ..... non gratiam Dei aliquid meriti praecedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Et ad Sixtum: (c) *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat:* Deus propitius esto mihi peccatori: *& descendit justificatus merito fidelis humilitatis,* quoniam qui se humiliat exaltabitur. *Restat igitur, ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium ...... non humano, quod isti extollunt, tribuamus arbitrio; nec ullis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quaecumque sunt merita; sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis, cogitamus.* Et infra: *Si enim di-*

(a) Lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 8.
(b) Epist: 186. al. 106. cap. 3.
(c) Epist. 194. al. 105. cap. 3.

sit gratia, & gratuitum Dei donum; quod profecto non esset, si priore illa meriti specie praecederetur; quae proprie talis est; aut si quodcumque illud meritum sit, non ex gratia, sed ex nativa operantis virtute, atque industria dimanaret. Hinc S. Augustinus in ipsa ad Paulinum Epistola, in qua illud qualecumque fidei meritum tribuit; attamen justificationis gratiam, meram esse gratiam, & nullo pacto debitam docet: *Quia si aliquid*, inquit (a), *boni operatur homo, ut gratiam mereatur; non ei merces imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Si autem credit in eum, qui justificat impium, ut deputetur fides eius ad justitiam* (Justus enim ex fide vivit) *profecto antequam gratia justificetur, id est, justus efficiatur, impius quid est nisi impius? quem si debitum sequeretur, quid ejus merito, nisi supplicium redderetur? Si ergo gratia, jam non ex operibus est: alioquin gratia, jam non est gratia. Operibus enim debitum redditur, gratia gratis datur, unde etiam nuncupatur*. At si aliquod meritum, quod proprie meritum nuncuparetur, aut quod ex nativa ipsius operantis virtute, & industria esset, gratiam justificationis praecederet; gratia justificans, ut jam dixi, ac deinceps amplius ostendam, mera non esset gratia.

Quaestionem hanc *esse fere de solo nomine*, haud immerito quidem etiam Bellarminus observat (b): *cum alioquin conveniat*, inquit, *inter omnes Catholicos dispositiones requiri, & non sola fide homines justificari*; attamen inficiari non possumus, videri nobis Synodum Tridentinam, ei magis opinioni favere, quae nullum proprie dictum & sic absolute vocandum ante justificationem in impio meritum agnoscit. Nam praeterquamquod, ut superiori §. observatum est, meriti nomine abstinuit, quum de actibus loqueretur, qui justificationem praeveniunt, eosque dispositiones, non merita nuncupavit; non ea ratione justificationem impii gratis juxta Apostolum fieri pronunciavit, quod ii pietatis actus, illudque aliquantulum meritum, ex mera gratia proficiscantur; sed *quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur*. Antea vero monuerat, hunc esse sensum, *quem de*

(a) Cap te secundo
(b) De Justificat. lib. 1. cap. 21.

illis Apostoli verbis, gratis justificari hominem, *perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit, & expressit*.

Respondet laudatus Eminentissimus Bellarminus, loqui Concilium Tridentinum de merito *ex condigno*: At nos loqui Synodum existimamus de quocumque merito, in quod propria meriti notio conveniat; quod scilicet aliquo ex parte operantis jure divinum munus debitum reddat; sive illud *ex condigno*, sive tantum *ex congruo* nominetur. Id vero satis aperte indicat ratio, quam statim Patres adjungunt ex ipso Apostolo derivatam: *Si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia*. At iis Apostoli verbis, veteres Ecclesiae Patres, ad quos Synodus provocat; ab iis actibus, qui gratiam justificationis praeveniunt, non modo meritum *ex condigno* remover senserunt, sed etiam meritum *ex congruo*. Non enim ut pluribus Petavius demonstrat, aliud meritum, quam *ex congruo* in illis actibus Semipelagiani constituerunt (*a*); quos tamen Patres iis potissimum, quae Tridentina Synodus adfert, Apostoli verbis adgressi sunt: atque irrito prorsus conatu, si eis verbis solum *ex condigno* meritum excludatur. Sed ut unde in hunc locum delapsi sumus, revertamur; constat ex dictis, non jure sibi Duchesnium sumere; Baïum perspicue merita, quae justificationem praecedunt, in Augustino & Patribus reperisse: nam ne hilum quidem in Tridentinis Patribus ejusmodi meritorum offendit; & Sanctus Augustinus quibusdam in locis juxta minus propriam hujusce vocabuli notionem loquutus est. Quare haud immerito Sotus merita, quae justificationem antevertant, non quidem omnino rejecit; sed inter negantem & adfirmantem opinionem suspensus & incertus haesit; atque id solum pronunciavit, non eam sibi videri hanc controversiam, in qua fides catholica & religio versetur. Quod etiam post Sotum Eminentissimo Bellarmino visum est. Sed utcumque sit de hac Soti sententia; quid inde Duchesnii opinione aptum connexumque sit, videamus.

Illâ, inquit, ansa Baïo data est ad docendum, quod quandoque impius aeternam vitam *ex condigno* promereri valeat. Cur vero

(a) Vid. lib. de Haeres. Pelag. &c. cap. 10. num. 11.

ro non inde potius Soti prudentiam Baïus imitari didicit, si tantum illius auctoritati deferebat? Quare cum Sotus circa illam de merito *ex congruo* controversiam dubius haereret, haud temere & ipse eadem dubitatione teneretur. Sed quod Baïus Soto magistro utens, ac totus ex ejus auctoritate pendens, adeo absonam, atque omnino alienam ex illa Soti opinione consecutionem derivarit; quis Duchesnio gratis id ac prorsus ad arbitrium adfirmanti credat? Dicam autem, quae reipsa Baïus illius adsertionis principia posuerit; tum vero facile intelliget Lector, cur Sotum, vel prorsus invitum ac repugnantem, tanto voluerit studio Duchesnius in ejusmodi erroris communionem vocare: sequentibus enim ille, de quo nunc agimus, error Baïi pronunciatis ac propositionibus nititur, ex quibus ejus Systema majori ex parte consurgit.

Primo, quod actus humani, qui sunt rectae rationi, & divinae legi conformes, *natura sua*, *naturali ordinatione*, *ex lege naturae*, *ex naturalis justitiae constitutione &c.*, sunt aeternae vitae meritorii. Id statuit Baïus Propositionibus, 2.4.5.6.11.13.15.

Secundo, Ad opus aeternae vitae meritorium non est necessaria gratia adoptionis. Id docet Baïus sequentibus propositionibus, 12. *Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni coelestis meritorium*. 13. *Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantum ex eo, quod sint conformia legi, quod que per ea praestatur obedientia legi*. Atque idem inculcat propositione 15. & propositione 17. iterum ait, *cum Pelagio* sentire, *qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum*. Eodemque pertinent propositiones 23. 24. 42. 67. 62. & 63.

Tertio, *Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia; non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac divinae naturae consors efficitur; ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit*. Proposit. 42. atque idem traditur propos. 69. Quar-

Quarto, *Caritas perfecta & sincera, quae est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in Poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum*. Proposit. 31. & 32. quo etiam revocari debent Propositiones 70. & 71.; Hinc vero infertur.

Quinto, *Quod in hominibus poenitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum: quae*, ut in alia propositione adferitur, *in Baptismi lavacro* a Catechumenis *demum percipitur*. Proposit. 43. & 33. Ex hoc vero sequitur, quod sequenti continetur propositione.

Sexto, *Opera Catechumenorum, ut fides, & poenitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae meritoria; quam vitam ipsi non consequentur Catechumeni, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur*. Proposit. 18.; Haec vero intelligi a nobis non possunt, nisi sciamus, qua in re juxta Baium peccatorum remissio posita sit. Quod sequentibus propositionibus declaratur.

Septimo, *In peccato duo sunt: actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad penam*. Proposit. 56.

Octavo, *Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu*. Proposit. 57. quo pertinet etiam sequens Propositio 58. *Peccator poenitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis; sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur*.

Haec itaque re ipsa sunt principia, ex quibus illa, de qua nunc agimus, Baii propositio fluit: *Haereticus, Schismaticus, & homo non pure infidelis meretur quandoque de condigno vitam aeternam*. In haeretico enim &c.; quemadmodum & in aliis peccatoribus, auctore Baio, transeunte actu peccati, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad poenam; quae non tollitur, nisi quum per Sacerdotum ministerium solvitur, & Ecclesiae reconciliatur. Ergo fieri optime po-

poteſt, quod antequam remiſſionem impetret peccatorum, poenitentiae, caritatis, aliarumque virtutum actus exprimat: qui quum ex natura ſua, & naturalis juſtitiae conſtitutione; non autem ob gratiam & ſpiritum adoptionis, & interioris hominis deificationem, qua ipſum dicimus *formaliter* juſtificari; aeternae vitae meritorii ſint: ſequitur, Haereticum poſſe quandoque *ex condigno* vitam aeternam promereri. Si ergo hujus haeretici conſectarii jure Ducheſnius reum peragere voluit Sotum; loca indicare debuit, in quibus quidquam praemiſſis adfine propoſitionibus Sotus docuerit, non antem illud obtorto collo ex ea Theologi noſtri opinione de merito *ex congruo* derivare.

Haud aegre tamen ex jam dictis Lector conjiciet, quare jure aut injuria, propenſa aut invita minerva vocandus Hiſtorico fuerit Sotus in hujus erroris ſocietatem. Scilicet ille tum generatim atque univerſe adſeruerat, (a) Soti doctrinam Baiano Syſtemati fundamenti loco fuiſſe: tum ſpeciatim [b], octodecim propoſitiones, quas anno 1650. Pariſienſis Academia confixit, & ad quas ceterae Baii velut ad totidem capita revocari poſſunt, ex Soto fuiſſe deſcriptas. Quapropter quum illa, de qua nunc agimus, Baii Heretica opinio; ex tot aliis apta connexaque ſit, ejus quoquomodo reus agendus erat Sotus: alioquin Baiani Syſtematis tertia pars, ſcilicet viginti ſex propoſitiones, quot nempe paullo ante indicavimus, ad Sotum nullo pacto pertineret, eique omnino abjudicanda fuiſſet. Uti reapſe abjudicandam eſſe, non frigidis ac detortis conjecturis, ſed perſpicuis, ac Sole ipſo lucidioribus teſtimoniis breviter jam demonſtrandum adgredior. Id vero ut ipſis oculis pateat, hinc Baii propoſitiones, illinc oppoſitam e regione Soti doctrinam exhibebo.

Bajus.	*Sotus.*
Opus bonum ex natura ſua eſt vitae aeternae meritorium: Propoſit. 2. 4. 5. 6. 11. 13. 15.	Ad haec verba D. Gregorii, (c) quae citat Confeſſio Wirtembergenſis (d): *Non ergo in fletibus, non*

(a) Il fit (*Baius*) de ces opinions (*de Pierre Soto*) le fond de ſon Syſteme. *Pag.* 18.
(b) Elle découvre (*Cenſura Pariſienſis*) les prémieres erreurs du Parti najſſant, en quoi il a copié Pierre Soto. *pag.* 28.
(c) Lib. 1. in Ezech. Hom. 7. (d) Ad Tit. de bonis Operib.

non in actibus nostris, sed in Advocati nostri allegatione, confidamus; observat Sotus. Hoc ideo (*dictum esse*) quia nec fletus nostri, nec alia quaevis opera, quicquam sunt, nisi praecesserit nostri Advocati allegatio. Ex meritis itaque Christi (*non itaque tantum ex natura sua aut naturali lege*) illa prosunt; ideo illis fidimus. *Et paullo post quaedam exponens S. Bernardi verba in eadem Confessione citata*, Gratis, *ait*, dari aeternam vitam, primo quia Deus, *inquit*, nulli debitor est. Secundo gratis, comparatione ejus quod a nobis pro aeterna remuneratione fit, UT A NOBIS EST. Tertio gratis, quia omnia merita nostra dona ejus sunt. Quum igitur gratis illa dentur, in illis similiter ipsa beatitudo gratis datur. Haec omnia B. Bernardus eo loco explicat (a): sic enim dicit. *Nec enim talia sunt merita ut propter ea vita aeterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret*. Ecce primum quod diximus. Sequitur Bernardus: *Nam ut taceam, quod merita omnia dona Dei sunt; & ita propter ipsa magis homo Deo debitor est, quam Deus homini*: (hoc est tertium, quod diximus, jam addit & secundum) *Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?* Et prius illud Pauli citaverat: *Non sunt condignae passiones hujus temporis &c.* Adsert. Cath. Fid. ad tit. de Bon. Operib. Quid clarius adversus Bajanum illum errorem, quod vita aeterna ex naturae lege, & naturalis justitiae constitutione bonis operibus debeatur?

Baius.	*Sotus.*
Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni coelestis meritorium. Proposit. 12. 13. 15. 17. 23. 24. 42. 61. 62. 63.	Sanctorum opera habent, quod meritoria sint vitae aeternae, ex divina gratia potius, quam ex labore aut virtute operantium.. Quia Deus amicabiliter acceptat

amicorum, non inimicorum opera: *Respexit Deus*, inquit Scriptura, *ad Abel, & ad munera ejus*. Prius enim debet esse gratus offerens, tunc opera ejus, & oblatio grata esse possunt. *De Institut. Sacerdot. lect. 2. de satisfact. & lect. 1. de Indulgent.*

Ba-

(a) Serm. 1. in Annunciat. B. Mariae.

Baius.

Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia, non autem in gratia aliqua animae infusa &c. Proposit. 41. & 69.

Sotus:

Igitur justitiam nostram constituimus in occulta illa communicatione & participatione Spiritus Christi, & meritorum ejus, quam sequitur imitatio (*quae est operum justitia*). Jam illud etiam & scriptura sacra, & ratio ostendit, ex conversione, & conjunctione ad Deum illustrari, & perfundi luce quadam divina animam, qua Deiformis efficitur, atque ita pulcerrima, non proportione membrorum, & colorum corporis, sed proportione spiritualium virium, & deiformitate illa, omni luce corporea pulchriori & lucidiori . . . . . Certum est, hanc pulcritudinem efficere animam dignam, quae a Deo ametur. *Lect. 3. de virt. Poenit. & Lect. 11. de Justificat. Impii.*

Baius.

Caritas perfecta & sincera &c. tam in Catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum. Proposit. 31. 32. 70. 71.

Sotus.

Haec contritio [*quae* ex caritate dilectioneque illius (*s. Dei*) super omnia bona & amicabilia procedit, atque ita peccata, tamquam Deo opposita, super omnia, quae odio habet, detestatur, idque vere in divinis oculis) . . . non, juxta fidem, creditur remissionem peccatorum mereri; sed esse propriam dispositionem ad illam, sine qua nunquam, ET PER QUAM SEMPER peccatum mortale remittitur. *Adsert. Fid. Cathol. Tit. de Contrit.*

Baius.

In hominibus poenitentibus &c. est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum. Proposit. 43. 33.

Sotus.

Remissio ergo *peccati* facit, ut non sit reus peccati: facit, non primo, & proprie, ut non puniatur, sed ut non sit dignus puniri

niri. Aufert ergo maculam, aufert privationem pulcritudinis, aufert aversionem, & deordinationem a Deo. Itaque eadem ratione putamus, non satis explicatam esse hanc remissionem ab eo, qui dixit, peccatum remitti a Deo nil aliud esse, quam quod nolit peccatorem propter illud punire (*quae ipsissima Baii opinio est*]. *Et infra*: Haec est remissio peccati, de qua loquitur scriptura, quam non dubitamus, ablutionem veram sordium animae dicere, & veram illius conformationem, & configurationem cum Deo. *Lect.* 3. *de Sacram. Poenit. & in fine ejusdem Lectionis addit. In ea* [*id est*, *Sacra Scriptura*) idem esse remissionem peccati & ablutionem animae; denique ipsum deleri & peccatorem converti. Haec enim omnia pro eodem accipit Scriptura. *Et lectione sequente*: Haec est, *inquit*, remissio peccati, de qua nobis loquitur Scriptura, perfecta abolitio & deletio eorum, quibus dignus fiebat peccator aeterna damnatione; restauratio ejus ad eam quam primo habuit, gratiam filiationis & hereditatis aeternae. Imaginantur quidam, nescio, quas alias rationes remittendi peccatum... Nos vero putamus, non esse licitum, aliter loqui, quam loquitur Scriptura, nec aliam cogitare remissionem, quam hanc, quam Scriptura nobis certo tradit ... In Scriptura pro eodem sumuntur peccati remissio, deletio, & ablutio, & conversio ipsa.

Baius.	*Sotus.*
Opera Catechumenorum, ut fides &c., ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae meritoria &c. Proposit. 18.	Itaque in hoc consentiunt posteriores omnes, opera quidem in peccato facta, nunquam per poenitentiam sequentem reparari, ut a Deo praemientur; quae

videlicet cum ederentur & fierent, indigna erant vita aeterna, atque ita semper fuerunt mortua; quae vero facta fuerant ab exsistente in Dei gratia, a Spiritu ejus profecta, & per peccatum sequens mortificata, atque, ut diximus, obice objecto impedita, redeunt per poenitentiam. *Lect: 6. de Poenit.*

Baius.	*Sotus.*
In peccato duo sunt actus, &	Dicamus, quod Scriptura Sacra-

reatus; transeunte autem actu. nihil manet, nisi obligatio ad poenam. Proposit. 56.

cra, & certa fides nos docet. Et quidem post actum peccati, aperte Scriptura dicit, manere in anima maculam, seu deformitatem, & turpitudinem, propter quam merito Deo ingrata est, & ab eo habetur odio. Hierem. dicit *Etsi laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith; tamen maculata es coram me*.. Hoc ille ex persona Dei de Jerusalem dicit: Josue quoque Populo Israel ait; *Peccastis in Beelphegor, & usque in hodiernam diem macula hujus sceleris in vobis permanet*: Unde & Paulus de Christo inquit: quod *dilexit Ecclesiam* suam, *& tradidit semetipsum pro ea; lavans eam lavacro aquae in verbo vitae; donec*, inquit, *exhibeat sibi Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi*. Haec vero macula quid sit; *pluribus Sotus atque eleganter exponit, & inter cetera haec habet*: Haec itaque sunt, quae vere remanent post peccatum, a quibus & peccatores, & foedi, atque obscuri efficimur, privati pulcritudine gratiae, & indigni, qui amemur a Deo, digni, qui odio habeamur: hoc enim reve ra est, esse peccatorem. *Et infra*: Deordinatio etiam illa, & macula in conversione ad creaturam contracta, manet quidem virtute, ut dictum est, propter quam dignus est puniri peccator, propter eamdem reus est peccati, & obnoxius non tantum poenae, sed prius culpae, & propter culpam poenae. *Quod deinceps pluribus probat. Lection. 3. de virt. Poenit.*

Bajus.

Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu. Proposit. 57. & 58.

Sotus.

Priores illi...... distinxerunt in peccato maculam, & culpam ipsam: hanc dixerunt, a solo Deo in contritione remitti; de hac intelligentes illud: *Quis potest remittere peccatum, nisi solus Deus?* Alterum vero in peccato dixerunt reatum poenae aeternae, a quo absolvit Sacerdos. Itaque

 ju-

niri. Aufert ergo maculam, aufert privationem pulcritudinis, aufert aversionem, & deordinationem a Deo. Itaque eadem ratione putamus, non satis explicatam esse hanc remissionem ab eo, qui dixit, peccatum remitti a Deo nil aliud esse, quam quod nolit peccatorem propter illud punire (*quae ipsissima Baii opinio est*]. *Et infra*: Haec est remissio peccati, de qua loquitur scriptura, quam non dubitamus, ablutionem veram sordium animae dicere, & veram illius conformationem, & configurationem cum Deo. *Lect. 3. de Sacram. Poenit. & in fine ejusdem Lectionis addit. In ea* [*id est, Sacra Scriptura*) idem esse remissionem peccati *&* ablutionem animae; denique ipsum deleri *&* peccatorem converti. Haec enim omnia pro eodem accipit Scriptura. *Et lectione sequente*: Haec est, *inquit*, remissio peccati, de qua nobis loquitur Scriptura, perfecta abolitio & deletio eorum, quibus dignus fiebat peccator aeterna damnatione; restauratio ejus ad eam quam primo habuit, gratiam filiationis & hereditatis aeternae. Imaginantur quidam, nescio, quas alias rationes remittendi peccatum... Nos vero putamus, non esse licitum, aliter loqui, quam loquitur Scriptura, nec aliam cogitare remissionem, quam hanc, quam Scriptura nobis certo tradit ... In Scriptura pro eodem sumuntur peccati remissio, deletio, & ablutio, & conversio ipsa.

Baius.	*Solus.*
Opera Catechumenorum, ut fides &c., ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae meritoria &c. Proposit. 18.	Itaque in hoc consentiunt posteriores omnes, opera quidem in peccato facta, nunquam per poenitentiam sequentem reparari, ut a Deo praemientur; quae

videlicet cum ederentur & fierent, indigna erant vita aeterna, atque ita semper fuerunt mortua; quae vero facta fuerant ab exsistente in Dei gratia, a Spiritu ejus profecta, & per peccatum sequens mortificata, atque, ut diximus, obice objecto impedita, redeunt per poenitentiam. *Lect: 6. de Poenit.*

Baius.	*Sotus.*
In peccato duo sunt actus, &	Dicamus, quod Scriptura Sa-

cra-

reatus; transeunte autem actu. nihil manet, nisi obligatio ad poenam. Proposit. 56.

cra, & certa fides nos docet. Et quidem post actum peccati, aperte Scriptura dicit, manere in anima maculam, seu deformitatem, & turpitudinem, propter quam merito Deo ingrata est, & ab eo habetur odio. Hierem. dicit *Etsi laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith; tamen maculata es coram me..* Hoc ille ex persona Dei de Jerusalem dicit: Josue quoque Populo Israel ait; *Peccastis in Beelphegor, & usque in hodiernam diem macula hujus sceleris in vobis permanet*: Unde & Paulus de Christo inquit: quod *dilexit Ecclesiam* suam, *& tradidit semetipsum pro ea; lavans eam lavacro aquae in verbo vitae; donec*, inquit, *exhibeat sibi Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi*. Haec vero macula quid sit; *pluribus Sotus atque eleganter exponit, & inter cetera haec habet*: Haec itaque sunt, quae vere remanent post peccatum, a quibus & peccatores, & foedi, atque obscuri efficimur, privati pulcritudine gratiae, & indigni, qui amemur a Deo, digni, qui odio habeamur: hoc enim reve ra est, esse peccatorem. *Et infra*: Deordinatio etiam illa, & macula in conversione ad creaturam contracta, manet quidem virtute, ut dictum est, propter quam dignus est puniri peccator, propter eamdem reus est peccati, & obnoxius non tantum poenae, sed prius culpae, & propter culpam poenae. *Quod deinceps pluribus probat. Lection. 3. de virt. Poenit.*

Bajus.


Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu. Proposit. 57. & 58.

Sotus.

Priores illi ...... distinxerunt in peccato maculam, & culpam ipsam: hanc dixerunt, a solo Deo in contritione remitti; de hac intelligentes illud: *Quis potest remittere peccatum, nisi solus Deus?* Alterum vero in peccato dixerunt reatum poenae aeternae, a quo absolvit Sacerdos. Itaque ju-

juxta eos, verba significabunt absolutionem a reatu poenae aeternae, non vero a culpa. Quae sententia revera, praeter hoc quod ratio fidei conjuncta, docet, remissa culpa, non posse reatum poenae aeternae manere; [quî enim fieri potest, ut Dei amicus in aeternum damnari possit?) nimium etiam detrahit illis verbis Evangelii: *Quorum remiseritis &c.......* Quapropter posteriores fere omnes docent, simpliciter verba illa intelligenda esse; idque efficere, quod significant; absolutionem scilicet a peccato, & remissionem: quod consonat doctrinae Patrum, quam superius adduximus. Testantur enim apertissime Chrysostomus, & Cyprianus praecedere sententiam Sacerdotis sententiam Dei: quo vere significant, ideo peccata remissa esse, quia a Sacerdote facta est remissio &c. *Lect.4. de Sacram. Poenit.*

Ex his ergo apertissime constat, atque ipsismet oculis patet; doctrinam Baii viginti sex propositionibus comprehensam, non solum nihil ad Sotum pertinere, atque illi esse prorsus abjudicandam; sed etiam ab eo fuisse de industria & conceptis verbis, atque invictis momentis labefactatam: quibus si adjungas duas Baii propositiones, de quibus superiore §. dictum est, viginti jam & octo Baiani Systematis propositiones numerabis, quibus non solum nihil adfine Sotus docuit, sed quas etiam data opera confutavit.



§. IV.

§. IV.

An Soti doctrina fuerit;

Fidem, quum operatur, non operari, nisi per caritatem, neque ullum esse motum legitimum voluntatis, praeter actum caritatis aut perfectae, aut inchoatae.

BAium ex Soto nostro utrumque hunc articulum descripsisse, sequentibus verbis Duchesnius animadvertit: (*a*) *Contendit Baius, 1. quod fides quum operatur, non operatur nisi per caritatem. 2. quod omnis motus legitimus voluntatis, aut est actus caritatis perfectae, aut inchoatae. Utrumque vero hunc articulum ex Petro a Soto transcripsit,*

At ego mihi vellem indicari loca, ex quibus duos hosce articulos Baius exscripserit: nullus enim adhuc in omnibus Soti operibus ejusmodi mihi locus occurrit. Sed contra passim se mihi lucidissima testimonia obtulerunt, quibus aperte ac perspicue uterque articulus confutatur,

Primo itaque videamus, an ex mente Soti fides quum operatur, non nisi per caritatem operetur: *Vera poenitentia*, inquit Sotus, (*b*) *non incipit nisi a fide: quia inde oritur omnis motus in Deum*: Crediderunt, *inquit Scriptura*, Viri Ninivitae in Dominum, & praedicaverunt jejunium. *Cum enim is, qui in peccatis quiescit, cui illa placent, non possit, nisi aliqua bona cogitatione occurrente, mutari, ut ei displiceant; nullam vero bonam coram Deo cogitationem aliud quam fides parit, necesse est, poenitentiae principium, aliquem actum, sive cogitationem fidei esse, quum scilicet Dei bonitas, sive justitia, Dei praecepta, aut praemia, sive poena cogitationi occurrunt,*



(a) Baius prétend donc dans cette observation 1. que la foi, quand elle agit, opere toujours par la charité. 2. que tout mouvement legitime de la volonté est un acte de charité ou parfaite, ou commencée, & il a copié Pierre Soto sus ces deux articles. *Pag.* 37.

(b) Lect. 8. de virt. Poenit.

& certa eis fides adhibetur. Unde & Paulus fidem in Deum, & poenitentiam praedicat. Hanc bonam fidei cogitationem sequi solet timor poenarum; estque in peccatoribus stimulus maximus ad poenitentiam. Unde scriptum est: Timor Domini expellit peccatum: Nam qui sine timore est, non poterit justificari. *Hinc & illud scriptum est*: Initium sapientiae timor Domini. *Constat enim, poenitentiam ad sapientiam pertinere, ut Moyses inquit*: Utinam saperent, & intelligerent, & novissima providerent. *Poenae vero timor, quamquam imperfectus sit, & possit nonnunquam malus esse (cum scilicet peccatum amatur, & solo timore poenae, quam mallet non esse, non peccatur) est tamen bonus, & aptus his, qui non aliud noverunt, quam se amare, & incommoda sua timere. Propterea ad hoc adhortantur nos Literae sacrae, proponuntque externas illas poenas. Unde Christus*; Timete eum, *inquit*, qui habet potestatem, animam & corpus mittere in Gehennam. *Et Psalmus apertissime dicit*: Confige timore carnes meas: *Affligit enim timor, & torquet, atque ita cuidam quasi cruci affigit. Itaque manifestissimus est ille error, de quo alias dictum est, damnans peccati illum, qui timore poenae retrahitur a peccato. Vult Deus, peccatores timere. Nam Paulus ipse, qui inquit*, Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed adoptionis filiorum Dei; *vehementissime tamen alibi terret peccatores*: Horrendum est, *inquiens*, incidere in manus Dei viventis. *Et ibi*: Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione moritur, duobus, vel tribus testibus: quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit? Scimus enim, qui dixerit: Mihi vindictam; & ego retribuam. *Et rursum*: An divitias bonitatis ejus. &c. *Et illud*: Thesaurizas tibi iram &c. *Ista & nobis, & proximis proponenda sunt, istis excitandi ad poenitentiam. Verum huic timori poenae nimium inhaerere, dupliciter periculosum est; & quia in desperationem trahit...... & quia servilem animum facit...... Transferat ergo se quantocius ad spem...... Igitur & in priori illo gradu timoris spes esse debet, & in hoc* (spei) *timor. Sed docent Patres., dolorem illum, qui assumitur ex consideratione poenae, multo esse inferiorem illo, qui ex consideratione misericordiae remittentis assumptus est: atque ita ab illo ascendendum ad hunc. In illo enim se vide-*

videtur aspicere; in isto Deum, cujus misericordiae, & bonitati afficitur, atque ideo dolet. Unde in hoc gradu proximus est caritati. Quid enim illum potest magis in nobis gignere, quam tantae benignitatis divinae in peccatores consideratio? ..... Jam itaque sequitur merito quartus gradus, sive operatio poenitentiae, caritatis videlicet ..... Hic amor veram detestationem, & odium peccati, ut tantae bonitati contrarium est, operatur &c.

Quibus amabo te, Duchesni, quibus, inquam, aliis verbis, quibus Scripturae testimoniis, quibus argumentis validius oppugnare potuisses errorem, quem Soto tribuis, quod fides quum operatur, per solam operetur caritatem? Aut qui potuisses efficacius ac disertius ostendere, quod non semper fides per caritatem, sed aliquando per timorem, aliquando per spem operatur? An non enim fides operatur, quum peccatori divinae justitiae severitatem, judiciorum Dei abyssum, atque aeternorum suppliciorum acerbitatem ob oculos ponit, ejusque animum concutit, pungit, & velut a profundo somno excutit; eique stimulos & calcaria subjicit ad poenitentiae ac salutis iter capessendum? An non fides operatur, quum peccatori divitias bonitatis Dei, ab eoque collata in humanum genus beneficia, atque ipsius de salute omnium hominum voluntatem, & Christi sanguinem pro omnibus omnino hominibus fusum &c. ad mentem revocat; ejusque dejectum animum erigit; ad implorandam misericordiam excitat; & ad rerum humanarum contemtum aeternorum bonorum spe ac desiderio succendit? An non, inquam, fides operatur, quum ad ejusmodi laudabiles motus impiorum animos provehit? laudabiles, inquam, non modo si cum caritate conjuncti sint; verum etiam si disjuncti sint, eamque praeveniant, & ad eam suscipiendam utcumque animum parent. Nam de timore, de quo paullo major difficultas esse potest, quam de spe; ait Sotus, bonum illum esse & aptum his, *qui non aliud noverunt, quam se amare, & incommoda sua timere*: Et hujusmodi timorem, & propter illum a peccato retrahi, peccati damnare, *errorem* appellat *manifestissimum*.

Ex his vero etiam aperte constat, jure an injuria alterum Baii articulum Duchesnius Soto tribuerit; quod scilicet non sit alius motus

tus legitimus voluntatis, nisi qui ex caritate aut perfecta aut inchoata proficiscatur. Si enim Dei timor bonus ac laudabilis motus est, in iis etiam, *qui non aliud noverunt, quam se amare*; profecto non quicumque voluntatis laudabilis motus, actus sit oportet aut perfectae, aut saltem inchoatae caritatis. Sed alia tamen loca non desunt, in quibus idem non minus aperte Sotus docet. Ad haec verba Confessionis Wirtembergensis: „ (*a*) Nisi eleemosina sit opus caritatis, „ quae testificetur fidem in Christum, tantum abest &c. ut plane co- „ ram Deo sordeat: *si distribuero*, inquit Paulus, *omnes faculta-* „ *tes meas in cibos pauperum, caritatem autem non habuero, nihil* „ *mihi prodest*; haec adnotat in suis Scholiis Catholicis Sotus noster: *Idem etiam de ipsa fide Paulus dicit. Sed revera verba haec non probant, eleemosinam sine virtute caritatis factum sordere apud Deum, sed non sufficere ad salutem*: nihil, *inquit*, sum; *sordet vero, quando sinistra intentione fit*. Quod de eleemosina, idem etiam de jejunio observat ad haec verba ejusdem Confessionis Wirtembergensis. „(*b*)Jejuniũ sine poenitentia est in conspectu Dei abominandũ. *Quod vero*, ait Sotus, *dicunt, jejunium sine poenitentia sordidum esse in oculis Dei, est magis sobrie dicendum. Peccatores jejunantes, aut alia ex suo genere bona opera facientes, etiam sine vera poenitentia, modo non perversa intentione, non parum promovent eo jejunio. Implent enim praeceptum, atque ad pia opera promtiores fiunt, & nonnihil se disponunt. Itaque fatemur, jejunium sine poenitentia, ejus scilicet, qui est in peccato, non esse dignum remuneratione vitae aeternae: non tamen est peccatum, nec omnino ingratum Deo; modo non adsit* (deest in Cod. quo utor) prava, aut perversa intentio. Igitur eleemosina, & jejunium tunc solum apud Deum sordent, quum prava intentione fiunt: sed prava intentione non fiunt, non solum quum ex caritate, sed etiam quum ex aliquo spei, aut timoris motu proficiscuntur. Differens enim Sotus de fine, seu motivo, propter quod peccata detestari debemus ait (*c*), quod *ad perfectam poenitentiam requiritur, ut dolor ille peccati, sive odium, & detestatio sit pro-*

(a) Tit. de Eleemosina.
(b) Tit. de Jejunio.
(c) Lect. 14. de Poenit.

propter Deum; *hoc est, ut hoc sit praecipuum, quod in peccato displicet, ut odio habeatur, quia contrarium est Deo, quia offensia, & injuria quaedam Dei est, quantum ex peccante ipso est*. Hanc itaque ait praecipuam esse intentionem, qua peccatum detestari debemus; hoc tamen negat, unicum esse motivum, propter quod illud licite detestamur: subjungit enim. *Multis enim modis, ut manifestum est, & rationibus odio haberi potest peccatum, atque ita ob multos fines: videlicet quod contra famam sive honorem peccantis, vel contra quodlibet aliud temperale bonum, vitae scilicet, quietis &c. vel quod contra rectam rationem, vel quod propter ipsum damnatione aeterna efficiatur dignus peccans*: His ad peccati odium ac fugam incitari, non satis est quidem ad perfectam poenitentiam, & gratiam & amicitiam cum Deo ineundam; non ait tamen esse novum peccatum, si talibus etiam rationibus moveamur. *Ceterum quamdiu non detestamur peccatum, quia contrarium bonitati divinae, reverentiae, honori, atque obedientiae ei debitae, nondum est vera poenitentia, quia nondum ibi caritas est. Unde in Psalmo de Filiis Israel, ob temporalia tantum mala poenitentibus, merito dicitur*: Cum occiderent eos, quaerebant eum, & revertebantur &c. Cor autem eorum non erat rectum cum eo. *Et quidquid de rectitudine cordis in Scriptura dicitur, huc pertinet, sine illa enim nihil Deo gratum, aut perfectum esse valet*: Quae verba non ita sunt accipienda, veluti nulla sit alia recta intentio, nisi quae ex caritate procedit, aut Deo non gratum & exosum sit, quod alia intentione peragitur: Nam statim adjungit, non reprehensione, sed laude dignum esse, quod quis ad peccati in se odium excitandum, aliis etiam rationibus utatur: *Et circa haec quidem de fine contritionis non est opus plura dicere; nisi ut hoc, quod certissimum est, sobrie & prudenter doceatur populus: Uti enim aliis considerationibus in detestando peccato, non tantum reprehendi non debet, sed laudari. Omnia consideranda sunt in peccato, quae mala sunt; quod videlicet sit contra rectam rationem & honestatem, contra honorem & famam, contra aeternam denique vitam & felicitatem peccantis, ut supra, cum de timore ageremus, dictum est. Sed id conandum, ut his omnibus superemineat consideratio illa, quod contra Dei bonitatem sit &c.* Non ergo reprehensione. sed laude dignus est, qui a pec-

Mm ca-

cato, si non Dei amore, saltem ipsius timore, aut aliis honestis, & rectae rationi consonis motivis retrahitur. Quapropter id Deo non gratum, sive ingratum & exosum esse non potest. Sed non dicitur Deo gratum, nisi ex caritate profluat: quod non satis sit ad Dei gratiam & amicitiam instaurandam; vel quod ad aliquem aeternae felicitatis fructum ac mercedem adsequendam, nullo apud Deum in pretio habeatur; vel quod debitus interioris hominis ordo rite componi nequeat, nisi ad summum Bonum mens nostra convertatur: eique tamquam ultimo fini firma sinceraque inhaereat caritate.

Quae quum ita sint, quis non miretur, earum opinionum a nupero Historico fieri Sotum Auctorem, quas ille data opera confutavit? Nec enim dici potest, alios Sotum in aliis Operibus, alios in Epistolis ad Ruardum de his rebus sensus induisse. Nam ne haud semel laudata ex hisce Epistolis loca heic iterum ingerere atque inculcare cogamur; ex iis constat, non solum caritatem, sed & timorem inter dispositiones numerasse, quae justificationem praecedunt, nec solius caritatis actus, verum etiam timoris, ex adspirante hominibus Dei gratia originem ducere, Auctorem nostrum existimasse: quorum dogmatum consectarium est; non omnem usum legitimum voluntatis esse actum caritatis, aut perfectae, aut inchoatae: ac proinde ex Baiano Systemate hanc etiam praecidendam propositionem, superioribus addendam, quae nihil ad Sotum pertinent; *Omnis amor creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quae a Johanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*. Amor enim ex quo Dei timor procedit, nec vitiosa cupiditas est, quum a Soto laude dignus existimetur: nec laudabilis illa caritas, qua Deus amatur, quum in iis etiam reperiatur; *qui nihil aliud noverunt, quam se amare*. Habemus ergo Baiani Systematis viginti novem propositiones, quas Sotus validissime confutavit.

§. V.

§. V.

An haec Baii propositio.

„ Liberum arbitrium hominis non potest absque speciali
„ gratia Dei vitare peccatum, unde fit, ut
„ omne opus hominis pure infidelis
„ sit peccatum;

Jure Soto tributa fuerit.

TRibuit hanc Soto Baii propositionem solita confidentia Duchesnius: sed jure, an injuria, discutiendum est. Jure se illam Soto tribuisse, sequenti in Parisiensem illius propositionis Censuram observatione, laudatus Historicus probat: *Sorbona*, inquit (*a*), *hujusce propositionis priorem parem nulla censura confixit, quod eam adhuc docti quidam Ecclesiae Theologi tuerentur: sed alteram partem falsam esse, & ex priore perperam illatam judicavit, quoniam, ut ipsemet Sotus testatur, ex universae fere Ecclesiae sensu veluti certam veritatem docebat: Jesu Christi gratiam omnibus adultis, atque ipsis etiam infidelibus adfulgere; unde consequens erat, quod omnes hominis pure infidelis actiones poterant non esse peccata. At contra Baius, quum hoc statueret principium, quod sine gratiae praevenientis auxilio non potest homo nisi peccare, praeterea cum Soto adjungebat, infideles, quoad vitam infidelem ducunt, nullum a Deo recipere gratiae coelestis adjutorium; & humanas actiones, ut culpa immu-*

 nes

(a) La Sorbonne n'a pas censuré la premiere partie de cette proposition, parce qu'en ce tems là elle etoit encore soutenue par d' habiles Theologiens del'Eglise. Mais elle à juge que la seconde partie ètoit fausse & mal inferée de la premiere, parce qu'elle enseignoit avec presque toute l'Eglise de l'aveu meme de Pierre Soto, comme une verité certaine que la grace de JESUS - CHRIST étoit donnee à tous les adultes & aux infideles; d' où il s'ensuivoit que toutes les actions d'un homme purement infidele pouvoient n'etre pas des pechez. Bajus au contraire, en posant pour principe que sans le secours de la grace prevenante, le libre arbitre ne peut que pécher, ajutoit avec Pierro Soto que les Infideles ne recoivent aucune grace dans tout le cours de leur vie infidelle, & que les actions pour n'etre pas des péchez devoient avoit la foy sur naturelle pour principe, & la gloire de Dieu pour motif, d'où il concluoit que toutes les actions des Infideles sont des péchez. Il appelloit purement infidele celui qui n'a pas dumoins la foy sur naturel le en un seul Dieu. *pag.* 35.

nes habeantur, ex fide ſupernaturali velut ex principio fluere debere, & ad Dei gloriam velut ad finem ordinari: unde ille efficiebat, omnes infidelium actiones eſſe peccata: pure autem infidelem appellabat, qui ſaltem ſupernaturali in unum Deum fide praeditus non eſt:

Quid ſenſerit olim, aut etiamnum ſentiat Eccleſia, de gratia omnibus prorſus hominibus etiam infidelibus diſtributa; quaeve de hac re Soti ſententia fuerit, poſtea videbimus. Nunc enim quaeſtionem de actionibus infidelium, hac paulisper ſepoſita de gratiae diſtributione controverſia, breviter ex mente Soti diſcutiemus. *Quamquam*, inquit Sotus (*a*), *non deſint Catholici aliqui, qui opera omnia .... Infidelium mala putant: Sanior tamen ſententia eſt, quam diximus, & ab Haereticis pertinaciter haeretico animo negatur*. Negat ergo Sotus, omnium infidelium opera peccata eſſe, proindeque docet, aliquas eſſe infidelium laudabiles, & honeſtas actiones. Haec itaque aut ex divinae gratiae, aut ex naturalis rationis lumine proficiſcuntur. Utrum velit, Duchesnius eligat; falſum Auctori noſtro crimen objecit. Nam ſi laudabiles illae, atque honeſtae Infidelium actiones ex naturalis rationis, & voluntatis vigore profluunt; falſum eſt ergo, quod liberum eorum arbitrium ſine gratia nonniſi ad peccandum valeat. Sin autem ex gratiae lumine derivantur; falſum eſt ergo, quod infidelibus, quoad vitam infidelem ducunt, nulla ſuppetant adjumenta divinae gratiae. Re tamen ipſa Sotus ex naturalis boni quantuliſcumque reliquiis honeſtas Infidelium actiones ducit, quare confixae per Sorbonam propoſitionis neutra pars ipſi tribuenda fuit: *Non negamus*, inquit (*a*), *fieri poſſe, ut deteſtetur peccatum impius, aut boni aliquid ex ſuo genere, ductus naturali ratione, & inſtinctu faciat: ſed nec poenitentiam aliquam, nec opus aliquod, quo tantillum appropinquet ad Deum, aut diſponatur ad gratiam, niſi a Deo adjutus, facere poteſt.* Viden, ut inter naturalis honeſtatis, & Chriſtianae pietatis opera diſtinguit? Et ad priora quidem ſufficere docet impiis naturale lumen; ad alius vero generis etiam prima lineamena divinae gratiae adjumenta requirit.

Sed nihil luculentius demonſtrat, quae fuerit de actionibus Infidelium Dominicani Theologi mens, quam quod celebrem illum Apo-

(a) Lect. 9. de Poenit. (b) Ibid.

Apostoli locum; *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*; & quae latissime de hoc argumento S. Augustinus disserit; secus interpretatur, atque illi interpretari solent, qui omnia infidelium opera peccata esse contendunt. Ad hanc enim opinionem adstruendam, hoc potissimum Apostoli testimonio, & Augustini auctoritate nituntur; ut vel ex ipso Baio adparet, cujus in Parisiensem censuram observationem, quae his se maxime testimoniis tuetur, ipse Duchesnius refert: „ Igitur, *inquit Baius*, in omni suo opere (*Infidelis*) pec„ cat: Ut verum sit, quod ait Apostolus; quod *coinquinatis, &* „ *immundis nihil est mundum: omne enim, quod non est ex fide, pec*„ *catum est*. Quod posterius Apostoli dictum etsi Gagnaeus Sorbo„ nae Alumnus, & quidam alii recentiores nescio quo sermonis pro„ digio conantur eludere.... attamen manifeste refelluntur testi„ monio Augustini locis paene infinitis, & praesertim libro quarto „ contra Julianum capite tertio; Similiter Prosperi contra Ingratos, „ ubi sic ait:

„ *Omne etenim probitatis opus, quod non ex semine verae*
„ *Exoritur Fidei, peccatum est, inque reatum*
„ *Vertitur; & sterilis cumulat sibi gloria poenam*.

Contra vero Sotus, *Cuncta*, inquit (*a*), *illa, quae afferuntur contra hoc ex scriptura*: Omne, quod non est ex fide, peccatum est: *& quae Augustinus ex hoc loco contra Julianum acerrime disputat de virtutibus Gentilium, manifeste intelligenda sunt de his, quae ex infidelitate procedunt: quae ut hujusmodi mala sunt*. Et in Adsertione Catholicae Fidei idem Apostoli testimonium, quum ab haereticis in alienum sensum detorqueretur, in eamdem fere mentem ipse in Catholicis Scholiis interpretatur: [*a*] *Quod repugnat Fidei, & alienum est ab ea, fatemur esse peccatum*.

Haec Soti, & Baii verborum sententiarumque conflictio annon tibi egregie demonstrare videtur, Baianos Articulos ex Soto esse descriptos? Imo vero ut serio loquamur; quid ex vetustiore Theologo adversus Bajum adferri validius potest? Ejus enim de actionibus Infide-

(a) Ubi supra (b) Ad Tit. de Eleem. Schol. 5.

fidelium opinionem haereticis Sotus tribuit, quum Baius Pelagiani erroris damnet, qui secus sentiunt. Boni aliquid naturalis, id est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, Sotus agnoscit: quum Baius sentire cum Pelagio doceat, hujusce opinionis Auctores. Denique Sotus Paulli, & Augustini verba ita exponit, ut communi Scholae, & Ecclesiae dogmati non adversentur: quum Baius, qui Apostolum, & Augustinum non perinde atque ipse interpretantur, ignorantiae, & erroris arguat. Superioribus ergo Baiani Systematis articulis, quos Sotum de industria confutasse animadvertimus, sequentes adjungendi sunt: 27. *Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*. 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. 36. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, id est quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit*. 28. 29. 33. 35. & 62. qui aliis verbis eamdem sententiam exponunt. Hi autem octo, viginti & novem additi, de quibus in praecedentibus §§. dictum est, in summam proficiunt 37. propositionum, quas Sotus velut totidem errores insectatus est.




CA-

CAPUT VI.

In quo Dogmaticum de Gratia, & libero Arbitrio Systema, quod Soto Duchesnius adfingit, ipsiusmet Soti testimoniis, & auctoritatibus profligatur.

POSTQUAM Baianorum tumultuum Gallus Historicus varias ex Soti Epistolis lacinias adtulit, atque uti vidimus, arbitratu suo in alienos omnino sensusdetorsit; ut quae pluribus disseruerat, paucis complecteretur, & Soti doctrinam ad certa veluti capita revocaret: *En*, inquit (*a*), *uno ictu oculi conspiciendum, Dogmaticum de Gratia, & libero Arbitrio Systema, quod Sotus veluti doctrinam S. Thomae, S. Augustini, ac Veterum Patrum, Academiae Lovaniensi, ac Tuppero repraesentabat*. Sex autem, quas Duchesnius subjungit, propositionibus continetur; quarum an Sotus Auctor habendus sit, facile ex his, quae hactenus disseruimus, dijudicari potest: aliqua heic tamen ad singulas propositiones adnotabimus, ut omnis penitus Lectorum animis scrupulus eximatur.



AR-

(a) Voici donc sous un point de vue le Sy-stême dogmatique sur la grace & le libre arbitre, que Soto presentoit à l'Université de Louvain. *pag.* 15.

ARTICULUS PRIMUS.

De prima propositione, quam Soto Duchesnius tribuit.

Gratiam praesentis status non esse aliud, quam caritatis inspirationem.

Eam Sotus erroris damnat.

QUI Christi gratiam caritatis inspiratione definiunt, & circumscribunt; non eo erroris arguendi sunt, quod caritatem humanis cordibus per Christi gratiam inspirari docent; sed quod reliquos omnes humani cordis adfectus caritate inferiores, & a caritate disjunctos, ac potissimum Dei scelerum vindicis timorem, per eamdem Christi gratiam excitari negant; etsi ad justificationis gratiam consequendam, piis hisce animi motibus hominem praeparari, ac disponi, Tridentina Synodus aperte definierit. Ideo vero negant, per Christi gratiam Dei timorem, aliosque salutares motus caritatem praevenientes ingenerari, quod nonnulla eos peccati labe foedatos arbitrantur. At Sotus tum *manifestissimi erroris* damnat, qui praedictos actus, etiam a caritate disjunctos, bonos esse inficiantur & laude dignos; tum Pelagiana lue correptos existimat, qui ex alio eos, quam ex Christi gratiae fonte derivant. Ejus enim hac de re sententia sequentibus adsertionibus continetur. (*a*)

1. *Principium primum poenitentiae, & vera ejus origo est operatio divinae gratiae, cor nostrum ad se convertentis. Quod*, inquit, *ut certissimum fidei fundamentum statuendum est, nec ulla audienda dubitatio circa illud.* Id vero primum sacrarum literarum perspicuis testimoniis, & S. Augustini auctoritate demonstrat; & postea subjungit: *Est & hoc Conciliis, & apostolicis definitionibus aperte definitum*: laudatque inter Pontifices, Innocentium in Epistola ad Carthaginense Concilium, & Celestinum in Epistola ad Episcopos Galliae: & inter Concilia, Synodum Arausicanam cap. 19. Refert eo-

(a) Lect. 5. de Poenit.

eorum verba, eaque *certissimas fidei definitiones* appellat. Veteres quosdam Scholasticos reprehendit, quorum opinio fuit; *quod suis viribus quis possit sic poenitere, ut gratiam consequatur*. Hanc vero eorum sententiam non parum, ait, offendere alienos a nobis, id est, haereticos; *& quidem merito*, inquit: est *enim contra Scripturam, & definitiones Ecclesiae*, de qua etiam adjungit, quod *aufert, quae maxime ad veram humilitatem, & pietatem instituunt, quae in hoc praecipue posita sunt, ut nobis omnino, nostrisque viribus diffidamus, soli divinae gratiae innixi. Nec aliud habet haec sententia, quam humani ingenii nescio quam argutiam,& praesumtionem propriarum virium. Sed haec est sapientia, quam stultam fecit Deus; & fortitudo, quam infirmam reddidit*. Itaque quum certa Catholicae Fidei sententia sit, quod nisi adspirante Dei gratia, nullo modo se disponere, ac praeparare ad justitiam impius valeat; perspiciendum est, an Sotus in illa serie actuum, quibus ad gratiam justificantem homines disponuntur, locum aliquem adsignet timori Dei, aliisque actibus praevenientibus caritatem. Quidquid enim in ea serie continetur, juxta certissimas *fidei* Catholicae definitiones, ex gratia est.

Secundo ergo ait Sotus, quod quamvis in excitandis, ac provehendis hominibus ad veram poenitentiam divina Providentia non eumdem semper ordinem teneat: communior tamen ille est, quem S. Thomas in quinque sequentibus actibus statuit, quasi tot gradibus, *quibus ad veram poenitentiam pervenitur*. Quinam vero sunt ejusmodi actus, sive gradus; quove ordine unus ex alio nectitur, hic vero ad alterum promovet? *Primus*, inquit Sotus, *est fidei veraciter assentientis divinis testimoniis. Secundus timoris servilis,quo poenarum consideratione a peccato, dilectioneque ejus retrahimur. Tertius spei, quo remissionem peccatorum consecuturos nos sperantes, jam ea ut emendabilia detestamur. Quartus verae caritatis, quo propter Deum ipsum peccata displicent. Quintus denique timoris filialis, quo Deo ultro, ob reverentiam ejus, emendationem vitae, & satisfactionem, prout possumus, offerimus*. De his autem omnibus generatim statuit, quod *divinae gratiae operationem* sequuntur. Porro haec doctrina non modo D.Thomam auctorem habet, sed etiam Tridentini Concilii auctoritate sancita est: *Disponuntur* enim homines

ad justitiam, ut Sacra Synodus docet (a), *dum excitati divina gratia & adjuti; fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata, & promissa sunt..... & dum peccatores se esse intelligentes, a divinae Justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur; fidentes, Deum sibi per Christum propitium fore: illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem..... Denique dum proponunt..... inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* Cum peccatores excitati divina gratia, & adjuti, & fidem ex auditu concipiant, & divinae justitiae timore utiliter concutiantur, & in spem divinae misericordiae erigantur, & Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiant &c. annon Duchesnius velut insanos traduceret, qui Concilii Tridentini de gratia definitionem sola caritatis inspiratione circumscriberent? Atqui Sotus cum Concilii doctrina ad amussim congruit, eosdemque actus fidei, timoris, spei, & caritatis, divinae gratiae tribuit. Quo ergo ipse Duchesnius jure Sotum illius erroris auctorem facit, qui generatim Dei gratiam caritatis inspiratione definit?

Neque his tamen Sotus contentus est, sed singulos quoque recensitos actus, munera esse, & effectus divinae gratiae, speciatim luculenterque demonstrat: (b) *Itaque*, inquit, *sic digne de gratia ejus sentiendum est, ut jam per singula discurramus. Divinae gratiae est in primo illo actu, non tantum fides ipsa, & propositum firmum credendi divinis assertionibus; sed & omnis bona cogitatio, & quidquid occurrit animo, maxime antea in peccatis quiescenti, quo incipiat Deo appropinquare; id totum divinae gratiae est:* Nec enim *ut dixit Paulus*, sufficientes sumus aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis: *ubi, ut Augustinus inquit (c), omne evertit Pelagianorum meritum, & conatum, praevenientem gratiam. Quid enim prius est in omni bono, quam cogitatio ipsa?*

In secundo vero actu non minus ipsa gratia operatur: Timorem, *in-*

(a) Sess. 6. Cap. 8.
(b) Ubi sup: lect. 10.
(c) Lib. de Praed. SS. cap. 2. & alibi.

inquit, meum dabo in corda eorum, ut non recedant a me. *Nam hoc petebat Psalmus*: Confige timore tuo &c. *Itaque ut occurrant menti aeternae illae & terribiles poenae, gratiae est: ut postquam occurrerint, ingrediantur cor, & penetrent, ejus est, qui dicit*: Timorem meum dabo &c.

In tertio non minus spem veniae ille largitur, de quo Paulus inquit; quod in Christo reconciliationem habemus, & gloriamur in spe gloriae, *inquit ille*, filiorum Dei: *Illud quidem post remissam culpam: sed ante solus ipse gratia sua & promittit remissionem, & facit, ut vere speretur a nobis. Quamobrem Psalmus vocat Deum spem suam dicens*: Spes mea Domine a juventute mea. *Propter quod inquit*: Ego autem semper sperabo: *idque contra peccatorum terrorem loquens*.

In quarto denique, & in quinto ab illo diffunditur caritas in cordibus nostris, ut Paulus inquit. Ille & timorem dat, non minus castum istum, qui manet in saeculum saeculi; quam illum poenae, de quo Johannes inquit, quod non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem.

Quis haec legens patienter, & tranquillo animo ferat, hunc Soto errorem tribui, quod gratiam praesentis status solius esse dixerit caritatis inspirationem? Quid enim apertius, quid validius adferri potuit, ad hunc errorem evertendum, quam quae heic a Soto disputata sunt? Non ait ille, divinae gratiae operationem sola esse caritate circumscribendam: sed ait, atque invicte demonstrat, Christi gratiam esse & inspirationem sanctae cogitationis, & inspirationem affectus credulitatis, & inspirationem Fidei, inspirationem timoris non modo filialis, sed & servilis, inspirationem spei, denique inspirationem caritatis. Haec, inquam, omnia ad Christi gratiam refert Sotus. Non enim putandum est, de aliquo ipsum gratiae genere loqui, quod aliunde, quàm ex Christi meritis effluat. Haec enim cogitatio quam inanis esset, praeterquam quod ex superioribus satis aperte constat; his, quae Sotus adjungit, adhuc manifestius demonstratur. Pergit enim;

Haec nobis dicta sint ad divinae gratiae commendationem, cui tribuendum est, quidquid in nobis boni est ad salutem, maxime vero in

 poeni-

poenitentia. Itaque non ipsam tantum perfectam, & integram poenitentiam per suam gratiam ipse operatur in nobis; sed & illos primos, & imperfectos motus ab ipso esse dicimus; non quidem secundum imperfectionem, sed secundum omnem, quam habent, bonitatem. Non solum ergo perfectum dolorem peccati, & recessum integrum ab eo Deus per gratiam suam dat; sed quemcumque minimum dolorem, quo paulatim a peccato retrahimur, etsi nondum illud omnino reliquerimus ab ipso esse, vera fides tenet, quod cuncta, quae diximus, satis probant; sed praecipue locus ille Pauli, quem superius citavimus, ubi de peccatoribus dicit: quod captivi a diabolo tenentur ad suam ipsius voluntatem: *Quod & Dominus inquit*: Qui facit peccatum, servus est peccati. *Quis vero dubitet, tam fortem, & crudelem dominum non permissurum subditum sibi servum, non tantum omnino se relinquere, sibique rebellare; sed vel tantillum a se recedere, nisi a superiori compellatur potestate, Dei scilicet: quod gratiae certe est. Manet miser peccator viribus omnibus destitutus, potestati illius totus traditus; de qua Job dixit*: Non est potestas super terram, quae ei possit comparari. *Quum igitur vel tantillum viderit se quispiam respirare ab ea servitute; agnoscat, supervenisse superiorem, qui fortem illum Armatum, custodientem castrum suum, vicerit. Et hoc satis supra adducta testimonia Augustini, Innocentii, Celestini, & Conciliorum probant*: „ Si, *inquiunt*, quod accepit Justus, sine gratia „ servare non potest; quanto minus recuperare, quod perdidit? *Si haec igitur non fiant a Justo sine gratia; quomodo a peccatore fient*?
Quis dubitet, atque in controversiam vocet; an haec Soti verba de gratia intelligenda sint, quam Christus nobis sanguine suo comparavit? Nam primo generatim ad gratiam refert, non modo perfectionem, sed & rudimenta, ac velut incunabula poenitentiae: quis vero unquam, nisi Pelagiano spiritu adflatus, abnuit, ex Christi esse gratia perfectam poenitentiam? ad eam ergo, ex Soti doctrina, & priores conatus, & adumbrationes referendae sunt. Deinde, cujusnam, quaeso, nisi Christi, est superior illa potestas, quae misero peccatori, quem fortis Armatus custodit, & captivum tenet, praestat vel tantillum a potestate diaboli respirare? Denique, nemo hactenus adeo insanivit, ut pro alia, quam pro Christi gratia, & Augusti-

gustinum, & Romanos Pontifices Innocentium, & Celestinum; & Africanas Synodos, & Arausicanam, adversus Pelagianos, eorumque reliquias decertasse contenderet. Horum autem imprimis auctoritate, ac testimoniis nititur Sotus, ut Dei gratiae vel priores ad poenitentiam gradus, quos in fide, ac servili timore constituit, certissimis, ut ait, fidei Catholicae definitionibus vindicet.

Denique ait Sotus; ut suam de hac controversia mentem adhuc luculentius exponat; *Non negamus, fieri posse, ut detestetur peccatum impius, aut boni aliquid ex suo genere, ductus naturali ratione, & instinctu, faciat: sed nec poenitentiam aliquam, nec opus aliquod quo tantillum appropinquet ad Deum, aut disponatur ad gratiam, nisi a Deo adjutus, facere potest. Docet ita Paulus*; *quod* non sufficientes simus cogitare &c. *Et*: nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. *Quae verba saepe in hunc sensum interpretatur Augustinus: Nihil scilicet ad salutem pertinens non posse: Sicut & illud etiam*: „ Sine me nihil potestis facere. Haec autem Scripturae loca nonnisi de gratia Christi S. Augustinus exponit. Postquam enim ait libro de Praedestinatione SS. capite secundo, quod Paulo *donatum erat a Christo, non solum, ut crederet in eum, verum etiam ut pateretur pro eo*; continuo addidit: *Et ideo commendans istam gratiam, quae non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita*: „ non quia idonei sumus, *inquit*, cogitare aliquid quasi ex „ nobismetipsis &c. Et libro secundo contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium: *Dominus autem ut responderet futuro Pelagio, non ait*: Sine me *difficile* potestis aliquid facere: *Sed ait*: Sine me nihil potestis facere. *Et ut responderet futuris etiam istis* (qui ipsum velut rudimentum, & inchoationem bonae voluntatis, quo sanari cupimus, & credere incipimus, ex medicinali Christi gratia esse inficiabantur) *in eadem ipsa Evangelica sententia non ait*: „ Si- „ ne me nihil potestis perficere; *sed* facere ..... quo *uno verbo initium finemque comprehendit*. Et libro de Gratia Christi capite vigesimo quinto: *Quomodo dicit liberi arbitrii elatus adsertor*; Quod possumus bene cogitare, Dei est: quod autem bene cogitamus, nostrum est? *Cui respondet humilis gratiae praedicator*: Non quia idonei sumus cogitare aliquid &c. *Non enim ait*, posse cogitare: *Sed*, cogita-

gitare. Quum haec itaque Scripturae loca de gratia Christi S. Augustinus; ad quem Sotus provocat, interpretetur; constat, de eadem medicinali Christi gratia, & ipsum Sotum esse intelligendum, ad quam proinde ex ejus sententia referri debet, non modo caritatis, sed & fidei, ac servilis timoris initium. Nam solum eximit aliqua naturalis honestatis opera; quae non prorsus extincto rationis lumine, impius sine gratia exprimere potest. Quam Soti sententiam accurate adnotari velim; ne quis Duchesnius, dum superius legit: *Manet miser peccator viribus omnibus destitutus, potestati illius (diaboli) totus traditus*: existimet, fractas omnino esse, Soti opinione, per peccatum in impio naturae vires, nec liberum arbitrium sine gratia nisi ad peccandum valere, a qua profecto sententia hic Soti locus quamlongissime abest. Nam quod de quampluribus Augustini similibus testimoniis Petavio adnotatum est; in haec Auctoris nostri verba optime congruit: „ Quum de natura, *inquit* (a), Augusti-
„ nus lopuitur, liberove hominis arbitrio, peccato vitiatis, ac de-
„ liberatis; & ex altera parte gratiam iis opponit; de utroque lo-
„ quitur, secundum ea, quae cujusque propria sunt; hoc est, quae
„ singulis ex sese conveniunt, & ut seorsim, seposito altero spectan-
„ tur. *Et infra*: Cum de natura peccato corrupta agit Augustinus,
„ eamque cum Christi gratia contendit, sumit id, quod unicuique
„ per se ac seorsim convenit: non quod re, & effectu ipso, mutuo
„ ex amborum consensu, ac copulatione geritur. Liberum arbi-
„ trium in hac Adami faece, si praecidas a gratia, & illius opes
„ aestimes, nihil omnino boni... quod ad vitam aeternam refer-
„ tur.... designare, nedum persequi, ac perficere potest: Non
„ enim *sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed*
„ *sufficientia nostra ex Deo est*. Itaque hoc pacto naturam peccato vitiatam Sotus contemplatur, quum ait; manere miserum peccatorem viribus omnibus destitutum &c. nam liberum ejus arbitrium cum gratia contendit; ac propterea illud velut ab ipsa gratia divulsum, ac solitarium spectat; quo certe modo spectatum nihil eorum praestare valet, quae ad aeternam salutem, & Christianam pietatem pertinent: Sed iis tantum ejus virtus circumscribitur, quae in morum honestate versantur. His

(a) De Opific. sex dier. lib. 4. cap. 9. n. 7. & 8.

His, quae hactenus in medium adtulimus, alia quamplurima adiungi possent, ad Auctorem nostrum ab eo errore vindicandum, quem illi Duchesnius adscribit; quod *gratia praesentis status nihil sit aliud, quam caritatis inspiratio*. Sed haec satis superque esse videntur; praecipue quum de hac eadem quaestione, quod spectat ad Soti Epistolas ad Ruardum, supra etiam lato calamo disseruerimus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De secunda propositione, cujus Sotum Duchesnius facit auctorem.

„ Gratia hominis innocentis solam tri-
„ buebat boni operis potestatem;
„ Gratia Jesu Christi nunquam
„ ab actione disjuncta est.

Ea perperam Soto tribuitur.

De hac etiam propositione, ut eam Duchesnius Soti Epistolis adfingere non est veritus, superius disputatum est, & aperte demonstratum, neque ab innocentiae statu Theologum nostrum gratia vi sua efficacem rejecisse, neque a praesenti vitiatae naturae statu gratiam possibilitatis, quam congruo vocabulo *sufficientem* appellamus. Quod si cetera argumenta deessent, invicte demonstraretur argumenro illo, quod ex natura, & qualitate efficacis gratiae conficitur: hanc enim Sotus, ipsomet fatente Duchesnio, in physi-
„ ca praemotione constituit (*a*), sive in operatione Dei ab excita-
„ tione distincta, quam ille inter ipsam praeviam excitationem, &
„ liberum voluntatis consensum collocabat; quae Dei operatio po-
„ stea physica praedeterminatio appellata est. At nemo unquam eorum Theologorum, qui hanc opinionem sequuti sunt, negavit, aut negare potuit, ut nobis opus est gratia vi sua efficaci, ita homini inno-

(a) Grace efficace ou operation Divine distinguée de l'attrait, & que Soto plaçoit entre l'attrait & le consentement; operation que l'on a depuis nommée prédétermination physique *pag.* 16.

nocenti opus ea fuisse ad quodlibet pietatis opus exprimendum, & in accepta Justitia perseverandum: & contra, ut in homine innocente olim fuit; ita in nobis posse habere locum proximam bene agendi potestatem ab ipsamet bona operatione disjunctam. Nam quod ad primum adtinet; non ex sola naturae infirmitate & corruptione desumtae sunt rationes, quibus hanc opinionem illi, quos dixi, Theologi statuunt. Pleraeque sunt utrique statui communes; iisque fere Sotus usus est. Qui ergo gratiam vi sua efficacem ab innocentiae statu removisset? Praeterea, qui hanc opinionem tuentur, atque inter eos Sotus, physicam Dei operationem, uti Duchesnius observat, inter praevenientem excitationem collocant, & liberum voluntatis consensum. Quare fatentur, praeveniri posse, & quandoque etiam praeveniri re ipsa voluntatem *moralibus*, ut vocant, impulsionibus; nec tamen libere consentire, quod quum accidit, deest quidem voluntati gratia, quam vocant efficacem, & actionis; non tamen sufficiens, seu possibilitatis: alioquin haec vel ipsi primo Parenti defuisset, quum ab justitia defecit; quod Sotus apud Duchesnium negat. Itaque physicae praemotionis non est, ut ajunt, potentiam bene agendi constituere, sed constitutam ad actionem provehere. Quapropter in utroque statu potest proxima, & integra bene agendi potestas consistere, a bona tamen operatione disjuncta; ac proinde potest & gratia possibilitatis seu sufficiens, ab ea, quae efficax, & actionis dicitur, separari. Atque his manifeste congruit Sotus, quum ait, potuisse primum hominem non peccare, etsi physica illa praemotione, sive *auxilio gratiae, qua fieret, ut tentationi resisteret*, indigeret: ac posse similiter justos, *quasi*, ut idem ait Autor, *restituta* eis *gratia, quam Adam amiserat*, non peccare; etsi eadem & ipsis physica Dei operatio necessaria sit.

Et haec quidem sufficere possent ad Sotum nostrum ab eo, de quo nunc agimus, errore; quod nempe nulla sit in praesenti statu nisi gratia efficax; vindicandum: huic tamen aliud adjungere libet argumentum, quod ex dictis in praecedente Articulo promtum habeo. Statuimus enim cum Soto, ad Christi gratiam pertinere, non modo fidem ipsam, & firmam adhaesionem mentis ad ea quae divinitus revelata sunt; verum & quamlibet bonam cogitationem, & quid-

quidquid animo occurrit, eumque in errorum aut peccatorum tenebris quiescentem a somno excutit: *Divinae gratiae est in primo illo actu, non tantum fides ipsa, & propositum firmum credendi divinis assertionibus; sed & omnis bona cogitatio, & quidquid occurrit animo, maxime antea in peccatis quiescenti, quo incipiat Deo appropinquare; id totum divinae gratiae est*: Nec enim, *ut dixit Paulus*, sufficientes sumus aliquod cogitare ex nobis, quasi ex nobis. *Ubi, ut Augustinus inquit, omne evertit Pelagianorum meritum & conatum praevenientem gratiam. Quid enim prius est in omni bono, quam cogitatio ipsa?* Atqui bonae cogitationes, & inspirationes, quae fidem praeveniunt, & quibus ad credendum homines incitantur, saepissime eorum mentibus obversantur; nec tamen statim consensum extorquent: ergo si & ipsae, ut Sotus aperte decernit, ad Christi gratiam referendae sunt; falsum omnino est, quod Christi gratia nunquam sit a libero voluntatis consensu, & operatione disjuncta.

Praeterea docet Sotus, *in secundo actu*, quo ad veram poenitentiam disponimur, qui timoris est, ex Christi gratia esse, non modo quod aeternarum poenarum timor cor penetret, animumque configat, ac spiritum deprimat; verum ut earum quoque ipsa recordatio mentem subeat: *In secundo vero actu non minus ipsa gratia operatur*: Timorem, *inquit*, meum dabo in corda eorum, ut non recedant a me. *Nam hoc petebat Psalmus*: Confige timore tuo &c. *Itaque ut occurrant menti aeternae illae & terribiles poenae, gratiae est: ut postquam occurrerint, ingrediantur cor, & penetrent, ejus est, qui dicit*: „ Timorem meum dabo &c. At nonne ipsa experientia constat, aeternorum suppliciorum funestam imaginem aliquamdiu menti & cogitationi haerere, eaque impios diu noctuque vexari; qui tamen, hoc licet stimulo incitati, surgere ad Deum negligunt, & ad poenitentiae iter capessendum, segnes ac desides sunt? Quare si & ejusmodi bonas cogitationes Christi gratiae cum Soto vindicare debemus; non omnis hujus generis gratia cum operatione conjuncta est.

ARTICULUS TERTIUS.

De tertia propositione, quam Soto Duchesnius adfingit:

„ Quod gratia praesentis status non omnibus datur adultis; quod „ Infideles nullatenus ejus participes sunt: quod quan„ doque ipsis etiam Fidelibus, atque Justis, „ absque ullo ipsorum praecedente „ demerito, denegatur.

Soti de hac re veram germanamque Doctrinam omnis esse erroris immunem.

§. I.

Sotus ab impactis calumniis vindicatur.

QUod pertinet ad praesentem de gratiae distributione controversiam; triplicem, eumque gravissimum errorem, Theologo nostro Duchesnius imputat. 1. Quod non omnes Christus sanguine suo redemerit; (*a*) & quod inde consequens est, quod gratiam suam Deus non omnibus hominibus praeparaverit. 2. [*b*] Quod reipsa Infideles, in infidelitate preseverantes, gratiae Christi nullatenus participes sint. 3. Quod aliquando etiam Fidelibus, atque ipsis Justis, absque ullo praecedente demerito, subtrahatur. At nullis ejusmodi opinionibus & erroribus implicitum fuisse Sotum, facile est ostendere.

I. Enim conceptis ille apertisque verbis docet, *Christum pro* omnibus omnino hominibus mortuum esse, pro omnibus satisfecisse, ad

(a) Ravesteyn ne contéste aucunement à son Collegue ni l'universalité de la grace & de la redemption. &c. Leur concorde est donc parfaite en ce qui touche la foy & l'opposition aux sentimens du Jacobin. *pag.* 17.

(b) 3. La grace de l'état present n'est point donnée à tous les adultes, les Infideles qui perseverent dans leur infidelité n'y ont aucune part, elle est quelquefois refusée aux Fideles; & même à des Justes, sans qu'il y ait de leur faute. *pag.* 15.

ad omnes passionis suae meritum ordinasse (*a*): *Constat*, inquit, *Christum passione sua, & satisfecisse, & meruisse sufficienter pro omnibus, non tantum qui salvi fiunt, sed etiam qui damnantur, remissionem omnium peccatorum; & tam copiosam illam redemtionem esse, ut nullus sit terminus; sed, ut inquit Johannes*,, Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non tantum pro nostris, sed etiam pro totus Mundi ,,. Ex quo Fidei dogmate illud etiam fluit, quod Deus gratiam omnibus prorsus hominibus ob Christi merita praeparaverit. Proindeque a Ruardo, & Ravestenio in his, quae ad fidem pertinent, nullo pacto Dominicanus Theologus dissonat.

Haud secus ac praecedens, supposita Soto est a Duchesnio altera propositio: quod *Infideles, in infidelitate perseverantes, gratiae Christi nullatenus participes sunt*. Ac primum, vellem mihi indicari locum, in quo Sotus hanc propositionem prodiderit, nullus enim mihi adhuc occurrit; sed nec ullum Duchesnius designat. Quî vero designaret? quum in ea ipsa Epistola, de qua nunc agitur, contrariam Sotus opinionem tenuerit. Quam ego heic summa fide describam, ut suppositio vel ipsis Lectorum oculis subjiciatur.

I. Ergo Dominicanus Theologus non abnuit, ut saepe observatum est, *piam* vocari, ac *probabilem* opinionem, quae ad omnes homines coelestes *inspirationes, & sanctas cogitationes* diffundit. Demonstratum est autem supra praeclarissimis argumentis, nullam esse coelestem inspirationem, & sanctam cogitationem, quae non sit, auctore Soto, ad Christi gratiam referenda.

II. *Mihi*, inquit, *non improbabile videtur, multos nunquam inspiratione, aut bona cogitatione ad poenitendum, & recedendum ab infidelitate & peccatis a Deo tangi, propter plurimos Infideles suae Sectae devotissime addictos*. Non ergo indefinite ac generatim docet, Infideles gratiae Christi nullatenus participes esse; sed multos, sive etiam plurimos; eos nimirum, quos videmus *suae*, inquit, *Sectae devotissime addictos*. Id vero plurimum distat ab universali propositione, quam ei nuperus Historicus supponit: nec vero hanc doctrinam tamquam dogma proponit, aut veluti partem, ut ait Historicus, *Dogmatici systematis*; sed veluti opinionem haud improbabilem. Qua in

(a) Lect. 1. de Indulgent.

re, ut postea videbimus, ipsi cum Ruardo conveniebat: neque adhuc ullo Romanorum Pontificum decreto sancitum est, Christi gratiam esse ad omnes Infideles diffundendam; quum tamen universalis propositio, quam Soto Duchesnius tribuit, Alexandri VIII. Constitutione confixa sit.

III. Ait Sotus, quod *his* (scilicet Infidelibus suae sectae devotissime addictis) *dantur beneficia a Deo, propter quae juste sunt inexcusabiles, ut Paulus inquit : quod* inquit *Scripturae, & auctoritates Augustini, quas adducis, efficaciter probant*. Et infra: *Fatemur & nos, nulli ratione utenti denegata esse, quae ad verum Deum agnoscendum, & colendum sufficerent. Quod si denegata essent, non imputaretur; ut ad Romanos primo Paulus probat: sed gratiam bonae voluntatis effectricem : ... probat locus ille* (Act. 14. 15.) *eis denegatam*. Quibus verbis facile adducor ut credam, agnovisse Sotum in omnibus Infidelibus ejus generis auxilia sufficientia, quae Norisius, Macedo, aliique communius moderni Theologi agnoscenda esse contendunt. Laudati Norisii verba describam, quod ad haec Soti loca illustranda, plurimum ea valere existimem. „ Jam, *inquit* (a), superius ad-
„ verti, a Theologis auxilia sufficientia data Infidelibus, appellari
„ ab ipsis *remota*, & *remotissima*; in quo autem consistant, non con-
„ veniunt Scholastici; & P. Macedo in Scrinio Augustiniano capit. 2.
„ prolixa disputatione dubios monstrat & incertos quoscumque mo-
„ dos, quibus hactenus Doctores haec remota auxilia sufficientia,
„ Infidelibus a Deo collata, explicarunt. Et ut ceteros omittam,
„ Vasquez 1.2. disp. 189. cap. 14. & alibi tradit, ea auxilia remota
„ consistere in cogitatione congrua ordinis naturalis, quae est gra-
„ tia itidem ordinis naturalis, qua si bene utantur Infideles, ser-
„ vando legem naturalem, Deus postea confert iisdem gratiam pro-
„ xime sufficientem ordinis supernaturalis, qua proxime possint ad
„ fidem converti. At Suarez lib. 4. de Grat. toto cap. 14. acerrime
„ hoc auxilium sufficiens ordinis naturalis eo fine a Vasquio invec-
„ tum confutans, in fine concludit: *Propter haec ergo non videtur,*
„ *per illum dicendi modum convenienter fieri satis difficultati propo-*
„ *sitae, nec sufficienter vitari Semipelagianorum Doctrina*. Et capi-
„ te

(a) D.[illegible] V. Jansen. error. calumn. sublata cap.

„ te 15. num. 19. ait, in opinione Vasquez *non recedi re ipsa a* „ *sententia Cassiani, & Fausti*, qui duo fuerunt Semipelagianorum „ factionis principes. Idem vero Suarez, aliorum opinionibus gravi „ rationum pondere protritis, tandem cap. 15. num. 38. concludit; „ conditionem, sub qua Deus promisit Infidelibus, & omnibus adul- „ tis *proximum auxilium sufficiens ad salutem, seu fidem*, esse ne- „ gative intelligendum, idest, si homo ex parte sua impedimen- „ tum divinae voluntati non posuerit. Verum Vasquez in p. P. di- „ sput. 91. cap. 12. num. 98. hanc conditionem *per accidens removen-* „ *tem sola impedimenta* ad recipiendam gratiam, vocat assertum, *quo* „ *sane*, inquit, *meo judicio multi Massilienses contenti essent*. Viden, „ uti duo isti Theologi celeberrimi, in exponenda notione auxi- „ lii remoti Infidelibus collati, mutuo sibi Semipelagianismum ob- „ jiciunt. Itaque Norisius in re dubia, & obscura explicatu dixit „ pag. 92. *Vindiciarum*, dari Infidelibus a Deo auxilia tantum remo- „ ta, nempe cogitationes quasdam bonas, sed adeo debiles, ut vo- „ luntatem ad virtutem non pertrahant, cum eadem longo scelerum „ usu obcaecata indurescat „. Si ergo post tot doctissimorum homi- num his de rebus disputationes non habuit praestantissimus Theologus quid ad notionem auxilii sufficientis remoti Infidelibus collati illustrandam adferret: sed in re dubia, & obscura explicatu satis visum est hoc tantum generatim adserere, quod hoc genus auxilii non adfert homini Infideli nisi bonas quasdam cogitationes, sed adeo tenues: ut voluntatem longo vitiorum usu indurescentem ad virtutem reipsa amplectendam non inflectant: quid mirum, si longe antiquior Theologus satis habuit, generatim atque universe fateri; nulli homini rationi utenti denegata unquam fuisse, quae ad verum Deum agnoscendum colendumque sufficerent? Hac enim generali propositione complexus est quodcumque adjutorii genus, quod ad constituendam, ut ajunt, potentiam, necessiarium videri potest; ac reipsa hoc tantum excludit, quod per se & ἀμέσως actionem ipsam voluntatis adtingit; sive, ut ait, gratiam bonae voluntatis effectricem. Sed de his adhuc uberius articulo quinto disseremus.

Circa tertiam propositionem, quam Soto Duchesnius imputat; quod nempe Fidelibus, & ipsis etiam quandoque justis generatim

Chri-

inde vero Ruardum, imo & universos fere Doctores, & ipsammet Catholicam Ecclesiam pro eadem veluti pro fidei dogmate decertantes. Quum tamen Ruardus varias fuisse testetur Scholasticorum opiniones: neque adfirmantem, neque negantem valido scripturae testionio muniri; quaenam earum sit verior, difficillimum esse judicare; utramque posse absque periculo haeresis sustineri; denique negantem magis esse Augustino, & Conciliis Patrum consentaneam. Quae certe Ruardus nequaquam literis consignasset, nisi res comperta fuisset atque explorata: quum nemo non videat, ipsum magis in adfirmantem opinionem propendere, atque hoc a Soto distare, quod hic magis in negantem propensus esse videatur. Quamobrem utrinque Historicus falsus est. Nam utrique in eo conveniebat, quod haec controversia tunc temporis neutiquam ad fidem Catholicam pertineret.

§. III:

An Soti doctrina possit adhuc salva fide, & absque periculo haeresis sustineri.

SED ut sit, inquies, de Soti aevo; ejus tamen doctrina, absque nota haeresis, vel erroris, propugnari hac saltem tempestate non potest. Quare etsi tum fuerit ejus error excusatione dignus; erravit tamen, quum eam doctrinam ad fidem minime pertinere existimavit, quam postea ad fidem reipsa pertinere, Ecclesia declaravit. Jam quidem hoc ad sublevandum Historicum nihil facit, qui jam inde a Soti aetate Theologis inter se convenisse narrat, quod sententia, quae adjumenta divinae gratiae omnibus impertitur, pro fidei dogmate haberetur. Attamen ut narrationis ejus falsitas magis comperta sit, & Soti doctrina ab impacta ipsi temere erroris aut haereseos nota vindicetur: libet etiam paucis demonstrare, quodnam sit adhuc post novissimas Summorum Pontificum adversus Jansenium, & Jansenianos Constitutiones graviorum aliquot Theologorum de hac controversia judicium.

Itaque posse adhuc illaesa fide defendi, quod non omnes infide-

 les,

les, & qui dicuntur excaecati, & obdurati divinae gratiae luce perfundantur; communior esse videtur modernorum Theologorum opinio; qui tantum abest, ut ab ea propugnanda Romanorum Pontificum adversus Jansenium Constitutionibus deterreantur, ut iis maxime ad eam adstruendam nitantur. Observant enim, ac merito, quod quum Jansenii propositio non modo Justos, ac Fideles, verum etiam Infideles, atque excaecatos, & induratos complecteretur; iisque omnibus aliquando gratiam possibilitatis, seu sufficientem deesse aperte contenderet; ea tantum pars Apostolica censura confixa est, quae de Justis loquitur. Ita enim Jansenii propositio concepta erat; (a) *Haec igitur omnia plenissimae planissimeque demonstrant, nihil esse in Sancti Augustini doctrina certius, ac fundatius, quam esse praecepta quaedam, quae hominibus, non tantum infidelibus, excaecatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & justis volentibus, conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque illis gratiam, qua fiant possibilia.* Quum haec itaque omnia Jansenii propositione continerentur; cur quaeso ea, quae ad Infideles, excaecatos, & obduratos spectant, praetermissa sunt; nisi quia de iis tunc noluit Summus Pontifex pronunciare? Non enim illa de industria sublata fuissent, si de iis omnibus judicium ferre voluisset. Non hoc tamen argumento volumus, probatam fuisse Pontifici, quod pertinet ad Infideles &c. Jansenii propositionem. Quum enim partem illius doctrinae damnavit, non propterea cetera, quae omissa sunt, adprobavit: cum expresse Constitutione sua Pontifex declaraverit, hanc sibi non fuisse mentem: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super praedictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quae continentur in praedicto libro Cornelii Jansenii.* Hoc tamen argumento invicte probatur, nondum Apostolico decreto sancitum esse, quod gratia omnibus Infidelibus &c. ingeratur. „ Inde, *inquit P. Massoulié* (b), compertissimum est, minime ad errorem Jansenii pertinere, si quis „ obduratis, & excaecatis denegari a Deo gratiam contenderet, qua „ praecepta impleant. Cum enim in eodem Jansenii loco universalis-

(a) Lib. 3. de Gratia Christi cap. 13.
(b) To. 2. disput. ult. quaest. 3. art. 2.

„ lissima haec propositio referatur, *Infidelibus, excaecatis, obduratis, justisque* etiam interdum deesse gratiam, qua praecepta possibilia fiant; ultimam de Justis partem Sanctus Pontifex dumtaxat proscripsit; alteram vero intactam reliquit. Quae observatio praetermittenda non fuit, ne quis ultra quam debeat, imo & ultra quam Summus Pontifex voluerit, Pontificiam censuram extendat. Quis ergo hanc Duchesnio auctoritatem dedit, novos condendi de auxiliis divinae gratiae Christianae Fidei articulos? Et ad hunc quidem amplectendum promti, ac parati sumus, si quando Summo Pontifici hanc libuerit controversiam dirimere: Sed nolumus, nostrae fidei similes nobis homines dominari; nec ferimus haereseos notari doctrinam, quam clarissimi Theologi, & imprimis Catholici propugnarunt, & etiamnum propugnant. Scimus enim eorumdem Summorum Pontificum auctoritate, ac decreto sancitum esse, atque *in virtute sanctae obedientiae* praeceptum, *ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque se abstineant; & ut paci, & caritati consulatur .... tam in libris imprimendis, ac mss. quam in Thesibus ..... caveant ab omni censura, & nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur*. Quod sane Apostolicae Sedis sapientissimum, aequissimumque Decretum, nescio, an ullus unquam nupero Historico immanius violarit, qui tum passim Viros Catholicos, gravissimosque Theologos Baianae, & Iansenianae labis pulvere adspergit; tum opinionibus, quas nondum Ecclesia proscripsit, haereseos notam infigit. Nos autem, qui id nobis minime sumimus, cum laudato Theologo sustinemus, posse adhuc illaesa fide doceri; quod etsi omnibus gratiae suae adjumenta offerat Deus; iis tamen Infideles, excaecati, & obdurati in poenam praecedentium delictorum, quandoque careant: quae Soti opinio fuit; non autem quam illi per summam injuriam Duchesnius imputat (a) quod *ea omnibus Infidelibus, in infidelitate perseverantibus, denegentur*.

Massouliaei opinionem amplexus est etiam, Molinianis minime invisus Honoratus Tournelius, eamque tum iisdem, tum aliis etiam

 mo-

(a) Qu'elle (*la grace*) est refusée à tous les Infideles, qui perseverent dans leur infidelité. *p. 46*.

momentis communivit. Hanc enim quaestionem pertractans: (*a*) *Utrum dentur gratiae quaedam sufficientes excaecatis, & obduratis?* Lectores praemonitos esse vult. „ De mera Scholae quaestione hic, „ non de fide moveri quaestionem. Hoc enim unum hic fides statuit, Justis non deesse gratiam, qua possibilia ipsis sint Dei mandata. De solis Justis loquitur Concilium Tridentinum sess.6. cap.11. „ & Can.18. De solis etiam Justis actum est in prima ex quinque famosis Jansenii propositionibus. Quamquam igitur verissimum illud, ac certissimum habeamus, nemini mortalium Dei mandata „ ad observandum plane impossibilia esse, atque omnibus aliquam „ gratiae mensuram eum in finem liberaliter a Deo distribui, fides „ tamen de solis Iustis pronunciavit. Unde P. Massoulié &c. Verba hujus Authoris statim subjungit, quae superius descripta sunt.

Ejusdem opinionis est etiam Eminentissimus Meldensium Episcopus in Instructione Pastorali adversus Institutiones Theologicas P. Juvenin, iisdemque & ipse rationum momentis nititur: „ (*b*) Quoniam adhuc dogma Fidei non est, omnes homines, ut Infideles, „ & obduratos, gratiam habere actualem ad observandum praecepta, „ & orandum; propterea Ecclesia, quum vel in secundo Concilio „ Arausicano (*c*), vel in Concilio Tridentino (*d*), vel hac demum postrema aetate (*e*) definivit, mandata Dei possibilia esse; non omnes homines tribus hisce notissimis definitionibus comprehendit; „ sed eas vel ad solos Justos, vel ad Fideles, Jesu Christi adjutos gratia, coarctavit.

Quum celebris quidam Theologus huic opinioni erroris notam inu-

---

(a) De Grat. Christi Quaest. 8. art. 4.

(b) Et parce que ce n'est pas encore un point de foy décidé que tous les hommes, comme les Infideles & les endurcis aient la grace actuelle pour observer les préceptes & meme pour prier, c'est pour cela que quand l'Eglise a décidé dans le second Concile d'Orange, dans le Concile de Trente, & dans ces derniers temps, que les commandemens étoient posibles, elle n'a point compris tous les hommes dans ces trois fameuses décisions, & qu'elle les a toujours restraintes ou aux seuls Justes, ou aux Fidéles aidez de la grace de Jesus-Christ.

(c) *Hoc ..... secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante, & cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Conc. Arausic. cap. 25.

(d) *Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

(e) *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Prima inter damnatas Jansenii Proposit.

inurere visus esset, ad sedandam offensionem sequente publica declaratione coactus est (*a*): „ Profiteor insuper, quantumvis mihi per-
„ suasum sit, obduratos nequaquam omni carere interiori gratia,
„ quae ad implenda praecepta sufficiat; haud propterea voluisse me
„ ulla censura notare illos, qui nec pauci sunt, nec infimi nominis
„ Theologos e Catholicis, quos contraria in opinione, aeque in
„ Ecclesia permissa, versari, certum est: neque cum in praedicta po-
„ sitione dixi, errare illos, aliud a me intellectum esse, quam quod
„ fallantur.

Denique plurimi Galliarum Episcopi, qui anno 1720. *Doctrinae corpus*, ut vocant, adprobarunt, (*b*) temeritatis arguunt, qui hanc opinionem, quam plures, inquiunt, iique insignes Theologi docent, erroris damnare ausi fuerint.

Quo ergo jure Duchesnius opinionem, quam neque Concilium Arausicanum, neque Tridentinum, neque Romani Pontifices adhuc proscripserunt, Soto ipse velut haereticum articulum objicit? Eodem scilicet jure, quo ipsi libuit ejusdem Soti sententiam adulterare, ut eum securius veluti haeretici Systematis architectum apud ineruditum vulgus traduceret. Nam de quibusdam Infidelibus, quos, inquit, videmus Sectae suae devotissimos, Sotus loquitur; iisque, probabile judicat, quod nunquam divinae gratiae lumen adspiretur; etsi contrariam opinionem piam, ac probabilem vocari permittat: Sed apud Duchesnium hanc veluti certam sententiam promit, quod omnibus omnino Infidelibus gratiae sufficientis adjumenta denegentur. Denique, ut ostendimus, in auxiliis potius sufficientibus, quae proxima vocant, quam in remotis haec qualiscumque Ruardum inter ac Sotum controversia versatur. Nam neque Sotus negat, ulli rationi utenti deesse, *quae ad verum Deum agnoscendum, colend umque sufficerent*. Quibus verbis ea, quae modo auxilia remota dicimus, adumbravit: Sed apud Duchesnium non agnoscit Sotus in Infidelibus nisi naturam omni prorsus exarmatam divinae gratiae subsidio.

AR-

(a) Vid. Hist. Congregat. de Auxiliis lib. 3. cap. 48.

(b) Ce seroit une témérité de traiter d'erreur l'opinion de plusieurs sçavans Théologiens qui enseignent que la Grace suffisante est refusée aux aveuglez, & aux endurcis; & qui ne croient pas qu'elle soit donnée à tous les Infideles.

ARTICULUS QUARTUS.

De quarta propositione

„ Non est in potestate liberi arbitrii rejicere
„ gratiam, quum donata fuerit; & sine il-
„ la nec boni aliquid fieri potest, nec
vitari peccatum.

Eam Sotus aperte reprobat.

DUabus haec propositio partibus constat. Prima, quod gratiam Dei rejicere homo non potest: Secunda, quod sine gratia nec boni aliquid fieri potest, nec vitari peccatum. Et quidem de hac secunda parte satis superius disputatum est, quapropter solum circa priorem partem jam dictis, quum generatim, atque universe de libertate ageretur, superest aliquid adjungendum. Nam quod saepe mirati sumus, heic etiam quod miremur occurrit, ejus Sotum erroris insimulari, quem ipse in iis ipsis ad Ruardum Epistolis veluti compertissimam haeresim damnavit. Omissis autem pluribus testimoniis, quibus errorem, quem illi Duchesnius adfingit, Sotus data opera impugnat, duobus tantum contentus ero. Primo enim ad examen revocans Sotus, quae ad secundam quaestionem Ruardus rescripserat; scilicet bonum usum gratiae per vim esse, & naturam liberi arbitrii; nullam respondet sibi cum Ruardo esse controversiam, si hoc tantum velit, quod ipsummet liberum arbitrium, a Deo tamen motum, sic gratiae cooperetur, ut possit illam respuere: (a) *Dicis igitur, bonum usum gratiae, qui est respondere Deo vocanti, & Dei dona acceptare, nostri esse liberi arbitrii; ita videlicet, quod data gratia liberum maneat cuilibet per ipsam liberi arbitrii vim, & naturam ea uti*, ET EAM RESPUERE..... *De his certe nunquam dubitavimus, nec putamus, ab ullo dubitari posse, nisi qui omnino neget liberum arbitrium, quod non dubitamus, esse mani-*

(a) Col. 41.

nifestissimum errorem. Nos vero fatemur, gratiam Dei non auferre liberum arbitrium, sed semper nos libere ei cooperari, atque hac in re convenimus. Haec quidem ad haeretici dogmatis repellendam invidiam satis superque sunt. Sed est tamen alius in eadem Epistola locus, longe etiam praeclarior, ac luculentior, quem praetermittere ulla ratione non debeo: Sic enim habet:

Doces, (a) quod paribus existentibus meritis, electioni gratiae sit tribuenda salus, sed gratiae suadenti, & dirigenti, qua ita operamur, UT POSSIMUS IPSAM NEGLIGERE. *Unde ais, Deo dirigenti tribuendam totam salutem ejus, qui salvus fit; qui vero perit, sua culpa perit, inquis; quia vocatus, & suasus, non venit.* Haec Ruardi Sententia est, quae tribus hisce articulis continetur 1. quod gratiae suadenti, ac dirigenti salus hominis tribuenda est. 2. quod gratiam hanc suadentem, ac dirigentem possumus negligere. 3. quod etiam aliquando negligimus. Ex his vero duo sequentes articuli proficiscuntur. 4. quod Christi gratiam possumus negligere, & aliquando etiam negligimus. 5. quod Christi gratia non semper cum recta operatione conjuncta est. Quis enim Christianus ambigat, an gratia suadens, ac dirigens, cui salus hominis tribuenda est, in censum gratiae Christi referenda sit? De hac vero ait Ruardus, quod illam & negligere possumus, & aliquando negligimus, ac proinde recta operatione frustramus. Qui hos ergo articulos pro totidem fidei dogmatis habuerit; an tibi videbitur, Lector, cum Baianis docere, quod Christi gratiam nemo rejicere potest? Atqui Sotus haec omnia pro Fidei dogmatis habet: Nam statim post superiora verba subjungit: *In his igitur* OMNIA VERBA *nobis* UT FIDEI DOGMATA *probantur*. Praeclarius certe non potuit, atque disertius Catholicum dogma adversus futuros Baianos, & Jansenianos stabiliri. *Omnia, inquit, verba nobis ut Fidei dogmata probantur.* Non solum in illis Ruardi verbis nihil reprehendit, sed omnia, ut Fidei dogmata probat, ac proinde in iis, quae pertinere ad liberum arbitrii cum divina gratia concursum, Fides docet, una erat Soti, ac Ruardi sententia: atque hoc uno Dominicanus Theologus cum Lovaniensi Cancellario digladiabatur; quod nullum iste discrimen inter

(a) Col. 57.

ter vocationem, quam vocatus reapse sequitur, & cui re pariter ipsa refragatur, agnosceret; ille vero contenderet, aliquid esse discriminis admittendum. Quare superioribus statim addit: *Nec aliquid desiderandum esset, nisi quod aperte dicis, eum, qui venit ad Christum; & eum, qui non venit, aequaliter vocatum, & suasum*. Hoc igitur uno tota haec inter eos controversia circumscripta erat: An aequalis esset vocatio eorum, qui Deo vocanti se morigeros praebent, & eorum, qui reluctantur. At quum hac de re diversam Sotus a Ruardo sententiam amplexus est, non se a Catholicis, sed a futuris Molinianis disjunxit; nec se proinde futuris Baianis, & Jansenianis conjunxit, sed Thomisticae Scholae placitis firmiter, ut par erat, adhaesit.

ARTICULUS QUINTUS.

De quinta propositione.

„ Subtractio gratiae non impedit, quominus voluntas ad bonum, & „ ad malum libera sit: quoniam auxilium efficax semper recipere potest: quoniam legem voluntarie transgreditur: „ denique quoniam necessitas transgressionis non „ oritur, nisi ex extrinseco impedimento; ex „ eo nimirum, quod gratia efficax denegetur.

Quae de his rebus Soti mens, ac sententia fuerit.

TRes isthaec propositio partes complectitur; quae quo pacto intelligendae sint, quamvis ex iis, quae hactenus disseruimus, satis superque exploratum Lectoribus esse existimem; habeo tamen quae adhuc in singulas animadvertam, ut magis magisque innotescat Historici in iis concinnandis, ac Soto tribuendis propositionibus artificium.

§. I.

De prima parte quintae propositionis.

„ Subtractio gratiae non adimit arbitrii libertatem „ ad bonum, quoniam semper auxilium effi- „ cax recipere voluntas potest.

UT Soti mentem perspectam habeamus, atque in iis censoria virga notandis Duchesnii propositum adsequamur; sciendum est, id maxime Soto in Ruardi systemate displicuisse, quod eos, qui auxiliis divinae gratiae, ipso etiam fatente, quandoque destituuntur, non solum carere diceret ad pietatis opera libero arbitrio; sed iis etiam non imputari, quod ad Deum non convertantur, quemadmodum si ob naturale aliquod impedimentum converti ad ipsum non possent. Hinc Pharaonis inobedientiam culpa vacasse docet, quoniam, ut ait S. Augustinus (*a*), *obdurato corde obtemperare non poterat*, ac generatim quoscumque excaecatorum, atque obduratorum pravos, & inhonestos actus, ex ejus opinione, culpa vacuos esse oportebat, quoniam in hanc mentem haec ille interpretabatur ejusdem S. Augustini verba: (*b*) *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras; neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis*, perinde atque istiusmodi hominum culpa in eo tantum posita esset, quod voluntarie Dei lucem, & adjutorium repellunt, sed rei non essent eorum scelerum, in quae deinceps sese praecipites agunt: quae deinde quorumdam laxiorum Casuistarum opinio fuit.

Duchesnius vero eam Ruardi sententiam, quod liberum ad pietatis opera arbitrium pessum ire, ac funditus everti necesse sit, si gratia careat, non modo amplectitur; sed eam quoque inter Fidei dogmata recenset (*c*), in quibus contra Sotum Ruardo, ac Ravestenio

(a) Exposit. quarumdam proposit. ex Epist. ad Rom. n.62. (b) Lib.3. de lib. Arbit. cap. 19.

(c) Du reste Ravesteyn ne conteste aucunement à son Collegue ..... que la ruine du libre arbitre pour les œuvres chrétiennes ne suive de la soustraction de la grace. Leur concorde est donc parfaite en ce qui touche la Foy, & l'opposition aux sentimens du Jacobin. *pag.*27.

conveniebat. Quae sententia si vera est, inlaesa fide in dubium revocare non possumus, quin quotquot sunt, ac fuerunt unquam in universo Terrarum orbe infideles, vel nunquam suae Religionis mysteria aut mente versarint, aut opere exercuerint, ac non divina luce perfusi fuerint, aut saltem ad Dei opem implorandam divinitus excitati; vel culpa immunes fuerint profani eorum, ac sacrilegi ritus. Nam quemadmodum Religionis nostrae mysteria amplecti non potest Infidelis sine gratia; ita ut plurimum nec Sectae suae dogmata, ac decreta, quibus ab infantia innutritus est, ingenitae libertatis viribus abjicere, ac repudiare. Quare si ad pietatis opera funditus everteretur liberum arbitrium, nisi adesset homini gratia; etiam ad deponendos superstitionis sensus jam inde a puero pectori insculptos, exutus gratia, careret homo libero arbitrio: ac proinde vel nunquam suae religionis mysteria tractat, quin protinus illi gratia coelestis adfulgeat; vel culpa immunis est, quum profanos, ac sacrilegos ritus exercet; vel culpae reus est, quamvis liberum arbitrium exstinctum in eo sit.

Sotus ergo quamvis cum Ruardo *piam* vocet, ac *probabilem* opinionem, quod nemo sit, qui non aliquando divinae gratiae lumine perfundatur; attamen concoquere non potest, quod in homine exstinctum ad pietatis opera liberum dicatur arbitrium, quum gratia deficit; vel quod gratia destitutus culpa vacet, quum divinae legis praecepta voluntarie transgreditur. Ait ergo, ac pluribus tum rationibus, tum Augustini auctoritatibus, tum Romanorum Pontificum, & Conciliorum testimoniis demonstrat, indivulse inesse homini liberum etiam ad pietatis opera arbitrium *ante omnem gratiam*. Praecipue vero sequentia ipsius verba notanda sunt: (*a*) ,, Sed ut
,, apertius dicamus; quid de hoc Augustinus, & Ecclesia sentiant,
,, in duobus his putavimus esse constitutum; 1. videlicet, quod in
,, omni homine, sive ante peccatum, sive dum peccat, sive post,
,, & tandem quocumque statu, & tempore, manet liberum arbi-
,, trium. 2. quod peccatum infirmum, atque attenuatum est, ita
,, ut non nisi per gratiam bonum aliquod facere possit.

,, Hoc

(a) Epist. 2. col. 43.

„ Hoc aperte Innocentius in Epistola ad Carhtaginense Concilium, & in alia ad Milevitanum dicit: Quae & Celestinus Papa in Epistola ad Episcopos Galliae cap. 4: & 7. * citat, & tanquam Catholica Dogmata ab omnibus teneri jubet: ubi per liberum arbitrium hominem demissum in profundum, unde non possit resurgere nisi per gratiam; quodque nemo nisi per ipsam bene uti possit libero arbitrio, asseritur. Ubi patet, non ipsum liberum arbitrium doceri perditum, sed bonum ejus usum. Quod apertius dicitur in Concilio Arausicano cap. 13. &c. in quo cap. 25. adductis multis auctoritatibus Scripturae, subjungitur: *Secundum supra scriptas Scripturae sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitio, & praedicare debemus, & credere, quod per peccatum ita attenuatum sit, & inclinatum liberum arbitrium, ut nullus possit aut Deum diligere sicut oportet, aut credere in Deum*: quae verba maxime ex Augustino mihi sumta videntur, potissimum ex Epistola ad Bonifacium, sive Paulinum CVI. * ubi inter duodecim errores, quos damnatos esse Ecclesiasticis Conciliis contra Pelagium dicit, hic est decimus; *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio*: & inter veritates fidei contrarias illis erroribus, ita contra hunc dicit; *Fateantur, esse liberum arbitrium, etiamsi indigeat adjutorio Dei......* Contra quae omnia aperte dicunt, qui liberum arbitrium in peccatoribus negant. Sed libertas, qualis in Adam fuit ab omni servitute peccati, & miseria, dicitur ab Augustino non esse in peccatore; fortis scilicet & robusta virtus ad bene operandum: libertas tamen vera, a coactione & necessitate immunis in omnibus conceditur ab Augustino, imo & ab Ecclesia.

In his ergo tribus Ecclesiae & S. Augustini doctrinam de libero praesentis status arbitrio positam esse, docet Sotus.

I. Non omnino exstinctum esse per peccatum ac funditus eversum liberum voluntatis arbitrium.

II. Attenuatum esse, & adeo in deterius inclinatum, ut suis vi-

* Seu potius Capitula huic Epistolae subjecta, cap. 1. & 4.

* Epist. nov. edit. 86. ad Paulinum.

viribus sine gratia adsurgere non possit ad diligendum **Deum**, sicut oportet &c.

III. Periisse quidem per peccatum primaevum liberi arbitrii statum, quo erat & miseriis, & peccati vinculis expeditum: at superstitem in eo esse, quam vocant *activam indifferentiam*, qua, nulla trahente necessitate, in hanc illamve partem suopte nutu ac momento vergere possit.

Haec porro tria ad Ecclesiae doctrinam, uti Sotus observat, & fidem Catholicam pertinere; certa mihi atque explorata sententia est. Nam primo liberum arbitrium peccato exstinctum non esse, sed viribus attenuatum, atque in deterius inclinatum, praeter Concilium Arausicanum, docet etiam conceptis verbis Concilium Tridentinum; quum, *omnes homines*, ait (*a*), *in praevaricatione Adae innocentiam perdidisse, immundosque factos, usque adeo servos esse peccati, & sub potestate Diaboli; ac mortis; ut non modo Gentes per vim naturae: sed ne Judaei quidem per ipsam literam legis Moysi, inde liberari, aut surgere possent: tametsi in eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum*. Quibus verbis, uti Cl. Petavius animadvertit (*b*), ab Tridentinae Synodi Patribus praescripta nobis est de hac re judicandi loquendique formula. Non ergo dicendum est, *exstinctum* fuisse primi Hominis praevaricatione aut *eversum* liberum voluntatis arbitrium, sed *viribus attenuatum & inclinatum*, si ad constitutam hac de re Tridentinis Patribus regulam verba exigenda sunt. Quo ergo jure Duchesnius novum hunc confingit Catholici dogmatis articulum, quod subtracta gratia liberum corruat ad pietatis opera arbitrium? Hoc enim S. Augustinus definit (*c*) esse *vim mediam, quae vel intendi ad fidem vel inclinari ad infidelitatem potest*; neque ait a Redemtore, vel Justificatore per gratiam, sed *naturaliter adtributum a Creatore animae rationali*. Inest ergo homini ad fidem, & ad pietatis opera liberum arbitrium ex conditione naturae, ac proinde ante omnem gratiam, ut optime Sotus animadvertit. Quod & alibi idem S. Augustinus non minus aperte

(a) Sess. 6. cap. 1.
(b) Lib. 4. de Opere sex dierum cap. 1.
(c) Lib. de Spiritu & lit. cap. 33.

aperte luculenterque significat dicens (*a*), quod *nisi obtineamus, non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & male uti malus potest, sed etiam voluntatem bonam, quae jam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse: nescio, quemadmodum defendamus, quod dictum est*. Quid enim habes, quod non accepisti? *Nam si nobis libera quaedam voluntas a Deo est, quae adhuc potest esse, vel bona, vel mala; bona vero voluntas ex nobis est; melius est id, quod a nobis, quam quod ab illo est. Quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur, etiam bonam voluntatem nos divinitus adipisci*. Quibus verbis tum liberum voluntatis arbitrium in naturalibus bonis aperte numerat; tum perspicue docet, quid ex Deo nobis sit tamquam naturae conditore, & quid ex ipso habeamus tamquam naturae reparatore per gratiam: ex Deo scilicet naturae conditore media illa nobis vis ac facultas inest, quae huc atque illuc suopte nutu atque arbitratu flectitur, & cujus esse potest tum bonus, tum malus usus: sed ex Deo per gratiam habemus, ut haec eadem libera mediaque vis & facultas ad verum bonum prosequendum excitetur, & inclinetur. Quapropter quemadmodum ingruentibus tenebris non eripitur oculo potestas videndi, neque homo errore deceptus amittit facultatem intelligendi; neque quum corporaliter, aut spiritualiter illuminatur, vim facultatemque videndi, aut intelligendi recuperat: ita neque arbitrii liberam facultatem amittit homo, dum gratiae lumine destituitur; neque omissam recipit, quum eadem divinae gratiae luce perfunditur. Inest ergo, atque indivulse haeret homini liberi potestas arbitrii, quae neque peccato evertitur, neque per gratiam vel datur, vel eripitur, sed sanatur; ut sequentibus verbis eleganter docet Auctor Librorum de Vocatione Gentium: (*b*) *Nec quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere. Quod ne tunc quidem perdidit, quando Diabolo voluntate se dedit: a quo judicium voluntatis depravatum est, non ablatum. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem*.

Nec

(a) Lib.2. de Peccat. merit. & remission. cap.18.
(b) Lib.1. cap.3.

Nec solum Veteres, sed moderni etiam ex ipsamet Societate Scriptores in eamdem consentiunt veluti certam indubitatamque doctrinam: duorum tantum testimonia referam, quorum gravior esse videtur & insignior auctoritas, Petavii nimirum, & Eminentissimi Bellarmini. Petavius: „ Adjuvatur ergo, *inquit*, (*a*) liberum arbitrium a gratia, non aut datur, aut eripitur „ Quod ille per plura capita innumeris S. Augustini testimoniis demonstrat, atque illo maxime, quod supra relatum est ex libro secundo de peccatorum meritis & remissione: *Voluntatis arbitrium esse, quod huc, atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & male uti malus potest*. His enim S. Doctoris verbis haec statim laudatus Auctor subjungit: (*b*) „ Quare naturalis liberi arbitrii facultas ex „ se hoc habet, etiam seposita Christi gratia, ut ad bonum malumque „ indifferens sit, & *huc, aut illuc flecti possit*: tametsi bonum absque „ illa gratia saltem aut constanter, aut ad aeternam vitam pertinens, „ non possit eligere „ . Non ergo Petavius pro fidei dogmate habebat, quod subtractione gratiae liberum ad pietatis opera profligetur arbitrium.

Eamdem doctrinam non minus perspicue tradit laudatus Eminentissimus Bellarminus: (*c*) „ Homo, *inquit*, ante omnem gratiam „ liberum habet arbitrium, non solum ad opera naturalia, & mora„ lia, sed etiam ad opera pietatis, & supranaturalia. Docet hoc „ S. Augustinus in libro de Spiritu & litera cap. 33. ubi dicit, libe„ rum arbitrium esse vim naturalem & mediam, quae ad fidem, & „ infidelitatem inclinari potest . . . . . Idem etiam probatur ratione. „ Nam liberum arbitrium non potest dari, nec tolli per gratiam, ne„ que per peccatum; Manet igitur ante gratiam, & post peccatum. *Et in alio Capite*: „ Catholici, *inquit* (*d*) agnoscunt liberum arbi„ trium in homine etiam antequam eum divina gratia praeveniat, „ quia liberum arbitrium est res naturalis, quae per peccatum non „ amittitur. „ In hac ergo generali adsertione, quod liberum arbitrium ad pietatis opera sit in homine ante omnem gratiam, cum Soto

Peta-

(*a*) Lib. 4. de Opere sex dier. cap. 3.
(*b*) Ibid. cap. 6.
(*c*) Lib. 6. de Grat. & lib. arb. cap. 15.
(*d*) Ibid: cap. 13.

Petavius, & Bellarminus consentiunt; imo hanc esse Catholicorum sententiam laudatus Cardinalis testatur.

Ne vero, quod non raro accidit, in solo putentur nomine convenire; pergam ostendere, eamdem Soto ac laudatis Auctoribus, quum de hac re differerent, liberi arbitrii haesisse notionem. Primum enim Petavius observat, & ex plurimis, quae congesserat, S. Augustini testimoniis colligit [a]:,, liberum arbitrium dupliciter accipi, ac
,, duos ejus distinguendos esse status: unumnaturalem, & homini in-
,, situm: alterum naturae divinitus additum, quem *supernaturalem*
,, vocant. Prior est ingenita ipsa facultas, qua pro libito potest vo-
,, luntas hominis alterutrum e duobus eligere: quorum videlicet
,, neutri necessario est affixa: ut saepius repetere cogimur. Hoc enim
,, libertatis genus oppositum est necessitati uno aliquo definienti, ac
,, circumscribenti: quae deliberationem omnem, & consilium, ac li-
,, beram eligendi potestatem incidit: sine qua προαίρεσις esse nequit,
,, quam Latini liberum vocant arbitrium. Posterior est laudabilis,
,, & a gratia profectus libertatis status ejusmodi, ut voluntas ad bo-
,, num, & id, quod gratum Deo est, amplectendum, & eligendum
,, possit eniti, peccati, sub quo captiva tenebatur, vinculis expe-
,, dita: & cupiditatis, ac concupiscentiae laqueis, & illecebris ex-
,, plicata. quo tanquam visco, & glutino ad rerum caducarum amo-
,, rem, & voluptatem implicatae illius erant pennae, ne sursum evo-
,, lare posset. Ex his duobus priorem constat inter Catholicos, imo
,, vero inter omnes, qui paullo plus brutis animantibus sapiunt, post
,, peccatum primi parentis exstinctum non fuisse. Non enim natura
,, ipsa per peccatum erepta est homini, aut nativa vis, & propietas
,, ulla.,, Haec de primo liberi arbitrii statu, quem natura insitum dicit, & positum in indifferente ad utrumlibet potestate, seu nativa rationalis animae facultate nulla circumscripta necessitate. De altero vero statu subjungit:,, Firmissime illud asserendum est, quod ex
,, Augustini doctrina hucusque confecimus, ejusdemmodi, quale
,, ante lapsum fuit in Adamo, in hujus esse stirpe liberum arbitrium,
,, quod ad naturam ipsam adtinet: etsi quidquid erat gratiae, & or-
,, natus naturae captu praestantioris ei inditum, culpa illius exstin-
,, ctum

(a) Ubi supra cap. 7. §. *Ex tot &c.*

„ ctum sit, ac nonnisi Christi meritis & gratia recuperetur. Hunc
„ ipsum naturae superiorem viribus, ac plenum divini splendoris &
„ roboris, humani statum animi, saepe Augustinus liberum arbi-
„ trium simpliciter vocat, & amissum esse primi peccato parentis af-
„ firmat.

Duplicem hunc liberi arbitrii statum aperte etiam ac perspicue, verbis, quae supra descripta sunt, Dominicanus Theologus distinguit; ac primum, quem perinde ac Petavius, in nativa rationalis animae facultate constituit, quae nulli sit obnoxia necessitati, post lapsum primi parentis in homine superstitem dicit: alterum vero periisse docet, quo Adam primaeva innocentia praeditus fruebatur: *Libertas qualis in Adam fuit ab omni servitute peccati, & miseria, dicitur ab Augustino non esse in peccatore*; *fortis scilicet & robusta virtus ad bene operandum*: En, quem posteriore loco Petavius describit, liberi arbitrii status. De priore vero haec Sotus subjungit: *Libertas tamen vera, a coactione, & necessitate immunis, in omnibus conceditur ab Augustino, & imo ab Ecclesia*. Atque ad hanc regulam exigit, & invicem conciliat, quae in speciem contraria esse videntur, plurima S. Augustini testimonia.

Eadem fere habet, sed aliis verbis effert, Eminentissimus Bellarminus: „ Habet homo, *inquit*, (*a*), ante omnem gratiam, po-
„ tentiam remotam, & imperfectam ad opera pietatis facienda. Do-
„ cet hoc idem Augustinus libro de Praedest. SS. cap. 5. *Posse babe-*
„ *re fidem, & caritatem, naturae est hominum*. Idem libro de Gra-
„ tia Christi cap. 1. citat Ambrosium his verbis: *Naturalem possibi-*
„ *litatem, peccato esse vitiatam, enervem, infirmamque, testatur*
„ *venerandus Ambrosius* . . . . . Denique intelligi non potest, quo-
„ modo ad opera pietatis active voluntas humana concurrat, si non
„ habeat ex se potentiam activam, saltem remotam. Est haec secunda illius Capitis propositio, cui tertiam Eminentissimus Auctor adjungit, qua decernit: „ quod non habet homo ante omnem
„ gratiam, potentiam proximam, & perfectam ad opera pietatis;
„ & ideo nihil omnino in hoc genere ex se facere potest „. Quod probat auctoritate S. Augustini libro primo Retract. cap. 22. „ *In*
„ *pote-*

(a) Ubi supra.

„ *potestate*, inquit, *hominis est, mutare in melius voluntatem: sed ea* „ *potestas nulla est, nisi detur a Deo, de quo scriptum est*: dedit eis „ potestatem filios Dei fieri.

Quemadmodum cum Petavio, ita cum Bellarmino ad amussim consonat Sotus noster: easdem enim atque ille propositiones statuit, & iisdem S. Augustini auctoritatibus confirmat.

Nam I. esse in natura, seu nativa facultate liberi arbitrii, ante omnem gratiam, potentiam saltem remotam ad opera pietatis facienda, probat perinde ac Bellarminus ex lib. de Praedest.SS. cap. 5. *Posse habere fidem &c.* Ubi inter cetera observat [a], quod *S. Augustinus aperte dicit: potentiam ad exercenda opera pietatis esse in ipsa natura*: inde vero hanc elicit consecutionem: *Ergo etiam absque alia gratia est homo liberi arbitrii*.

II. Quod haec potentia seu facultas liberi arbitrii, ex mente Dominicani Theologi, sit activa: ex eo constat, quod, ut supra observatum est [b], pro fidei dogmate Sotus habet; *Bonum usum gratiae ab ipso nostro libero arbitrio produci, ab ipsa ejus natura libere promanare*. Quod a nemine ait in dubium posse revocari, *nisi qui omnino neget liberum arbitrium*; *quod*, inquit, *non dubitamus, esse manifestissimum errorem*. *Nos vero*, subjungit, *fatemur, gratiam Dei non auferre liberum arbitrium, sed semper nos libere ei cooperari.* Non autem, ut merito Bellarminus animadvertit, intelligi potest, quî valeat bonus gratiae usus ex ipsa liberi arbitrii natura libere promanare, & quî possit ad opera pietatis divinae gratiae humana voluntas libere cooperari, nisi ex se potentiam habeat activam, saltem remotam.

III. Quod non habeat homo, ante omnem gratiam, ut Bellarminus scitcit, potentiam proximam, & perfectam ad opera pietatis; & ideo nihil omnino in hoc genere ex se facere possit; perspicue ac luculenter sequentibus Sotus verbis declarat; quibus hanc Ruardo usurpatam, veluti Augustinianam loquendi formulam, reprehendit; „ [c] Bonum usum gratiae esse liberi arbitrii, & per vim &

 „ natu-

(a) Epist. 2. col. 54.
(b) Vid. Art. praeced.
(c) Epist. 2. col. 53.

„ naturam liberi arbitrii. *Liceat*, inquit, *mihi fateri, quod sentiam: non puto, aliquid magis esse contra Augustinum; nec apertioribus verbis asseri posse, gratiam non esse necessariam. Quid est*; per vim, ac naturam suam; *nisi absque superioris caussae, & virtutis adjutorio?.... Si ergo liberum arbitrium per vim at naturam suam hoc operatur, non eget gratia*. Et infra laudatam Bellarmino ex libro primo Retractationum S. Augustini auctoritatem adfert, atque ostendit, quam illa Ruardus insigniter abuteretur; *In potestate quippe hominis est &c.* Ait enim: *Quomodo ergo* (S. Augustinus) *per vim ac naturam suam liberum arbitrium dicit posse; quod dicit, non posse, nisi a Deo per gratiam detur*? Utrumque ergo ex S. Augustino docet Sotus; esse nimirum in natura liberi arbitrii potentiam ad pietatis opera; nec ea tamen posse hominem exercere, nisi a Deo, per gratiam naturae adjunctam, acceperit potestatem. Quae duo certe aliter conciliari non possunt, nisi alterum intelligatur de potentia remota, & imperfecta; alterum de proxima, & perfecta.

His ergo animadversis facile intelligitur, quid Sotus velit, quum ait, quod *libertas arbitrii naturalis* (ab Augustino) *asseritur ante omnem gratiam; hoc est, possibilitas ad opus pietatis, & oppositum*. Et: *Hanc possibilitatem ad bonum actum esse ipsam dumtaxat capacitatem gratiam suscipiendi: quo fit, ut hic verum sit illud Philosophi*: „ Quod per amicos &c. Loquitur enim Sotus de potentia activa remota liberi arbitrii ad opera pietatis; quae non evadit proxima nisi per gratiam, quae Dei amicis semper parata est, & nunquam deest, nisi illam sponte rejiciant. Capacitas ergo suscipiendi gratiam ideo in libero invenitur arbitrio, quoniam talis naturae facultas est, ut possit divinae gratiae libere consentire, & cooperari. Quapropter his verbis, quae Duchesnius arguit, utrumque Sotus docuit, quod a Bellarmino, & Petavio traditum est; nimirum, potentiam activam remotam ad opera pietatis esse in libero arbitrio per naturam; proximam vero illud non adipisci nisi per gratiam. Quod & S. Bernardus longe ante Sotum eodem quidem sensu docuit, sed multo uberius atque elegantius sequentibus verbis exposuit: (a) *Quid igitur agit, ais, liberum arbitrium? Breviter respondeo: Salvatur.*

Tolle

(a) Lib. de Grat. & lib. Arb. cap. 1.

Tolle liberum arbitrium, & non erit quod salvetur: tolle gratiam, non erit unde salvetur. Opus hoc sine duobus effici non potest: uno, a quo fit; altero, cui, vel in quo fit. Deus auctor est salutis: liberum arbitrium TANTUM CAPAX; nec dare illam nisi Deus; nec capere valet, nisi liberum arbitrium. Quod ergo a solo Deo, & soli datur libero arbitrio; tam absque consensu esse non potest accipientis, quam absque gratia dantis. Et ita gratiae operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum salvatur. Consentire enim, salvari est. Proinde pecoris Spiritus salutem hujusmodi minime capit, eo quod illi voluntarius consensus desit, quo salvanti, videlicet Deo, placide obtemperet, sive jubenti acquiescendo, sive pollicenti credendo, sive reddenti gratias agendo. Quae profecto S. Bernardi verba παραφράσεως, & commentarii instar esse videntur iis, quae paullo ante ex Soto descripta sunt. Ait enim, liberum arbitrium ex se ac suapte natura non esse nisi capax salutis: ideo vero capax esse salutis, quoniam divinae gratiae consentire libere potest & cooperari: ideo divnae gratiae consentire & cooperari libere potest, quoniam homo pecoribus praestat, & naturae rationalis, & ad imaginem Dei conditus est. Quapropter quum capax dicitur suscipiendi gratiam, breviter significatur, & esse in illo potentiam activam remotam ad opera pietatis per naturam, & proximam adjungi illi per gratiam. Quae, ut vidimus, Soti, perinde ac Bellarmini, & Petavii, & omnium Catholicorum sententia est.

§. II.

De secunda parte ejusdem quintae propositionis.

„ Subtractio gratiae non adimit homini libertatem, quoniam „ legem voluntarie transgreditur.

EX iis, quae superiore §. disputata sunt, satis constare arbitror; perperam Duchesnium inter fidei dogmata recensere, quod subtractione gratiae liberum ad pietatis opera evertatur arbitrium: quum potius Conciliorum & Patrum auctoritate sancitum sit, pecca-

to & amissione gratiae extinctum non esse, sed attenuatum & inclinatum; ut nec bonum moralis honestatis constanter tenere valeat; & ad bonum eligendum, quod ad vitam referatur aeternam, potentia quidem activa praeditum sit, sed remota; proximam vero non possit, nisi per gratiam recuperare. Hanc vero proximam potestatem non requirit S. Bernardus, ut sit homo ad pietatis opera liberi arbitrii. Ait enim, (a): *Manet ergo, etiam post peccatum, liberum arbitrium, etsi miserum, tamen integrum. Et quod se per se homo non sufficit excutere a peccato, sive miseria, non liberi arbitrii signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum* (quas *consilii*, & *complaciti*; sive *a peccato, & a miseria*, superioribus capitibus vocat) *privationem. Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in se est, pertinet, aut aliquando pertinuit, posse, vel sapere, sed tantum velle: nec potentem facit creaturam, nec sapientem, sed tantum volentem. Non ergo si potens, aut sapiens, sed tantum si volens esse desierit, liberum arbitrium amisisse putanda erit*. Quorum verborum hic esse videtur sensus; liberum arbitrium indiget potentia & sapientia, non ut sit liberum arbitrium, sed ut sit validum & robustum, & ad pietatis opera expeditum: quemadmodum oculus seu potestas videndi lumine indiget, non ut sit oculus videndi facultate praeditus; sed ut sit lucidus, & ad videndum aptus & accommodatus. Quare sicut oculus tenebris circumfusus, est quidem oculus, sed tenebrosus: ita liberum arbitrium vitiorum tenebris obrutum, & gratiae lumine ac praesidio destitutum, liberum quidem est, sed tenebrosum, eique ad praestanda, quae pietatis sunt, nullae omnino suppetunt vires. Quod etiam praeclare S. Bernardus sequentibus verbis declarat: (b) *Quod si velle bonum tantum non poterit* (al. *tantum perit*) *signum est, quod ei desit liberum, non arbitrium, sed consilium. Si autem non quidem velle, sed ad id, quod jam vult, bonum, ei posse defuerit; noverit sibi deesse liberum complacitum, non liberum periisse arbitrium ...... Et quomodo voluntas, etiam posita in miseria, non desinit esse voluntas, sed dicitur, & est misera voluntas ..... ita nec liberum arbitrium destruere, sive* (*quantum in se est*)

(a) Ubi sup. cap. 8.
(b) Ibid.

est) aliquatenus imminuere poterit quaecumque adversitas, vel necessitas.

Ut haec melius intelligantur, & ad Soti mentem adsequendam, majorem praeferant lucem, perspicere oportet, quid S. Doctor liberum vocet arbitrium, quid liberum consilium, quid demum liberum complacitum. Id vero luculenter exponit dicens: (a) *Ex hac ergo tantum libertate* (quam vocat *a necessitate*) *qua liberum est voluntati se ipsam judicare, vel bonam, si bono; vel malam, si malo consenserit, (quippe quae in neutro, nisi certe volendo, consentire se sentit) liberum arbitrium credimus nominari. Nam ex illa, quae dicitur a peccato, congruentius forsitan liberum consilium; & item ex illa, quae dicta est a miseria, liberum potius complacitum posset dici, quam liberum arbitrium. Arbitrium quippe judicium est. Sicut vero judicii est discernere, quid liceat, vel quid non liceat: sic profecto consilii, probare, quid expediat, vel non expediat: sic complaciti quoque, experiri, quid libeat, vel non libeat. Utinam tam libere nobis consuleremus, quam libere de nobis judicamus! ut quemadmodum libere per judicium licita, illicitaque decernimus: ita per consilium & licita, tamquam commoda, nobis eligere; & illicita, tamquam noxia respuere liberum haberemus. Jam enim non solum liberi arbitrii, sed & liberi proculdubio consilii, ac per hoc & a peccato liberi essemus. Sed quid si totum solumque, quod expediret, vel liceret, etiam liberet? Nonne liberi quoque esse complaciti, merito diceremur? Quippe qui ab omni proinde, quod displicere potest, hoc est ab omni nos miseria liberos sentiremus. Nunc autem quum multa per judicium vel admittenda, vel omittenda esse decernamus, quae tamen per consilium nequaquam pro judicii rectitudine aut eligimus, aut contemnimus: rursumque non omnia, quae tamquam recta, & commoda consulte observamus, etiam ut beneplacita libenter amplectimur; sed insuper quasi dura, ac molesta vix aequanimiter ferre perduramus: liquet, quia liberum nec consilium habemus, nec complacitum.*

In his ergo omnibus S. Doctor id unum requirere videtur ad liberi arbitrii notionem constituendam; ut rationis praelucente judicio, inter licita possit illicitaque discernere; atque unum suopte nutu,

(a) Ibid. cap. 4.

tu, repudiato altero, eligere: non autem exigit vel consilii, vel complaciti libertatem; id est, neque ut practica vividaque boni vel mali cognitione imbuta sit ratio; ut non solum quid licitum illicitumve sit, agnoscat, sed probet etiam quid expediat, vel non expediat; neque ut dilectione, seu delectatione justitiae perfusa sit voluntas; ut quod licet, atque expedit, sponte etiam, ac libenter, propensoque animo complectatur. Id vero est, quod Sotus sequentibus verbis docet: „ Augustinus libro secundo de peccatorum meritis „ cap. 17. docet, posse hominem in hac vita omnino non peccare, „ quamquam omnino nullus non peccet. Quod enim peccet, cum „ non peccare possit, ideo est, quia vel justitia latet, vel quia non „ delectat. Et libro de spiritu & Litera cap. 35. idem habet. Ex „ quibus hoc sequitur, omnem peccantem hoc agere, vel inconsi„ deratione aliqua, sive ignorantia; non quidem eorum, quae per„ tinent ad rationem peccati; quia ignorantia illorum aufert ratio„ nem peccati; ut de occidente hominem, quum putaret occidere „ feram, Philosophus dicit. Requirit ergo ad arbitrii libertatem cum D. Bernardo Sotus, ut ei praeluceat rationis judicium, quo possit inter licitum, illicitumve discernere, atque unum neglecto, ac repudiato altero, amplecti: sed non exigit, quam vocat S. Doctor *libertatem consilii*; quo scilicet homo coelesti lumine illustratus agnoscat, ac persuasum habeat, peccatum summum esse omnium malorum; summo proinde odio, atque omnium exsecratione prosequendum. Hanc igitur consilii libertatem, ut homini libertas constet arbitrii, ac libere peccatum admittat, necessariam non esse, docet Sotus; imo *hac* ipsa *ignorantia* peccari statuit „ qua, *inquit*, „ vere ignoratur, quam sit malum peccatum, & similia. *Ac subjun*„ *git*: Hac inconsideratione, vel perversione voluntatis, & infir„ mitate, qua insipida est ei virtus, placet vero peccatum, peccat „ omnis, qui peccat, juxta Augustinum: quae duo sola gratia au„ fert, inquit ipse. Quibus Sotus verbis decernit, quod ut libere homo peccet, & peccatum libero ipsius arbitrio imputetur, necessaria non est libertas, quam *complaciti* S. Bernardus appellat; qua scilicet placet, ac delectat, amore prosequi, quod licitum, & expediens videtur; & contra fugere, atque aversari, quod illicitum, & perniciosum judicatur.

Ha-

Hactenus ergo una eademque de his rebus Soti, ac Bernardi sententia est. Sotus, perinde ac Bernardus docet, hominem ad pietatis opera ideo esse liberi arbitrii, quoniam cum ad imaginem Dei conditus sit; & potentia activa remota praeditus est, & per gratiam fieri etiam potest proxime potens ad fidei, spei, & caritatis actus exprimendos. Sotus, perinde ac Bernardus, docet, per gratiam conferri libero arbitrio, non ut sit facultas libera; sed ut non sit miserum, invalidum, & infirmum; sed validum, & robustum, & ad Christianae Religionis opera expeditum. Denique Sotus, perinde hac Bernardus, docet, quod ut homini praevaricatio divinae legis imputetur, generatim opus non est, ut gratiam coelestis illustrationis, & excitationis acceperit; sed satis aliquando est, ut potuerit inter licitum, illicitumve discernere. Si enim hoc humanae mentis judicium aliquando gratia sufficiens neutiquam comitetur, poena est haec, ut postea dicemus, praecedentium delictorum; ac propterea defectus hic proximae potestatis voluntarium praevaricatorem coelestium mandatorum non excusat.

Hinc vero facile intelligitur, quid velit Sotus, quum docet, subtractione gratiae non everti liberum arbitrium, nec fieri, ut transgressio divinae legis homini non imputetur, quoniam legem *voluntarie* transgreditur. Non enim *voluntarium* apud Sotum idem omnino est, ac non violentum, & non coactum, seu spontaneum; sed quo ita se homo sponte ad unum aliquid applicat, ut possit illud respuere; aut si qua illi ex caecitate, aut violenta passione incumbit necessitas, in eam se libere conjecit; quae propterea non efficit, quin sit admissi sceleris reus. Inde enim oritur haec qualiscumque necessitas, quod in praesentibus bonis obtutum mentis defigit, neque ad coelestia convertit: *quia*, inquit Sotus (*a*), *non consideramus, aut amamus bonum*, divinum scilicet, atque aeternum. Ut autem ipse in hac eadem Epistola monet, (*b*) *possumus de quocumque bono non cogitare, & ita non velle*: eaque in re positam esse docet cum D. Thoma (*c*), *libertatem, & indeterminationem secundum exercitium*

(a) Epist. 1. col. 58:
(b) Ibid. col. 33.
(c) 1. 2. Quaest. 10. art. 2.

tium, qua proinde peccator non omnino destituitur, quoad rationis lumen in ipso viget. Sed haec sequente §.luculentius explanabuntur.

§. III.

De tertia parte quintae propositionis:

„ Necessitas transgressionis ex subtractione
„ gratiae, non est nisi ex extrin-
„ seco impedimento.

OScitans profecto, ac dormiens id sibi Gallus Historicus legere in Soti Epistola visus est, ubi non semel, sed passim claris, ac perspicuis verbis contraria sententia legitur; atque in eo potissimum loco, ad quem digitum Duchesnius intendit: „ A te, *inquit* (*a*), vellem considerari.... quantum intersit inter impe-
„ dimentum, quo voluntas, ne exequi possit quod vult, extrinse-
„ cus tenetur, & solum alicujus non consideratione, quod si consi-
„ deraretur, non peccaretur. *Et infra* (*b*): Destitutus gratia non
„ potest converti; verum est; ita destitutus, quasi in sensu compo-
„ sito: sed id non est ex extrinseco impedimento, quo fit, ut veli-
„ mus, & non possimus; sed quia non consideramus, aut amamus
„ bonum, & ita consentimus voluntarie peccato, aut perseveran-
„ tiae in illo: quamvis forte si meliori consilio uteremur, non con-
„ sentiremus. Quis vero dixit unquam, non libere fecisse, quod si
„ maturius cogitasset, non fecisset, modo id intelligens, & volens
„ fecerit. *Et rursum* (*c*): Dicimus, magnum intervallum esse
„ inter impedimentum extrinsecum, & divinae gratiae destitutio-
„ nem. Per hanc enim non fit, ut volentes non possimus, nec ut in-
„ viti velimus; sed solum fit, ut ipsa voluntate; ipsa, inquam, pro-
„ pria ejus natura, & non velimus, & non consideremus; quare
„ certe voluntarie non volumus.

In

(a) Epist.2. col. 57.
(b) Ibid. col.58.
(c) Ibid. col.59.

In hisce omnibus testimoniis cernere est, Sotum, ut libertatem voluntatis cum subtractione divinae gratiae conciliet, in eo maximam vim, ac praecipuum momentum constituere, quod subtractio divinae gratiae similis non sit extrinseco impedimento: hoc enim fieri potest, ut contra suam voluntatem homo detineatur, ne aliquod praeceptum opere impleat, qua utique violenta necessitate culpae transgressor legis eximitur. At subtractione divinae gratiae nequaquam efficitur, ut homo contra suam voluntatem, deserto summo, & incommutabili bono, rebus creatis adfixus haereat: has enim potius tanto ardentiori amore prosequitur, quanto minus cogitat, non in eis, sed in Deo, positam esse rationalis animae beatitatem, & quanto minus eum delectat aeternae justitiae pulcritudo. Neque a culpa immunis est, si ad haec cogitanda divinae gratiae munere non excitetur, ut postea demonstrabimus: Id enim nunc tantum agimus, ut intelligatur, merito Soto fuisse animadversum, subtractionem gratiae similem non esse impedimento, quo ne officium suum obiret, extrinsecus homo detineretur.

Sed non est, inquis, in hominis potestate cogitare, quae recta sunt, nisi divinitus excitetur: neque item ut divinitus excitetur, est in hominis potestate: ergo subtracta gratia, haud secus impotens est ad sese peccati vinculis exsolvendum, ac si materialibus funibus, & catenis constringeretur.

Hanc sibi ipse proponit difficultatem, iisdemque principiis insistendo solvit Sotus: quod nimirum qui extrinseco impedimento coercetur, fieri potest, ut contra suam voluntatem officio desit: qui vero gratiae lumine destituitur, volens, ac libens non est in officio, in quo tamen posset esse, atque esset, si vellet: ac proinde non recte a Ruardo traditum, ejusmodi homini haud imputatum iri, si ad Deum non convertatur (a) *sicut si ob impotentiam naturalem, aut aliud naturale impedimentum nequiret converti*. „ Sed ais, *inquit Sotus*, „ non potest velle. Respondet Augustinus; satis esse: si voluerit, „ convertitur. Non hic quaerimus unde sit, quod desit voluntas: „ satis est agnoscere, eam deesse, & voluntarie; sicut quando adest, „ voluntarie adest.

 Eo-

(a) Epist. ad Sotum col. 18.

Eodem modo in hac solvenda difficultate versatur Eminentissimus Bellarminus. Quum enim tribus, quas superius retulimus, hanc addidisset quartam propositionem: (a) *Gratia excitans interna necessario praecedere debet hominis conversionem, sive ab infidelitate ad fidem, sive a peccato ad justitiam*: hunc sibi & ipse nodum proponit:
„ Si semper requiritur excitatio praeveniens; non igitur in potesta-
„ te hominis erit conversio. Non enim excitatio illa est in hominis
„ potestate. Respondeo, *inquit doctissimus Cardinalis*, conversio-
„ nem semper esse in potestate liberi arbitrii, quoniam potest sem-
„ per converti, quando voluerit. Id enim dicitur esse in potestate
„ [ut Augustinus definit lib. de Spiritu, & litera cap. 31. & lib. 5. de
„ Civitate Dei cap. 10.] quod adest, quando volumus; & quando
„ nolumus, non adest. Quo sensu admittit Augustinus ibidem, fi-
„ dem esse in potestate liberi arbitrii, quia credit homo, si vult; &
„ si non vult, non credit. Ceterum ipsum velle credere, aut con-
„ verti non potest homo habere, nisi per gratiam praevenientem ac-
„ ceperit, ut possit. Neque est in potestate hominis, ut Deus illum
„ vocet, atque excitet; alioquin non diceret Apostolus 2. ad Ti-
„ moth. 2. *ne quando det eis Deus poenitentiam, & convertantur a*
„ *diaboli laqueis*. Neque tam anxie oraret Ecclesia pro Infidelibus,
„ aliisque peccatoribus, si possent ipsi suis viribus absque divina in-
„ spiratione converti. Atque hoc est, quod supra diximus, habere
„ hominem ad actus pietatis, ante omnem gratiam, liberum arbi-
„ trium, & potentiam remotam, sed non proximam. Quibus verbis aperte docet Bellarminus; quod etsi homo non semper divinitus excitetur, neque in ejus potestate, sed in Dei voluntate positum sit, ut excitetur; conversio tamen semper est in potestate liberi arbitrii, quoniam potest converti, quando voluerit: habetque potentiam remotam ad volendum, & quum illi deest proxima, quam sola gratia suppeditat. Quid vero aliud superioribus verbis docuit Sotus?

Sed inquies: Quamvis Bellarminus neget (b), *Auxilium Dei necessarium ad conversionem adesse peccatoribus omnibus momentis*; adfirmat tamen, adesse *certis temporibus, prout judicat Deus, mune-ra*

(a) Lib. 6. de Grat. & lib. Arbit. cap. 15.
(b) Ibid. lib. 2. cap. 6.

ra sua esse distribuenda: & numquam deesse docet (*a*), *cum non possunt sine conversione vitare peccatum*.

Respondeo id tradere Bellarminum, non ut dogma, vel articulum fidei, sed tantum ut piam, probabilemque sententiam (*b*): *Excaecati*, inquit, *& obdurati .... non possunt converti, durante excaecatione, & obduratione, neque habent singulis momentis auxilium sufficiens, quo tollere possint excaecationem, & indurationem; tamen PIE CREDIMUS, Deum pro loco, & tempore istos etiam visitare, & ad cor eorum pro sua benignitate pulsare, atque ita porrigere auxilium, quo possint caecitatem, & duritiam a suo corde repellere; tunc autem maxime tempus est opportunum, cum non possunt sine conversione vitare peccatum*. Et in alio capite: *Habemus igitur*, inquit (*c*), *ex Scripturis, & Patribus, SATIS PROBABILITER, PIEQUE CREDI, nemini deesse, aut unquam defuisse auxilium sufficiens ad salutem*. Verum, ut supra ostendimus, etiam Sotus hanc opinionem piam, ac probabilem vocari consentit: Concoquere tamen ille non potest, quod qui propria voluntate mentis excaecationem contraxit, & cordis obdurationem, atque in poenam praecedentium delictorum divinae gratiae subtractione punitur, innocens pronuncietur eorum scelerum, quae in illo excaecationis, & obdurationis statu vitare praevalente cupiditate non potest, quae Ruardi esse videbatur opinio; quam hoc S. Augustini testimonio imprimis confirmabat, quod si recte Ruardus exponebat, ejusmodi quaestionem non in mera speculatione positam demonstrabat. Ait enim S. Doctor[*d*]: *Obduratum est cor Pharaonis, ut tam evidentibus signis non moveretur. Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat praeceptis Dei, jam de supplicio veniebat .... Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se praebuit, cui cor obduraretur priori infidelitate*. Quot vero sunt, quorum perinde ac Pharaonis priora scelera sequente obduratione plectuntur? quibus proinde, [si hunc S. Augustini locum recte Ruardus intelligebat] non erit imputandum, si

 in

(a) Ibid. cap. 8.
(b) Ibid.
(c) Ibid. cap. 5.

„ facere secundum substantiam operis, id, quod Deus jubebat; & „ ideo peccasse, quia non fecit. Haec doctissimi Cardinalis verba difficultate non vacant. Nam certum mihi esse videtur, quod tum maxime debuerit Pharao ad Deum ex corde converti; quum scilicet perspicuis atque evidentibus signis suam illi Deus Divinitatem, potentiam, & Majestatem ostendit; neque peccatum inobedientiae sine cordis conversione, qua Dei praecipientis auctoritatem agnosceret, vitare potuit. Quare haec Eminentissimi Auctoris verba haud facile conciliaveris cum iis, quae superius ex ipso relata sunt: „ Pie credimus, Deum pro loco, & tempore istos etiam [*excaecatos, & obduratos*] visitare, & ad cor eorum pro sua benignitate „ pulsare, atque ita porrigere auxilium, quo possint caecitatem, & „ duritiam a corde repellere; tunc autem maxime tempus est opportunum, cum non possunt sine conversione vitare peccatum. Itaque in tali temporis articulo Deus nunquam deest. Verum difficile est, aliquod assignare tempus, in quo quisquam minus possit sine cordis conversione vitare peccatum, quam Pharao potuerit, quum contumax, & rebellis tumidam adversus Deum cervicem erexit. Tunc ergo maxime tempus erat opportunum, ut ad cor ejus Deus pro sua benignitate pulsaret, & auxilium porrigeret, quo posset caecitatem, & duritiam a suo corde repellere: quo tamen maxime tempore Moses, & Paulus tradunt Deum indurasse cor ejus.

Deinde, ut S. ipse Augustinus observat, etsi dicatur Deus indurasse cor Pharaonis; nihilominus & ipse Pharao cor suum indurasse perhibetur. Quis vero animum inducat ut credat, innoxiam existimasse Augustinum ejus inobedientiam, qui & ob praecedentia scelera deseri a Deo meruit, & coelesti luce destitui; atque ipse libero arbitrio cor suum adversum Deum obfirmavit: *Quando ergo*, inquit S. Doctor, Soto etiam laudatus (*a*), *auditis dicentem Dominum*: Ego Dominus seduxi Prophetam illum; *& quod ait Apostolus*: Cujus vult miseretur, & quem vult indurat: *in eo, quem seduci permittit vel obdurari, mala ejus merita credite; in eo vero, cujus miseretur, gratiam Dei, non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter, & indubitanter agnoscite. Nec ideo auferatis a Pharaone libe-*

(a) Lib. de Grat. & lib. Arbit. cap. 23.

berum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: Ego induravi Pharaonem, *vel* induravi, *aut* indurabo cor Pharaonis. *Non enim propterea ipse Pharao non induravit cor suum. Nam & hoc de illo legitur quando ablata est ab Aegyptiis cynomya, dicente Scriptura*: Et ingravavit Pharao cor suum, & in isto tempore, & noluit dimittere populum. *Ac per hoc & Deus induravit per justum judicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium*. Est autem illa ab eodem S. Doctore regula constituta, quam & passim inculcat: non esse hominem eorum scelerum immunem, quae gratia desertus superare non potuit; quum ipse prior mentis oculos ab ejusdem gratiae lumine avertit, & in quamdam peccandi necessitatem propria se voluntate conjecit: [a] *Quod vero dicit* (Moyses Deut. cap.29.) Et non dedit Dominus Deus vobis cor scire, & oculos videre &c. *nullo modo increpans, & arguens hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam pertinere, intelligi vellet; ne quisquam se ex hoc excusabilem putet. Simul enim ostendit, & sine adjutorio Domini Dei eos intelligere, & obedire non posse oculis cordis, & auribus cordis: & tamen si adjutorium Dei desit, non ideo esse excusabile hominis vitium; quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen justa sunt*. Quum igitur Pharao cor suum adversus Deum libero obfirmavit arbitrio: non ideo putanda est excusabilis ejus inobedientia, quoniam obdurato corde obtemperare non poterat.

Antequam manum e tabula subducam, est etiam illud sedulo animadvertendum; Dei desertionem non semper esse apud Sotum, quemadmodum & apud Augustinum aliosque Patres, cum generali divinae gratiae subtractione conjunctam: sed quandoque a Soto, aliisque Patribus deseri illi dicuntur, quibus tantum efficax seu victrix gratia subtrahitur, & justo Dei judicio cadere permittuntur. Atque haec desertio locum etiam in Justis habet, quum primum ab justitia decidunt, ac proinde quum nullus in eis praecessit aeternae damnationis reatus. Fortassis etiam Sotus, ut supra observatum est, nunquam existimavit, ipsos etiam Infideles, quamlibet excaecatos, & obduratos, cujuslibet auxilii, etiam remoti, destitutione puniri. Sed ut sit de illis, certum tamen est, de sola gratia efficaci, aut proxime, & immediate ad quaelibet pietatis opera sufficiente loqui Domi-

(a) Quaest.1. in Deuteron.

minicanum Theologum, si quando adfirmat, quod ipsi etiam Justi divinae gratiae ope quandoque destituuntur: Est id nobis in hoc opere saepius pro re nata perspicue demonstratum: quare duo tantum loca nobis examinanda supersunt, in quibus minus perspicax Lector haerere forsitan posset.

Prior est, ubi negat, quod primam desertionem culpa praecedat (a). Nam etsi cetera loca deessent, in quibus aperte docet, nunquam deesse Justis potentiam ad non peccandum, hic ipse locus perspicue demonstraret, non esse illum nisi de subtractione gratiae efficacis intelligendum. De illa enim desertione loquitur, quae cum reprobatione, ut ajunt, negativa conjuncta est. Deus enim, Auctore Soto, ut ante omnem operum praevisionem, quos voluit Praedestinavit ad gloriam; ita quos voluit ab aeterna illa felicitate tamquam a beneficio indebito exclusit. Quapropter sicut ex volũtate efficaci aliquos ad coelesteRegnum provehendi, voluntas oritur praestandi eis gratiam efficacem: ita ex voluntate efficaci inde aliquos excludendi, efficacem eis gratiam pariter ut beneficium omnino indebitum denegandi, voluntas proficiscitur. Atque hic sequentium verborum Soti sensus apertissimus est: Quod Augustinus ait: ,,*Infidelitas inchoat poenae meritum*, in-
,, telligendum ostendit de merito damnationis, vel aliarũ consequen-
,, tium prima peccata poenarum, non tamen de meritis primae de-
,, sertionis, seu reprobationis, quae fit, ut Paulus testatur, cum
,, nondum nati sumus, non ex meritis: de qua & dicitur: *Jacob di-*
,, *lexi &c. quibus*, inquit, *malis hoc meritus, cum nondum natus*
,, *fuisset &c.* & statim per interrogationem subjungit: *An forte, quem-*
,, *admodum illud de Jacob, nullis meritis bonae actionis dictum est*? ,,
,, Et hoc verum esse, toto ibi contextu probat. Patet ergo, haud aliam esse Theologi nostri mentem, quam quod Deus quemadmodum ante praevisionem operum, seu demeritorum, aliquos statuit excludere a Regno: ita eis gratiam efficacem denegare statuit, qua vel justitiam reapse adsequantur, vel in ea usque ad obitum perseverent. Quare *desertionis*, seu *destitutionis* nomine haud aliud Sotus intelligit, quam efficacis adjutorii denegationem.

Alius locus, quo demonstrari potest, desertionem non semper esse

(a) Epist. 1. col. 40.

esse apud Sotum cum generali divinae gratiae privatione conjunctam, sed aliquando esse tantum uberioris, aut efficacis adjutorii subtractionem, est in eadem Epistola col.49. „ Quare, *inquit*, Deus „ non adjuvet, quod est deserere, non nunc id inquirimus. Certum est autem, iuste id fieri: satis sit, qui ampliorem mihi non dedit considerationem, vel delectationem boni, nullo modo dicitur, me invitum coegisse ad peccandum, aut propterea mihi non imputandum, si me non instituerit vera agnitione ejus, quod agebam „. In his verbis Deus deserere dicitur; non eos tantum quibus nullam, sed quibus ampliorem non dedit aut cognitionem, aut delectationem boni. Quocumque autem modo Deus deserat, juste id ab eo fieri; & imputanda nobis peccata, etsi nos aut nulla Deus, aut non adeo plena & perfecta cognitione, ac dilectione summi Boni informaverit: quoniam, ut ait S.Augustinus (a), ad quem certe Sotus hoc loco respicit, *Peccatum est, cum vel non est caritas, quae esse debet; vel minor est, quam debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, praesens voluntas hoc facit; Si non potest, praeterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.*

Denique, ut jam monui, nunquam fortasse Sotus existimavit, adeo aliquos deseri, ut ipsis etiam remotis gratiae coelestis auxiliis destituantur. Nam praeter locum, qui superius descriptus est: *Fatemur & nos, nulli ratione utenti denegata esse, quae ad verum Deum agnoscendum, & colendum sufficerent &c.* alia etiam occurrunt, in quibus idem haud obscurè indicat, aut se ab illa opinione alienum non esse significat: Nam & verba illa S, Augustini (*b*) *Quum vero ubique praesens sit, qui multis modis aversum vocet &c.* non solum consentit (*c*), ut *ad exteriora quaedam beneficia & dona*, verum etiam ut *ad inspirationes aliquas referantur*. Ac rursus (*d*), *vocationem*, quam vocati non sequuntur, cum eodem S. Augustino *communem* appellat *bonis, & malis*. His autem potissimum S. Doctoris testimoniis nituntur, qui ipsum existimant, huic favere opinioni. Audien-

(a) Lib. de Perfect. Justit. cap. 6.
(b) Lib. 3. de lib. Arb. cap. 19.
(c) Col. 52.
(d) Col. 19.

diendus prae ceteris Cardinalis Norisius, cujus verba descriptis ex Soto testimoniis maxime consentanea sunt: „ Ceterum, *inquit* (*d*), „ omnibus hominibus adesse auxilium saltem remotum, mihi videor „ colligere ex Augustino lib. de Nat. & Grat. cap. 57. ubi ex lib. tertio de lib. Arb. cap. 19. hanc sententiam recitat, approbatque adversus eos, qui Adami peccato omnia crimina imputabant, & se „ ipsos innocentes asserebant: *Recte enim fortasse quererentur, si* „ *erroris, & libidinis nullus hominum victor exsisteret. Cum vero* „ *ubique sit praesens, qui multis modis per creaturam sibi Domino* „ *servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed* „ *quod negligis quaerere, quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis; sed quod volentem sanare, contemnis*. In „ quo autem consistant ejusmodi auxilia remota, non ita facile explicatur: etenim *miris modis* Deum humanas voluntates ad bonum „ faciendum movere, idem Augustinus lib. 1. ad Bonif. cap. 19. verissime affirmat; quos modos satius est humili silentio venerari, „ quam curiosa disputatione perquirere. De his auxiliis remotis „ locutum arbitror eumdem S. Doctorem in lib. de Dono perseverantiae cap. 19. ubi ait: *Ex duobus aetate jam grandibus impiis,* „ *cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur: ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur; inscrutabilia* „ *sunt judicia Dei*. Vocatio illius, qui non sequitur, est per auxilium debile, & remotum, quo intellectus transeuntes tantum „ quasdam bonas cogitationes elicit, sed adeo debiles, ut nec voluntatem trahant ad bonum, sed leviter tantum excitent, & cito „ citius intellectus alio evolet, & in malum voluntas longo scelerum usu obdurata feratur. Has ergo debiles vel boni faciendi, vel mali fugiendi cogitationes, quae voluntatem efficaciter non inflectunt, sed leviter tantum excitant, omnibus dici communes, Sotus locis citatis non repugnat; qui tantum in eis contendit, communem non esse omnibus *gratiam bonae voluntatis effectricem*; *aut illam interiorem vocationem, qua operatur Deus in nobis velle & perficere*.

Ut ergo quae latius in praesenti Articulo disputata sunt, paucis complectamur; Soti de his rebus opinio sequentibus propositionibus continetur. 1. Est in homine per naturam, & ante omnem gratiam, liberum ad pietatis opera arbitrium. 2. Non est in libero arbitrio per naturam ad actus Christianae Religionis, nisi potentia remota. 3. Facultas proxima ad ejusmodi actus non adjungitur libero arbitrio nisi per gratiam. 4. Potentia remota liberi arbitrii in eo posita est, ut possit, si velit, Deum diligere, & a peccato abstinere; & de quolibet bono cogitare, aut non cogitare, illudque aut amplecti, aut negligere. 5. Ut scelera imputentur, sufficit haec potentia remota, si propria culpa impii potentia proxima careant. 6. Non deest justis potentia, seu gratia sufficiens ad vitandum peccatum. 7. Probabile est etiam, eamdem neque ipsis infidelibus, & excaecatis, & obduratis deesse. Ex his septem propositionibus sola, ut vidimus, quinta est, de qua est alia Soti, ac Bellarmini sententia. Sed, uti pariter demonstravimus, convenit inter insigniores Theologos, eam ad Fidem Catholicam neutiquam pertinere.

ARTICULUS SEXTUS.

De Sexta Propositione.

„ Liberum arbitrium praesentis status consistit in
„ voluntario: non est necesse, ut illud sit im-
„ mune a necessitate inevitabili; sed suffi-
„ cit, ut sit exemtum a coactione.

DE hac propositione satis superius disputatum est, ac perspicue demonstratum, eam injuria fuisse Soto ab Historico adfictam; quum, ut ostendimus, quatuor, ut sic loquamur, capitalibus punctis vera, germanaque Dominicani Theologi sententia ab ea differat, quam illi nuperus Scriptor adscribit. Non enim loquitur Sotus de libertate praesentis status, sive ad meritum, aut demeritum requisita; sed de communi quadam, ac generica notione libertatis, quae cum voluntario reciprocatur: neque item ex propria,

sed

sed ex quorumdam Theologorum sententia loquitur, qui beatam Dei dilectionem quodam sensu liberam esse dixerunt. Quum vero de libertate praesentis status loquitur Sotus, rotundis verbis docet; quod *ad libertatem potentia in utrumque oppositorum requiritur* : & quod ejus actus *determinati sint libere a caussa libera, & contingente* : Et hanc esse adfirmat, non modo *Augustini*, sed & totius *Ecclesiae* doctrinam; quod *in omnibus* sit *libertas vera*, non modo *a coactione*, verum *& a necessitate immunis*.

Longe ergo ab erroribus Baii, confixisque Apostolica auctoritate sententiis disjuncta est Soti de libertate doctrina. Ut enim Eminentissimus Bellarminus hujusce rei testis utique idoneus, admonet, [a] quum S. Pius V., & Gregorius XIII. propositiones illas damnarunt; *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit*. Et; *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*: „ Pontifices „ illi, *inquit*, non voluerunt docere, id quod voluntarie, sed ne„ cessario fit, nullo modo libere fieri; sed non fieri ea libertate, quae „ ad liberum arbitrium constituendum requiritur. Nam de hac libertate quaestio erat. Haec doctissimus Cardinalis, testis non modo coaevus, sed & oculatus, & qui mentem illorum Pontificum optime perspectam habebat.

Quapropter Baiani Systematis 37. Propositionibus, quas superius ostendimus, nihil ad Sotum pertinere, sed ab eo fuisse praedamnatas; sequentes etiam adjungendae sunt; 38., & 63., quas modo ex Bellarmino descripsimus, & 64., & 40. quarum altera docet Baius, quod *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*; Altera vero, quod *is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato*. Quo etiam pertinet & 52. *Definitiva haec sententia*; *Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit*.

(a) Lib. 3. de Grat. & lib. Arb. cap. 5.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Quod reliquum est Baiani Systematis Sotus expresse rejecit, atque damnavit.

§. I.

Brevis totius Baiani Systematis delineatio.

BAianum Systema, quod pro variis interpunctionibus juxta aliquos 76. juxta alios 79., aut 80. propositionibus, ab Apostolica Sede confixis continetur, Johannes Lensaeus in *Corpore*, ut vocant, *doctrinae*, quod jussu, ac nomine Facultatis Theologicae Lovaniensis adornavit, ad quatuordecim capita revocavit, quae pro varia rerum, quae in eis pertractantur, serie, ac dispositione distribuit. De hoc opere haec inter cetera Duchesnius habet(*a*): „ Pulcherrimum hoc traditionis XVI. saeculi monumentum in quatuordecim capita distributum est, in quibus ordine continentur Articuli doctrinae, quos in 76. propositionibus Pii V. Bulla proscribit. „ Ordo ac series rerum ordinem capitibus praebet. Priora quatuor (quibus 15. propositiones continentur) Catholica dogmata „ exponunt de statu innocentiae tum Angelorum, tum primi hominis, & bonum frumentum a zizaniis secernunt, quae severat inimicus homo. In quinto agitur de viribus liberi arbitrii in homine, postquam a primaevo statu decidit; & duae in eo refelluntur „ pro-

(a) Ce beau morceau de la tradition du seiziéme siecle est partagé en quatorze chapitres sous lesquels sont rangés en 76. propositions tous les articles doctrinaux que la Bulle de Pie V. censure. L'ordre des matieres donne celui des chapitres;
15. *Propositions* les quatre premiers expliquent les dogmes Catholiques sur l'état d'innocence des Anges & du premier homme, & separent du bon grain l'yvre que l'homme ennemi
11. *Propositions.* avoit semé dans ce Champ. Le cinquieme traite des forces du libre arbitre de l'hom-
6. *Propositions.* me déchu de son premier état & rejette onze Propositions. Le sixiéme expose la
7. *Propositions.* nature de la liberté de l'état présent, & découvre le faux de six propositions. Le septiéme oppose la doctrine Orthodoxe sur les péchez originels, & actuels à sept pro-
2. *Propositions.* positions heterodoxes. Le huitiéme, & le neuviéme renversent deux erreurs, la premiere, que le péché mortel, & le veniel ne sont point differenciez par leur natu-

„ propositiones. Sexto natura exponitur libertatis, qua in praesenti statu praediti sumus; ac venenum detegitur sex propositionum. Septimum doctrinam orthodoxam, quam de peccato originis, & actualibus culpis habet Ecclesia, septem opponit heterodoxis propositionibus. Octavum, & nonum duos errores evertunt, quorum altero dicitur; Peccatum mortale, ac veniale suapte natura minime discriminari; altero vero statuitur, infidelitatem pure negativam in his, quibus Christus non est annunciatus, peccatum esse. Decimum pravitatem corrigit septem propositionum de justitia: Undecimum errores arguit sex aliarum propositionum de caritate. Duodecimum quinque de concupiscentia propositiones refellit. Decimum tertium de operum merito loquitur, & excessum arguit duodecim propositionum, atque in earum locum totidem contraria dogmata substituit. Ultimo quid de operibus, quibus Deo satisfacimus cogitandum sit, exponitur; & quinque Baii propositiones reprobantur.

§. II.

De septem propositionibas, quas septimo capite Lovanienses examinant.

EX his ergo quatuordecim Capitibus quinque sunt, de quibus, ut jam demonstravimus, non minus luculenter, & juxta Catholicam doctrinam Sotus disserit, quam Lensaeus. Sunt autem ejusmodi capita, quintum, sextum, decimum, undecimum, & decimum tertium, quae duas supra quadraginta Baiani Systematis propositiones complectuntur. Quum autem quatuor prioribus Capitibus de statu innocentiae differatur; de illo quae fuerit Soti mens atque

re; la seconde que l'infidelité purement negative est un crime dans ceux ausquels
7. *Propositions.* Jesus Christ n'a pas été annoncé. Le dixiéme corrige l'heterodoxie de sept propo-
6. *Propositions.* sitions sur la justice. Le onziéme celle de six autres sur la charité. Le douziéme
5. *Propositions.* celle de cinq sur la concupiscence. Le treiziéme parle du mérite des oeuvres, re-
12. *Propositions.* prend l'excez de douze propositions ausquelles il substitue les dogmes contraires.
5. *Propositions.* Le dernier sur les oeuvres satisfactoires propose ce qu'on doit penser, & réprouve
76. Propositiones Baii. cinq propositions. *Lib. 2. pag. 174.*

atque doctrina postremo §. demonstrabimus; ut quoniam hactenus de praesenti humanae naturae statu disseruimus, continenter quae ad illum pertinent, absolvamus.

In hujus igitur septimi Capitis quinque prioribus propositionibus Baius naturam, & proprietates peccati originalis exponit; ejusque doctrinae summa in eo posita est, quod peccatum Adae vi, & natura sua derivetur in posteros; quemadmodum, & quaecumque aliorum parentum scelera propagarentur in filios, & vim suam omnem in illos exererent, ac venenum effunderent; nisi aliter Deo visum esset, ac divina ipsius providentia constitutum. Quare peccatum originis in parvulis nondum renatis solum ipsorum habituali voluntate voluntarium est: & vere habet peccati rationem absque ullo respectu ad voluntatem, a qua originem habuit: neque enim ad rationem definitionemque peccati pertinet, ut ex aliqua voluntate procedat.

Haec itaque de peccato originis Baii doctrina est, a qua se omnino esse alienum, Sotus sequentibus verbis aperte, luculenterque „ demonstrat [a]: „ Credit Catholica Ecclesia, Adam in tanta „ rectitudine, atque integritate animi, & corporis creatum a Deo, „ ut inferiores omnes vires rationi, quamdiu illa Deo subdita esset, „ obedirent: corpori vero nihil deesset, quo posset a morte, & in- „ firmitate semper servari; libertate etiam arbitrii ita donatum, „ ut cum Dei gratia haec dona servare posset sibi, & filiis. Sed „ cum per hanc libertatem peccavit, privatus est & ipse, & filii „ omnibus his donis, incurrimusque iram Dei, & damnationis aeter- „ nae reatum. Ergo quod peccatum primi parentis in posteros propagetur, non ideo proprie accidisse putandum est, qnia gravis esset illius inobedientiae culpa; sed quod ejus esset personae, quae tamquam generis universi parens, ac princeps, non pro se modo, verum etiam pro suis posteris originalem justitiam accepisset: qua proinde dum se privavit per inobedientiam, non eam sibi modo, verum etiam posteris amisit universis, seque in uno, tamquam radice omnes de se prodituros infecit, quem una cum natura oportebat naturae transmittere vitium. Unde etiam perspici potest, non omne

(a) Assert. Cath. Fidei Tit. *de Peccato*.

omne scelus ejus esse conditionis, ut suum auctorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo prima infecit transgressio. Neque vero plura quisquam de suis parentibus mala merita contrahit; sed uno originali peccato, propter unius hominis delictum, de suo quisque parente prodit infectus. Hanc Lovanienses velut orthodoxam doctrinam Baii de peccato originali heterodoxis propositionibus in praesenti Capite opponunt. Quid vero aliud Sotus in his, quae mox ex ipso descripsimus, verbis docet?

Addunt Lovanienses: Porro hoc, quod dicitur Originale peccatum, neque peccatum esset, nisi voluntarium foret, quod ad rationem, definitionemque peccati voluntarium pertineat: neque tamen voluntarium est propria ipsius parvuli voluntate, seu habituali, seu actuali, qui hanc sibi ipsi labem non contraxit; sed voluntarium est primi parentis voluntate. Ut autem habeat vere peccati rationem sine ulla relatione aut respectu ad voluntatem, a qua originem sumsit, fieri nulla ratione potest. Voluntarium quippe hoc proprie est, quod a voluntate procedit, & in voluntatis situm est potestate; nec peccati habere rationem quidquam potest, nisi habeat & voluntarii. Cum his vero optime concinunt, quae Sotus aliis etiam in locis de peccato originis literis consignavit: „ Pactum, *inquit* (a), quod Adam positum erat, illo transgrediente, transgressi omnes sumus; hoc est, rei propter illam transgressionem effecti. *Et in alia Lectione* (b): Cum parvuli alterius actu, Adae scilicet, rei sint: & gratia Christi multo efficacior sit in his, quibus communicatur, quam peccatum Adae; ut ad Rom. V. Apostolus probat; merito, Christi virtute eos ab illo reatu, sine ullo suo proprio actu, liberari credimus. Nam per baptismum Christi, non dubium est, participes effici ejus gratiae, sicut per nativitatem particiqes sunt corruptionis Adae. Non ergo propria ipsorum voluntate, sive actuali, sive habituali rei sunt parvuli, sed alterius actu, alterius transgressione, ac proinde alterius voluntate: sunt autem alterius voluntate rei, ob pactum Adae constitutum; quod ipse, in quo tamquam in universi generis capite, & radice om-

(a) De Institut Sac. lect. 5. de necess. Bapt.
(b) Ibid. lect. 6. de Bapt. parvulor.

omnium voluntas posita erat, primaevam justitiam & sibi, & filiis, ut ait Sotus, aut tueretur, aut amitteret.

In sexta, & septima hujusce capitis propositione docet Baius, omnes justorum adflictiones, ultiones esse peccatorum ipsorum actualium, aut saltem originalis. Praeclare autem observant Lovanienses, quod quamquam ab originis labe veluti a fonte quodam, generalis haec aerumnosae vitae miseria manet; quum dicat Apostolus, *corpus mortuum*, seu moriendi necessitati addictum esse, *propter peccatum*: Non sic tamen ex peccato communis ista necessitas, miseraque vitae conditio exorta est, ut omnes justorum afflictiones, ac quidquid omnino justi perpessi sunt, ad ultionem pertineat originalis actualisve peccati. Neque enim quoties Deus temporalibus quemquam premit incommodis, ulcisci ei propositum est, ac de peccato vindictam expetere; sed hoc interdum modo ad sui nominis gloriam, servos reddit suos clariores, erigitque, ac proponit exempla patientiae.

Consonat his omnibus ad amussim Sotus; qui cum D. Augustino, & Angelico Praeceptore docet; tum ex peccato originis veluti ex communi fonte omnes vitae praesentis aerumnas promanare; quia nisi in Adam justitiae, & immortalitatis dono exutum fuisset humanum genus, nullis ejusmodi malis, & incommodis prememur; tum quasdam speciales esse rationes, ob quas Deus interdum justos adfligit; cui propterea, dum bonos ejusmodi malis exercet, non semper propositum est, in ipsis communem noxam, aut proprias eorum culpas ulcisci: „ Mors, *inquit (a)*, & ceterae poenae, qui„ bus in Adam puniti sumus, non auferuntur (*per Baptismum*) si„ cut nec ipsi Adam ablatae fuerunt, quamquam remisso peccato... „ Manent igitur in nobis triplici de causa, ut B. Thomas ex Augu„ stino (*b*) collegit quaest. 69. tertiae Partis, ubi de his effectibus „ loquitur Art. 3., quae merito notandae sunt: ut scilicet confor„ memur Christo, baptizati in illo, qui sine peccato, morti, & do„ loribus subditus fuit: ut exerceamur ad meritum, & humiliatio„ nem: denique ut fides permaneat. *Et in alia Lectione (c)*: Con„ stat,

(a) Lect. 3. de Baptismo.
(b) Lib. de peccat. merit., & remiss. cap. 30. & seqq.
(c) Lect. 1. de Indulgentiis.

„ ſtat, Sanctorum plurimos multas paſſos eſſe poenas ſatisfactorias
„ pro peccatis, & voluntarie etiam ſubiiſſe; qui tamen aut ſine gra-
„ vioribus peccatis vixerunt; aut ſi qua commiſerunt, minima ſa-
„ tisfactione exſolvi poterant: quod aperte ſcriptura ipſa teſtatur;
„ de Chriſto quidem, Johannes; de aliis Sanctis, Job: *Utinam*
„ *appenderentur peccata, quibus iram merui, & calamitas, quam*
„ *patior, in ſtatera; quaſi arena maris haec gravior appareret.* Non
„ quod murmuraret contra Deum is, de quo teſtatur ipſe, quod
„ non peccaverit labiis ſuis, & quod recte fuerit locutus: ſed quod
„ aperte diceret, ſe non purgari a peccatis poenis illis, quia non com-
„ miſerat, ut Amici falſo opinabantur. Id igitur de Apoſtolis om-
„ nibus, de innumera turba Sanctiſſimorum Martyrum, de multi-
„ tudine immenſa Anachoretarum, & Monachorum ſentiendum eſt,
„ quorum multi, & omnes fere magnam vitae partem abſque ullo
„ graviori peccato egerunt in jejuniis, & vigiliis tantis, ut abſque
„ dubio exceſſerint incomparabiliter omnem poenam debitam pec-
„ catis ſuis. At Dei vindicativa Juſtitia graviores, quam par ſit,
de peccatis poenas non exigit. Quapropter quoties Deus juſtos af-
fligit, non in eorum culpas animadvertere, aut de peccatis ultionem
expetere, putandus eſt.

§. III.

De diſtinctione peccati venialis, & mortalis: Et infidelitate, ut vocant, negativa.

CApite octavo unam dumtaxat Lovanienſes refellunt Baiani Sy-
ſtematis propoſitionem: *Nullum eſt peccatum ex natura ſua ve-
niale, ſed omne peccatum meretur poenam aeternam.* Non obiter tan-
tum, aut aliud agens; ſed etiam ſpeciali Lectione ad hunc errorem
omni argumentorum genere evertendum, Sotus adgreſſus eſt: „ Nos
„ igitur, *inquit* (a), illud primo ſtatuamus: ex Scripturis, & do-
„ ctrina Eccleſiae manifeſte oſtendi, quaedam peccata eſſe levia, &
„ minima, nec aeterna poena digna, aut a Regno Dei excludentia:

(a) Lect.6. de ratione peccati, & de diſcrim. ven. & mort.

„ alia vero esse maxima, & gravia, qualia qui agunt, regnum Dei „ non possidebunt, atque ideo aeterna damnatione digna. *Et infra* : His Scripturae, & Sanctorum auctoritatibus suffragatur „ quoque ratio, naturae, & fidei consentiens. *Eam ex D. Thoma „ producit, & tandem subjungit* : Et haec de natura peccati venia„ lis in genere nobis sint dicta, in qua errarunt Haeretici praesen„ tes (*Lutherani*) perniciose ab Ecclesiae sensu recedentes, atque „ ideo rejicientes tam certam distinctionem: Sed & nonnulli alii, „ inter quos Gerson, pietate quadam putantes, se obsequium prae„ stare Deo, cum dicunt, veniale peccatum ex se esse mortale, & „ ex se dignum aeterna damnatione: & denique, non minus nos te„ neri Deo ad gratiarum actionem, quod veniale non puniat aeter„ naliter, quam quod remittat nobis mortale. Et haec omnia per„ tinent ad errorem illum Stoicorum omnia peccata aequantium &c. De eodem argumento etiam duabus sequentibus Lectionibus disserit, & lectione 18. de Sacramento Poenitentiae.

Etiam nono Capite unicam exhibent Lovanienses propositionem: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est*. De hoc argumento haec habet Sotus lectione secunda *de origine, & caussis peccatorum &c.* „ Ut de positivo „ jure dicamus, sed divino: Si quis putaret, confessionem peccato„ rum non esse necessariam, aut nunquam audiisset praedicationem Evangelii: Hanc ait esse ignorantiam juris divini positivi. Exemplis deinde declarat, quae sit ignorantia juris humani, & quae dicatur ignorantia facti; tum vero subjungit: „ De omnibus igitur cer„ tum est, ignorantiam praecedentem, quae involuntaria est, ex„ cusare omnino a peccato: & illam vocant ignorantiam invincibi„ lem; quam scilicet diligentia nostra non possumus vincere; dili„ gentia, inquam, humana, & qua prudenter solent in simili re uti: „ & propterea ipsa ignorantia nullum peccatum est, nec ullo modo „ voluntate appetita. Neque nunc opus est, quaestionem illam an„ xie tractare, an possit licite ignorari lex divina; vel, an sine cul„ pa ignoretur aliquando. Sunt, qui putent, jus divinum nunquam „ sine culpa ignorari; adeout sentiant, nullum excusari a fide Chri„ stianae susceptione, etiamsi non audierit Evangelium. Sed non

„ est opus anxie haec disputare : melius est divino judicio hoc re„ linquere, de quo nihil certum nobis in Scriptura est proditum. „ Satis est, ea, quae ignorantur absque dolo, & fraude, & absque „ negligentia manifesta discendi, & sciendi, quae necessaria sunt, „ excusare a peccato .... Nam quod quidam putarunt, ut excuse„ tur quis ob ignorantiam juris divini, necesse esse, ut prius per ve„ ram poenitentiam in Deum convertatur; ne videlicet propter pec„ cata sua permittat illum Deus decipi; durius est, quam ut omni„ bus imponi debeat. Exhortandi quidem ad id omnes, qui de re„ maximi momenti dubii sunt, & doceri cupiunt. Verum, qui bo„ na fide de his, quae occurrunt, dubiis consulit, quos merito ju„ dicat sapientes, nec aliud agit, credi potest satisfecisse; itaut si „ quid erraverit, invincibilis reputetur ignorantia, & involuntaria. Ergo quamvis de ignorantia eorum, quibus Evangelium non est annunciatum, Sotus data opera disputare noluerit, quod ejusmodi controversiae judicium ad vulgares Sacerdotes, quibus instituendis operam, & laborem impendit, non admodum spectet: ex principiis tamen ab eo positis aperte intelligitur, longe ipsum ab eorum fuisse opinione, qui peccati damnabant fidei mysteriorum ignorantiam in iis etiam infidelibus, ad quos justo Dei judicio Christi, & Evangelii notitia nondum pervenit. Est enim ejusmodi ignorantia, quam studio, & humana industria superare non possunt: (Nam *quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?*) ac proinde in eam omnino congruunt, quae de ignorantia invincibili Sotus generatim docet: inter quae illud praecipue notandum, quo contrariae sententiae fundamentum evertit; quod ut ignorantia invincibilis imputetur, satis non est, quod in poenam praecedentium delictorum Evangelicae lucis notitia impiis adimatur. Unde etiam intelligitur, quomodo sit accipiendum, quod ait Sotus, non esse opus anxie de his disputare: ac melius esse divino id judicio relinquere, de quo nihil certum nobis in Scriptura proditum est. Vult enim nihil certum ex Scriptura proferri posse, quo probetur, divini juris ignorantiam invincibilem a culpa non excusare: ac proinde de rerum divinarum ignorantia juxta communes regulas statuendum, ex quibus jam generatim statuerat, *certum esse, ignorantiam*

invincibilem, ejus etiam, *qui nunquam audiisset praedicationem Evangelii, excusare omnino a peccato*. An autem, praeterquamquod certus ex Scriptura proferri non potest locus, quo rerum divinarum insuperabilem ignorantiam a peccato non excusare demonstretur; perspicuus etiam Scripturae textus occurrat, quo certo probetur culpae immunem esse coelestium mysteriorum ignorationem in iis etiam infidelibus, qui nondum Evangelicae lucis ulla notitia perfusi sunt; Sotus non querit, in id solum intentus, ut Sacerdotibus pervulgatas morum regulas, & magis obvias de agendis quaestiones, & controversias explanet.

§. IV.

De concupiscentia.

Quinque duodecimi Capitis propositionibus docet Baius; prava desideria, quibus ratio non consentit, pravosque concupiscentiae motus, quos inviti sentiunt homines, esse legis inobedientiam: quod prohibiti sint praecepto; *Non concupisces*: neque etiam illud divinae legis praeceptum impleat: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo*, cui aliquid inest carnalis concupiscentiae: Horum tamen praeceptorum transgressionem in peccatum non deputari: quamvis ipsa carnalis concupiscentia, perinde atque alii habitus vitiosi, in quibus praevalet, atque imperium tenet, peccatum sit. Quae si vera essent, prava ejusmodi desideria, pravique motus etiam in regeneratis, atque justificatis vera essent peccata, quamvis illa Deus non imputaret; nec proinde in justis vera esset justitia, sed solum imputativa. Haec autem omnia Sotus veluti exitiales Sectariorum errores passim cum ceteris Catholicis Theologis insectatur. „ Manet, *inquit* (*a*), ipsa concupiscentia in regeneratis; manet rebellio carnis; manent propensiones illae ad illicita, & contraria spiritui, propter quas etiam in baptizatis *caro concupiscit adversus spiritum*: Sed haec omnia manent ita infirmata per gratiam baptismi, ut sint magis baptizatis ad exercitium „ vir-

(a) Lect. 3. de Baptismo.

„ virtutis, & meritum, quam ad damnationem, si non illis consentiatur. *Et infra ex D. Augustino (a) docet, quod* sic vocatur peccatum [*concupiscentia*] quia peccato facta est, quum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum; sicut vocatur linguā locutio, quam facit lingua; & manus, scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit; sicut frigus pigrum vocatur, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat. *Et in alia Lectione (b)*: Quidquid ergo ex Paulo illos [*Sectarios*] adducere diximus de lege peccati habitante in nobis, & captivante nos, siquidem de justificatis intelligatur, (quod Augustinus vult;) de concupiscentia, quae in carne est, & sensibus ejus, & motibus illius constat intelligendum; quos repugnante ratione, certum est, non esse imputabiles homini, nec quidem ei, qui nondum justificatus est, si modo non consentiat: Voluntate enim sola rei teneri possumus.... In carne ergo manent reliquiae peccati, quas Paulus peccatum vocat ab effectu; in spiritu vero justitia. *Et longe vehementius in alia ejusdem operis lectione (c)*: Aperte contra naturam ipsam humanam nonnulli Doctores (*Baius, & Hesselius*) & nostri temporis haeretici clamant, primos motus per se peccata mortalia esse, praeter quam quod gratis a Deo non imputentur fidelibus. Quid magis contra humanam naturam, quam fateri, motum illum, cui Sancti repugnant, cui nullo modo consentiunt, quem vere, & efficaciter detestantur, ut ipsi fatentur, eos apud Dei justitiam aeternae mortis reos facere? *Demum in alio Opere*: Quod vero, *inquit* [*d*], contentiosissime hodie Adversarii Ecclesiae contendunt, concupiscentiam, quae post baptismum manet, vere esse peccatum, manifestissimus est error contra Scripturam, & Patrum sensum.

De

(a) Lib. 1. de nupt. & Concup. sc. cap. 23.
(b) Lect. 11. de Sacram. Poenit.
(c) Lect. 8. de prim. motib. &c.
(d) Adsert. Cathol. Fid. Tit. de Bapt.

§. V.

De Operibus, quibus divinae Justitiae satisfacimus.

CApite ultimo disserunt Lovanienses de operibus, quibus divinae Justitiae satisfacimus, & quinque Baianae Theologiae propositiones examinant, quarum summa est: Jejuniis, & orationibus, aliisque bonis operibus nos Deo minime satisfacere, sed id tantum efficere, atque obtinere, ut Christi satisfactio nobis communicetur; cui tantum poenae temporalis peccato debitae solutio proprie adscribenda sit. Quare passiones Sanctorum in Indulgentiis ad hoc tantum valere, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a poenis qro peccatis debitis liberemur; non ut eis etiam debita nostra solvantur. Haec summa est doctrinae quatuor priorum propositionúm, quibus adjungitur quinta de sacrificio Corporis, & Sanguinis Christi, quam seorsim describemus.

Quod ad satisfactionem pertinet, quaenam sit de illa Ecclesiae Catholicae vera fides, sequentibus verbis Theologus noster declarat: „ De satisfactione, *inquit* (a), credit Fides Catholica; quod „ quia remisso peccato per gratiam, & meritum Christi, restat non„ nunquam exsolvenda aliqua poena temporalis, sicut in David, & „ multis aliis, ostendit Scriptura ..... necessarium sit, orationi„ bus, jejuniis, & eleemosinis satisfacere Deo pro poena; dicen„ te Gregorio in Homilia Evangelii Ovis perditae: *Nam cogitan„ dum summopere est, ut qui se illicita meminit commmisisse, a qui„ busdam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc Conditori suo sa„ tisfaciat &c.* Credit vero eadem fides Catholicae Ecclesiae; Pas„ sionem Christi ita sufficientem esse satisfactionem pro peccatis om„ nibus, ut nullum opus nostrum nisi ab ipsa virtutem satisfacien„ di habeat, a qua & gratiam, ut id operemur, accipimus ... : „ Haec igitur opera, gratia & meritis Christi producta, & pro „ peccatis satisfaciunt, & meritum ipsum Christi magis magisque „ no-

(a) Ubi sup. Tit. de Satisfactione.

,, nobis applicant, ut *qui sanctus est, sanctificetur adhuc*: quare ,, non fructus tantum sunt, & signa, quibus testamur, & declara- ,, mus obedientiam & gratitudinem nostram; sed etiam proventus, ,, atque augmenta virtutum, & meritorum, & spirituales profe- ,, ctus animarum. Quod cum dicimus, non solum nihil detrahimus ,, virtuti Christi, sed plurimum tribuimus, illustramusque ejus ,, gratiam, dum non solum ipse, sed & nos per ipsum satisfacimus, ,, proficimus, & apud Dei justitiam operamur digna praemio. *Et* ,, *ad Tit.de Oratione*: Non itaque solum exigitur oratio in Scriptu- ,, ra, ut excitetur fides; sed etiam ut remissionem peccatorum ob- ,, tineat, & post remissionem satisfaciat residuae poenae, perseve- ,, rantiam impetret, & apud Deum mereatur aeternam remunera- ,, tionem. Eademque inculcat ad Tit. de Jejunio, & Eleemosina. Et ad Tit. *de memoria Defunctorum*, haec omnia valere docet, non modo ad satisfaciendum pro peccatis nostris, sed etiam ad aliorum peccata redimenda: ,, Unam igitur confitemur redemtionem, & libe- ,, rationem a peccatis, & unum meritum aeternae vitae, Christi sci- ,, licet, extra quem nulla est satisfactio, nullum meritum; sed no- ,, stra opera, quum illi per gratiam uniti sumus, illius veraciter ,, sunt; illius spiritu, & virtute, & fiunt, & efficacia sunt, vel pro ,, nobis, vel pro aliis, secundum videlicet quod eo inspirante, se- ,, cundum caritatis ordinem ad nostram, vel proximorum salutem ,, ea dirigimus.

Ex his vero facile intelligimus; valere Sanctorum passiones in Indulgentiis, ex mente Soti, non modo ut propter eas meritorum Christi participes reddamur; sed etiam tamquam partem satisfactionis divinae justitiae pro peccatis nostris exhibitae. Si enim virtute passionis, & meritorum Christi potest unus pro alio divinae justitiae satisfacere, cur non ad satisfactionem pro peccatis nostris valebunt Sanctorum merita, quum nobis per Indulgentias ex Ecclesiae thesauro communicantur? Ad hujus enim *thesauri cumulum*, ut Ecclesia docet (*a*), *Beatae Dei Genitricis, omniumque Electorum, a primo Justo usque ad ultimum, merita adminiculum praestare noscuntur*. Quod egregie Sotus sequentibus verbis illustrat (*b*): ,, Constat, ,, San-

(a) Clem. VI. Extrav. *Unigenitus* de Poenit. & rem. (b) Lect. 1. de Indulgent.

„ Sanctorum plurimos multas. passos esse poenas satisfactorias pro „ peccatis, & voluntarie etiam subiisse; qui tamen aut sine gravioribus peccatis vixerunt, aut si qua commiserunt, minima satisfactione exsolvi poterant...... Rursum, quum haec paterentur, „ aut agerent, tamquam Ecclesiae membra, cupientes haud dubie „ conferre Ecclesiae, & Congregationi Fidelium omnium, tam „ praesenti, quam futurae, quidquid possent: quis dubitabit, hanc „ Sanctorum mentem gratam Deo fuisse, atque ita acceptam; ut nihil in eorum operibus fuerit, quod aliis prodesse possit, quod divina justitia non acceptaverit pro aliis? Quod verbum illud Pauli „ apertissime confirmat: *Quae desunt*, inquit, *passionum Christi*, „ *adimpleo in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*. Ex quo „ certe verbo aperte ostenditur, repositum esse coram Deo immensum hunc thesaurum satisfactionum Christi, & Sanctorum omnium, excedentium in immensum proculdubio poenam peccatis omnibus debitam. Si enim peccata malorum apud divinam justitiam „ recondita sunt, dicente ipso: *Nonne haec recondita sunt apud me*, „ *& signata in thesauris meis*? Quanto magis Sanctorum merita „ reservata sunt apud Deum profutura omnibus? cum pronior sit „ ad praemiandum, quam ad puniendum; ad misericordiam, quam „ ad iram: apud quem sicut nullum malum impunitum, ita nullum „ bonum irremuneratum.

Quod pertinet ad Sacrificium Altaris, quinta hujus capitis propositione decernit Bajus; quod *Sacrificium Missae non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat*. Refellit hunc errorem Sotus tota lectione septima *de Sacramento Eucharistiae*; ubi pluribus Sacrarum Scripturarum, Patrum, & Conciliorum auctoritatibus, *contra recentiores haereticos hoc obstinatissime negantes*, demonstrat; *Offerri Christum in hoc Sacramento vera & propria oblatione*: imo, *verius*, inquit, *magis proprie dictum, & plenius Sacrificiũ est hoc omnibus Sacrificiis legis veteris*; *quamquam non sit cruentum Sacrificium*; *sed* secundum ordinem Melchisedech, *hoc est*, *incruentum*. Et in Adsertione Catholicae Fidei, his verbis Confessionis Wirtembergensis,

„ sis : (a) Cum Sacrificii nomen latissime pateat, ac generaliter si„ gnificet sacrum cultum, libenter concedimus, verum, & legitimum „ usum Eucharistiae posse hoc modo Sacrificium dici: his, inquam, haereticae Confessionis verbis, quibus superioris propositionis error continetur; hanc veluti Catholicae fidei Confessionem opponit: *Nos vero proprie, & vere cum Ecclesia Catholica Sacrificium dicimus: in quo videlicet (licet incruente) offerimus Christum Patri*. Quod paullo uberius exponens ait: *Credit vera fides, hoc Sacramentum non tantum cultum Dei, sed peculiariter, & proprie Sacrificium esse universale Christianorum omnium, ubi ita commemoramus unicam illam, & cruentam oblationem, quam Christus Patri obtulit in cruce, ut etiam eamdem, ejus institutione, & praecepto, incruente quidem, sed veraciter offerat tota Ecclesia Patri.*

§. VI.

De Propositionibus, quibus innocentis naturae status informatur.

AD quatuor capita revocantur propositiones, quibus innocentis naturae statum Baius delineavit. In primo agitur de meritis bonorum operum, quae Baius docet creationis esse, non gratiae, munera. In secundo de exaltatione hominis innocentis, & Angelorum ad consortium divinae naturae; hanc quoque Baius naturalem esse contendit. In tertio de praemio aeternae retributionis, quam idem Auctor bonis operibus jure naturae debitam dicit. In quarto de immortalitate, aliisque donis primaevae integritatis &c., quae naturalem hominis institutionem iudivulse consequi, Baius decernit. Quapropter omnium ejusmodi errorum summa in eo posita est, quod nihil eorum, quae modo gratuita, & supra naturam esse dicimus; naturae conditionem, in illo innocentiae statu, naturae jus, & naturalis institutionis ordinem superaret. De his quidem Sotus, uti superius dictum est, nunquam data opera disserit; attamen ea subin-

(a) T. 2. *de Eucharistia*.

de principia ponit, quae cum iis Baianae Theologiae placitis ac decretis cohaerere nullo modo possunt.

Nam primo generatim statuit, quod [a] *omnis gratia, sicut sola revelatione Dei cognoscitur, ita sola ejus liberalitate donatur: unde non est debita alicui, vel consequens naturam.* Haec pauca verba sufficiunt ad universam Baii de innocentis naturae statu doctrinam funditus evertendam: Hoc enim, ut ipsemet Duchesnius observat [b], unico principio nititur, quod gratia sanctificans, fides, spes, caritas, lumen gloriae, clara, & manifesta Dei visio, aliaque ejusmodi dona, quae gratiae nomine insignimus, & quibus natura creata ad consortium evehitur divinae naturae, Angelis, & homini innocenti fuerint creationis munera, naturalis institutionis consecutiones, naturae appendices ac proprietates: „ Si hoc principium, inquit Duchesnius, amplectaris, te in omnem errorem praecipitem „ aget: Si repudies, ac labefacias, totum aedificium concuti & ab „ imis fundamentis everti necesse est. Atqui Sotus in illud principium totidem tela intorquet, quot fuut in illa ejus periodo propositiones: *Omnis gratia sola revelatione cognoscitur*: at naturae consecutiones naturali lumine cognoscuntur: *Omnis gratia sola Dei liberalitate donatur*: sed quod naturali jure debetur, non ex mera liberalitate proficiscitur. *Gratia non est debita alicui*: sed quod debitum fuit integritati primae conditionis, debitum Angelis, & primo homini fuit. *Gratia non est consequens naturam*: sed naturae appendices naturam quodammodo consequuntur. Igitur gratia sanctificans, virtutes Theologicae, aliaque dona, quibus ad Deum evehimur, sive, ut Baius loquitur, *humanae naturae sublimatio, & exaltatio in consortium divinae naturae, nec debita fuerunt integritati primae conditionis*: nec *proinde naturalia*, sed *supernaturalia, & gratuita dicenda sunt*: secus ac Baius quatuor capitis secundi propositionibus decernit.

Secundo haec habet Sotus, quae nullo modo cum Baiano Sistemate de meritis primi hominis, & Angelorum conciliari possunt

„ De

(a) Epist. 2. ad Ruard. col. 46.

(b) Souscrivez a son principe, il vous enlasse, il vous entraine & vous précipite avec lui: renversez le principe, tout l'edifice croule, & n'est plus qu'un sable mouvant *lib. 2. pag. 179.*

,, (a) De Adam Augustinus inquit, quod poterat non peccare; non
,, tamen sine auxilio gratiae, qua fieret, ut tentationi resisteret.
,, Ita Augustinus *de correptione & gratia*, & apertissime Arausicanum Concilium in hac materia contra Pelagianos coactum confite-
,, tur, cap. 19. ita dicens: *Natura humana, etsi in ea integritate,*
,, *in qua condita est, permaneret; nullo modo se ipsam, Deo non adjuvante, servaret.* Et statim: *Unde cum sine gratia Dei salutem*
,, *non possit conservare, quam accepit; quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* Quibus verbis & quae supra dixi-
,, mus de eo, quod Gratiam Scriptura, & Patres vocant; & quae
,, nunc asserimus: nulla gratia dari, ut possimus (*potentia cum actu,*
,, *sive cum effectu conjuncta*) bonum facere sine alia gratia, nisi qua
,, fit, ut faciamus; confirmantur apertissime: Quo loco, ut supra etiam observatum est, luculentissime adstruit Sotus, quod ad superandas Diaboli tentationes, ad reipsa perseverandum, & ad exercitium bonorum operum, opus fuit homini innocenti, non modo adjutorio *sine quo*, seu gratia sufficiente; sed etiam adjutorio *quo*, seu gratia efficaci. Hanc vero gratiam debitam primo homini non fuisse; sed ejus distributionem ex mera fuisse Dei liberalitate pendentem, & in ejus arbitrio, & voluntate positam, sequentibus verbis Sotus perspicue docet: ,, Fidei esse putaverim, in hoc discrimine, quo alii
,, (*efficaciter*) vocantur, alii deseruntur; idque proculdubio Dei
,, aeterna & inscrutabili ordinatione, non semper praecedere vel
,, demeritum, vel reatum, quo quis astrictus sit damnationi aeter-
,, nae. Nam, ut omittam de Adam dicere, qui nondum erat in
,, massa perditionis &c. Ergo sine gratia, qua Deus, aeterna, & inscrutabili ordinatione, cum voluit, primum hominem donavit, eademque, quum voluit, etiam destituit; nullum Adam *acta* ac re ipsa potuit aeternae vitae meritum comparare. Ex his vero principiis Lovanienses optime colligunt: ,, Primi hominis adhuc integri meri-
,, ta, sic primae creationis fuisse munera, ut non tantam merita,
,, verum etiam gratiae deberent nuncupari: idque ea loquendi ra-
,, tione & modo, qui non sit a literis divinis alienus; in quibus gra-
,, tiae vocabulo significatum esse perspicitur gratuitum hoc munus,

Xx 2 ,, quod

(a) Ib.d. col: 27.

„ quod supra naturae facultatem, nullius meriti praecedentis intuitu, „ ad spiritualem hominum utilitatem datur. Quo certe trium propositionum, quae primo capite continentur, doctrina labefactatur.

Tertio, hoc S. Bernardi testimonium, quod Brentius in Confessione Wirtembergensi producit [*a*]. *Quod aeternam vitam nullis possis operibus promereri, nisi gratis detur & illa*; ita Sotus in adjunctis notis exponit: „ *Gratis*, primo quia Deus nulli debitor est, „ & ab illo (*absolute*) nihil nisi gratis datur. Secundo, *gratis*, „ comparatione ejus, quod a nobis pro aeterna remuneratione fit, „ ut a nobis est. Tertio, *gratis*, quia omnia merita nostra, dona „ ejus sunt: quum igitur gratis illa dentur, in illis similiter ipsa „ beatitudo gratis datur. Haec omnia B. Bernardus eo loco expli- „ cat: sic enim dicit: *Nec enim talia sunt merita, ut propter ea vi-* „ *ta aeterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret*, „ *nisi eam donaret*. Ecce primum, quod diximus. Sequitur Bernar- „ dus: *Nam ut taceam, quod merita omnia dona Dei sunt, & ita* „ *propter ipsa magis homo Deo debitor est, quam Deus homini*. Hoc „ est tertium, quod diximus. Jam addit & secundum: *Quid sunt* „ *merita omnia ad tantam gloriam*? Quibus in alio Opere adjungit „ (*b*) Sanctorum opera habent, quod meritoria sint vitae aeternae, „ ex divina gratia potius, quam ex labore, aut virtute operantium: „ & secundum hoc certum est, superabundanter etiam praemiata „ esse a Deo, quod ad Sanctos omnes attinet „. His autem omnino profligantur quinque tertii capitis propositiones, quarum sententia est; quod bonis Angelis & primo homini felicitas esset merces, & non gratia: quod bona opera ex lege naturae, & natura sua ad illam consequendam per se sufficiunt: quod ex naturalis justitiae constitutione, & naturali lege pro bonis operibus sine alio respectu vita aeterna justis promittitur. Nam praeter quam quod Angeli etiam, & primus homo gratis omnino, auctore Soto, ad naturae divinae consortium evecti sunt; & ex mera Dei liberalitate pendebat efficax gratia, sine qua nec sibi aeternae vitae merita comparassent, neque in accepta justitia permansissent: eaque ratione non modo merces ju-

(a) Tit. *de bonis operibus*.
(b) Lect. 1. *de Indulgent*.

justitiae, vita aeterna, sed & gratia nuncupanda sit: Deus etiam Angelis, & homini adhuc innocenti, ad eamdem aeternam vitam retribuendam, nulla naturae lege obstrictus erat: & haud secus de illorum, ac de nostris meritis dici cum D. Bernardo potest: *Quid sunt merita omnia ad tantam gloriam?* Quare quemadmodum Baius, quod de Angelorum, & hominis innocentis bonis operibus in praesenti capite docet, ad nostra etiam bona opera transfert, quum ait: *Quod pie, & juste in hac vita mortali usque in finem conversati, vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutae, justo Dei judicio deputandum est*: ita nos ad innocentiae statum, & ad Angelos transferendum existimamus, quod Sotus ait: *Sanctorum opera habere, quod meritoria sint vitae aeternae, ex divina gratia potius, quam ex virtute operantium*: eaque ratione, vitam aeternam, *quod ad Sanctos omnes attinet* Deo beate fruentes, praemium esse superabundans.

Denique, quod ad mortem spectat, & effraenem concupiscentiam, aliosque defectus, quibus in praesenti vita sumus obnoxii; ab hac quaestione: An illi sint homini naturales, ut quae in mera speculatione versetur, Sotus abstinendum censuit in Opere de Sacerdotum Institutione: *Omittamus*, inquit (*a*), *hanc magis speculativam quaestionem: An haec repugnantia* (carnis adversus spiritum) *sit naturalis, an solum ex peccato in poenam a Deo inflicta. Illud certum est, ablatum fuisse propter peccatum ab homine donum illud originalis justitiae, quo fiebat, ut haec repugnantia auferretur: & rursus, hanc esse, de qua Paulus inquit:* „ Caro concupiscit adversus spi-„ ritum, & spiritus adversus carnem &c. *Item:* Video aliam legem &c. In alio tamen Opere, quod saepe citavimus, adversus Brentium, Sotus aperte significat; dona, quibus haec mala ab homine Deus in prima ejus institutione submovit, non naturalia fuisse, sed gratuita; *Credit*, inquit [*b*], *Catholica Ecclesia, Adam in tanta rectitudine, atque integritate animi & corporis creatum a Deo, ut inferiores omnes vires rationi, quamdiu illa Deo subdita esset, obedirent: corpori vero nihil deesset, quo posset a morte, & infirmitate semper servari; liber-*

(a) Lect. 3. *de Appet. sensit. & ejus actibus*.
(b) Ad Tit. *de Peccato*.

bertate etiam arbitrii ita donatum, ut cum Dei gratia haec dona servare posset sibi, & filiis: Si autem integritatis donum naturale fuisset homini, non gratuitum, gratia non opus fuisset Adae, ad illud sibi filiisque servandum. Nam loqui Sotum de dono integritatis, ut a gratia sanctificante disjungitur; ex eo constat, quod pro fidei dogmate habet, ejusmodi dono statim atque conditus est, praeditum fuisse primum hominem; quum tamen paullo post Brentium reprehendat, quod in Confessione Fidei, Adam *Spiritu sancto ornatum* fuisse, tradiderit; *Hoc*, inquit Sotus, *nec in Scriptura sacra alicubi aperte dicitur, neque colligitur aliqua necessaria ratiocinatione, nec est per Ecclesiam unquam certo definitum. Non igitur miscendum fuit cum his, quae fidei sunt*. Non enim ad fidem pertinet, quod primus homo, vel Angeli statim in ipsa creatione gratiam acceperint sanctificantem. Videsis D. Thom. 1. part. quaest. 62. art. 3. & quaest. 95. art. 1.

Itaque non unam aut alteram Sotus Baiani Systematis propositionem, sed singula ejus capita validissime confutavit. Hunc tamen Duchesnius propterea quod physicam praemotionem ante Bannesium docuerit, & gratiae seipsa efficacis, & gratuitae praedestinationis doctrinam pro fidei dogmate habuerit, veluti Baianorum prodromum, & Baianae Theologiae auctorem, & architectum traducere non est veritus. Quo se Historicus ex eorum numero esse demonstrat, quibus quidquid Molinianum non est, Baianum est, Jansenianum est, Quesnelianum est, haereticum est. Damnarunt quidem Romani Pontifices, atque ille potissimum, qui modo Ecclesiae clavum sanctissime, ac sapientissime moderatur, eorum in aliorum dogmatis configendis licentiam. Verum praejudicatarum opinionum amor, quo quidam in transversum aguntur, numquam non ejusmodi foetus producet; in quorum genere ac numero Baianarum rerum Historiam recensendam esse, quod ad Sotum adtinet, satis me demonstrasse arbitror, & adhuc luculentius sequentibus Capitibus demonstraturum esse confido.

DE

DE JUDOCO RAVESTEYN

Ejusque cum Ruardo Tapper Epistolari disputatione.

CAPUT VII.

Quis Judocus Ravesteyn; ejusque ad Ruardum, & Ruardi ad ipsum Epistolarum Analysis.

ARTICULS PRIMUS.

De Ravestenii pietate, & eruditione, ac fidei Catholicae avitaeque doctrinae zelo adversus Baianas novitates.



NTER Petrum de Soto, & Ruardum Tapperum (verbis utor Auctoris Praeloquii ad Opera Reginaldi &c.) non stetit erudita illa de concilianda gratia efficaci cum libertate controversia. Epistola Petri de Soto venit in manus eruditissimi, & eximii Viri Judoci Ravesteyn, qui quod Tileto oppido Flandriae oriundus esset, vulgo Tiletanus appellatur. Is erat sacrae Theologiae in Facultate Lovaniensi Doctor, & Professor, & in eadem Urbe Lovaniensi Canonicus ejusdem Ecclesiae Collegiatae S. Petri, cujus Decanus erat Ruardus Tapperus. Doctrinae S. Augustini de gratia addictissimus impatienter tulit novas Ruardi Tapperi opiniones, adversus quas defendere aggressus est sententiam Petri de Soto, scripa ad Tapperum Epistola; cui quum reposuisset Tapperus, alteram Tiletanus adjunxit; de quibus nunc mihi adversus Duchesnium differendum est; qui egregium Petri de Soto, & gratiae vi sua efficacis propugnatorem, & a Ruardi partibus collocat contra Sotum; & Moliniani, ut vocant, *Congruismi* acerrimum exhibet defensorem.

Quis

Quis autem, & quantus fuerit Vir ille, de quo nunc agimus, aestimari potest ex ipsius Elogio apud Aubertum Miraeum in Bibliotheca Ecclesiastica inter Scriptores saec. 16. cap. 89. *Judocus Ravestenius Doctor Theologus Lovaniensis, Tileto Flandriae oppido, quod Provinciae umbilicum fere obtinet, oriundus; sacra studia in majore Theologorum Gymnasio Lovanii prosequens, ibidem diu OEconomiam, (quod onus & ego olim sustinui,) utiliter administravit. Doctoris Theologi titulum adeptus, Collegii Hauterlaei Praeses, & Academiae Curator, seu Conservator Privilegiorum constituitur; honestis Sacerdotiis, Praepositura Valcuriensi in dioecesi Namurcensi, & Canonica dignitate Lovanii ornatus. Vir sane eruditus, nec Graece ignarus; cujus summam vitae integritatem, & prudentiam longo rerum usu partam, peculiaris quaedam morum gravitas commendabat, quae in gestu, incessu, vultu, tota denique corporis constitutione, resplendentibus veluti radiis, elucebat. Erat porro sedulus in docendo, acris & vehemens in disputando, in consiliis dandis circumspectus ac maturus: Theologicae Scholae splendor, & Catholicae Ecclesiae incrementum in primis illi curae erant. Quo factum, ut cum anno 1557. Vormatiae Colloquium de controversiis Ecclesiasticis esset institutum, eo Ravestenius cum Francisco Sonnio collega (quo & N. Delfius Batavus suffraganeus Argentoratensis, itemque Fridericus Staphilus, Bartholomaeus Latomus, & Petrus Canisius, celeberrimi Theologi convenerant) Lovanio mitteretur. Sed & haereses, Belgicam infestantes, idem acerrime doctissimeque, tum voce, tum scriptis confutavit; ut a Senatu, Populoque Antuerpiensi, libro illis nuncupato, quem adversus Matthiam Flaccum Illyricum, impiae Confessionis Antuerpianae Architectum, conscripserat, aureo Scypho jure meritissimo honoraretur. Senem apoplexia 7. Idus Februarii 1570. absumsit. Funus terrae mandatum in aede majoris Xenodochii, ubi sacris Virginibus, piam infirmis curam ac sedulitatem impendentibus, multos annos praefuerat.*

In Fastis Academicis Studii Generalis Lovaniensis ad promotionem anni 1546. die 5. Octobris haec de Tiletano leguntur; *Judocus Ravesteyn, Tileto Flandriae oriundus, celebris nominis fuit Theologus in hac nostra, & superiori Germania. Jussu Caroli V. tum*

ad

ad Concilium Tridentinum, tum ad Colloquium Wormatiense missus, primusque, & solus Flacci Illyrici, & aliorum Augustanae Confessionis Ministrorum, qui in Ecclesiam Antuerpiensem irrepserant, impiam doctrinam scripto confutavit. Martini ad haec Kemnitii Examen ac censuram adversus Decreta Concilii Tridentini solida defensione profligavit. Et porro profligaturus erat, nisi Deus, dum reliquas defensionis partes adornat, in medio conatu ex hac vita eum vocasset.

Quo vero zelo, & ardore summus Vir fruticantem Baianismum evellere, atque eradicare studuerit; narrant Gerberonius in Baianis, Dupinius in Michaele Baio, & ipsemet Duchesnius Historiae suae variis in locis; uti pag. 21. quum ait (*a*), Tapperum, & Ravestenium e Concilio Tridentino Lovanium reduces non absque intimo doloris sensu intellexisse, quod veterem, & in Scholis receptam docendi methodum Baius, & Hesselius evertissent: graviter etiam fuisse perculsos, quum zizania viderunt, quae inimicus homo in agro Domini severat: nec denique contineri potuisse, quin suam adversus ejusmodi facinus indignationem proferrent. Et ad annum 1564: pag. *66.*, & seqq. [*b*] ubi Ravestenium, ducem, & antesignanum fuisse tradit eorum, qui ex Facultate Theologica Lovaniensi sanam adhuc doctrinam profitebantur: ejusque conatus refert, ut & Romae per Sedem Apostolicam, & in Hispania per Salmanticensem, aliasque celebriores Academias Baiana dogmata configerentur. Et post editam a. 1567. & promulgatam, & in ipsis Ravestenii aedibus a *Strictae*, ut vocant, Facultatis Doctoribus susceptam S. Pii V. Bullam: *Ex omnibus afflictionibus*, Ravestenium perpetuo exhibet, pro

Yy Fi-

(a) Ils furent sensiblement touchez a leur arrivée d'apprendre que Baius avoit changé la methode d'enseigner reçue dans l'Ecole. Ils ne furent pas moins frappez à la vue de l'yvraye que l'homme ennemi avoit semée dans le champ du Seigneur Ils ne purent dissimuler ni leur étonnement, ni leur indignation contre cette entreprise.

(b) Le Docteur Josse Ravestein étoit à la tete de la plus saine, mais de la moins nombreuse partie de la Faculté de Theologie. Il étoit touché du malheur de son Université & se voyoit dans une especе d'oppression qui ne lui permettoit pas de crier à l'heresie. Il en écrivit à son Ami le P. Laurent Villavicentio de l'Ordre des Hermites de S. Augustin a fin de l'engager à agir aupres du Confesseur de Sa Majesté Catholique. *Et infra*: Ravesteyn ne cessoit pas de travailler secretement en faveur de l'Orthodoxie; il porta ses plaintes au St. Siége... Il sollicitoit la censure du sisteme entier des Novateurs & de plus de 70. Propositions qui en faisoient le fonds. Il prenoit toutes les mesures que la sagesse inspire à un genereux defenseur de la foi, & à un sujet soumis dans les plus facheuses circonstances &c.

Fidei Catholicae defensione excubias agentem, ne forte ullam ex proscriptis propositionibus, aliis, ut fieri solet, fucatam coloribus iterum Baius inveheret. Et ad annum 1570. pag. 127. ubi de Ravestenii obitu; (*a*) quem ait summo per ea tempora Universitatis damno, & incommodo adtigisse; paucis agit, eumdem Ravestenium laudat veluti sanae doctrinae invictum, & intrepidum defensorem; cujus propterea funus orthodoxi Theologicae Scholae, cujus ipse gloria, & columna fuerat, Professores lacrymis prosequuti sint. Tanti Viri jacturam, ex Baianae factionis progressu, cujus statim [quod Morillonius Cardinali Granvellano futurum praenunciarat] potiores in Academia partes fuerunt, Catholicos aestimasse: Baium vero ut ab incommodo Censore jam liberum, majoribus animis praelium instaurasse, & majore quam antea temeritate, & audacia ad exponenda, propugnandaque reproba dogmata adgressum esse. Hunc enim communem fuisse omnium sensum, ipsimet Baio Belgici aliquot Episcopi significarunt; ut ipse palam Lovanii in Scholis Theologorum pro concione conquestus est (*b*): *Nam dicebant, quod ubique constantissime fama deferretur, me post obitum Magistri nostri Tiletani omnia denuo turbare, & innovare, & hujusmodi articulos docere.*

Talis itaque, ac tanti Viri, & Baianis infensissimi, quique illorum sensus, ac latebras, intimosque eorum doctrinae recessus optime perspectos atque exploratos habebat, de Petro Soto, ejusque ad Tapperum Epistolis judicium, maximi apud nos momenti esse debet, ut ab homine profectum; in quem nulla Baiani erroris, aut initae cum Baio, & Baianis societatis suspicio cadere potest. Est autem ipsamet Solis luce meridiana clarius atque evidentius, Ravestenium Soti nostri ad Tapperum Epistolas pro Catholicis habuisse, nullisque eas existimasse haereticae doctrinae sordibus contaminatas. Negat id quidem Duchesnius, atque, ut antea dictum est, Rave-ste-

(a) Par malheur pour l'Université de Louvain, ce genereux & infatigable défenseur de la saine doctrine mourut le septiéme de Févrter de l'année 1570. Il fut universellement regreté des Orthodoxes de cette Ecole, dont il fut la gloire & la colonne tandis qu'il y professa la Théologie. Les Catholiques sentirent bientot le vuide, qu'il y laissoit; car la faction de Baius y prit le dessus, comme Morillon l'avoit prédit au Cardinal de Granvelle . . . La mort de Ravesteyn l'ayant débarrassé d'un incommode Censeur, il crut prouvoir impunement rentrer dans le champ de bataille. Il soutint avec plus d'audace que jamais les propositions condamnées &c.

(b) Baiana pag. 142.

ſtenium a Ruardi, & Molinianae Scholae partibus collocat contra Sotum, & Thomiſtas. quo ſe tamen adeo parum, vera, aut vero ſaltem ſimilia dicendi ſolicitum fuiſſe demonſtrat; ut Lector, cui veritas cordi ſit, hinc ſatis praemoneatur, non eſſe abſque criterio, & examine ſuſcipienda, quae ille de hujuſmodi controverſiis, in tranſverſum ſtudio partium actus, literarum monumentis conſignavit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Prioris Raveſtenii ad Tapperum Epiſtolae Analyſis.

DUas ſtatim & in ipſo Epiſtolae limine proponit quaeſtiones Raveſtenius; quae, inquit, videntur mihi capita totius diſputationis. 1. Utrum qui intus pulſatur, & trahitur, ut credat, & obediat; non tamen in eo fit, ut credat, aut obediat; poſſit non alio tractu adjutus aut pulſatus credere aut obedire trahenti. 2. Utrum quando quis ſic trahitur, ut credat, praeter tractum illum internum, ſive pulſum, aut inſtinctum mentis, conſtituenda ſit aliqua alia operatio Dei efficax, qua fiat, ut qui trahitur, credat aut obediat.

Harumce quaeſtionum ſolutionem ex aliquot ſententiis, ſeu propoſitionibus pendere, ſubjungit Raveſtenius; quarum prima eſt: Non eſſe eamdem inſpirationem, aut pulſum, ſive inſtinctum cordis, ſive denique eamdem gratiam, qua trahitur a Patre is, qui ad credendum, aut obediendum perducitur; & qua trahitur is, qui nondum perducitur ad credendum, aut obediendum, ſed adhuc contumaciter reſiſtit. Sed ſi eadem erat in utroque cordis obduràtio, potentiore divinae gratiae adflatu pulſatum fuiſſe, qui ad pietatem convertitur, quam qui in impietate obfirmatur.

Secunda propoſitio: Is, qui nondum intus ſic docetur, aut trahitur a Patre, ut veniat; ſine pleniore, & perfectiore doctrina, illuminatione, aut tractu, nunquam per ſolas liberi arbitrii vires in ſe formabit, aut concipiet fidei conſenſum, aut obedientiam. Item nec poteſt, niſi plenius tractus in ſe conſenſum verae, & divinae fidei formare, aut producere. Quod tamen ut recte, ſaneque intel-

ligatur; observat, distinguendam esse duplicem potestatem, possibilitatem, & facultatem veniendi ad Christum: Alteram, qua potest ad Christum venire is, qui non exspectata ulteriore doctrina &c. credere potest in Christum; quae dicitur potestas, seu facultas *immediata*: Altera, qua is dicitur posse venire ad Christum, & credere in eum, qui docetur de Christo; & si eamdem doctrinam vitiis corruptus non contemnat, poterit eousque progredi, ut ad Christum perducatur; quae dicitur potestas, seu facultas *mediata*.

Observat etiam, quod sicut de externa doctrina recte ex Scripturis tradit Augustinus, quod si illa sufficeret ad fidem concipiendam; liberum arbitrium haberet ex se quod non accepisset, unde gloriaretur: ita de omnibus internis inspirationibus &c. quae non efficiunt, ut mens credat, & obediat, sentiendum omnino videtur, quod si ex solis ipsis mens posset (*potentia cum effectu conjuncta*) credere, & obedire, ex se haberet, unde gloriaretur in suis viribus, & potestate, nempe quia ex se haberet, quod non accepisset.

Hinc vero colligit, quid sentiendum sit de illa Ruardi propositione: Liberum arbitrium pulsatum interna inspiratione, aut praeveniente gratia excitatum, suapte vi, & natura consentire potest, & obedire fidei. Nam si praevenientem gratiam, *inquit*, aliam intelligas, quam eam, quae sic intus docet, & trahit, ut re ipsa ad Filium eas; Pelagianam sententiam propositio illa continet; dum liberi arbitrii viribus, quamvis excitatis, & pulsatis tribuitur, quod gratiae operatrici, & efficaci tribuendum est. Sin vero de gratia operatrice praeveniente intelligatur; vera, *inquit*, & Catholica sententia est. Sed eam loquendi formam Ravestenius minime probat.

Inde etiam colligit, jure puniri eos ac reprehendi, qui non credunt, quoniam Deum intus vocantem contemnunt, paratum etiam eos, nisi contemneretur, ad ulteriora provehere. Quapropter utrumque verum esse, quod S. Augustinus aeque docet: nempe ideo non credere, qui non credunt, quia non eis datur, ut credant; & ideo etiam non credere, quia nolunt, & Deum, ad fidem eos invitantem, repellunt. Ex duobus tamen intus vocatis si unus credat, alius non credat; primam inter eos discriminis caussam esse ex divino judicio repetendam. Denique veram perfectamque gratiam Christia-

ſtianam, qua nimirum donatur, ut velimus, & faciamus, his Propheticis promiſſionibus adumbrari: *Faciam, ut faciatis: auferam a vobis cor lapideum, dabo vobis cor carneum.* Quamquam, ſubjungit, & alii divini tractus, & motiones, ad iſtam gratiam praeparantes, etiam vere ſint gratiae.

Tertia ſententia: Tractus ille internus, ſive doctrina, aut inſpiratio Patris, quae facit, ut venias ad Chriſtum, & operatur, ut velis; eſt illa ipſa operatio Dei efficax, qua, dicit Apoſtolus Paulus, *Deum operari in nobis velle.*

Deinde quaerit: An fieri & contingere poſſit, ut gratia, quae *ſecundum ſuam naturam* efficax, & operatrix ſit, ex duobus aeque contumacibus, & rebellibus, alterius obdurationem frangat, alterius autem obſtinatione vincatur. ℟. quod gratia, quae ſuapte vi, ſive *ſecundum ſuam naturam* eſt efficax ad operandum, ſemper operatur; aut certe, quod gratia, quae facit credere, & velle, diſtincta eſt ab ea, que non facit illud; quia prior tollit contumaciam liberi arbitrii, non poſterior: & ſi eſſet una eademque gratia in utroque; qui convertitur, haberet ex viribus liberi arbitrii, unde prae altero gloriari poſſet.

Denique, exactam hujus quaeſtionis explicationem; Quomodo fides ſit donum Dei; ait, repetendam eſſe, non ex libro S. Auguſtini *de Spiritu, & Litera*; ſed ex aliis ejus libris, in quibus eamdem quaeſtionem ſtudioſius tractat, qualem conſtat eſſe librum *de Praedeſtinatione Sanctorum.*

ARTICULUS TERTIUS.

Analyſis Epiſtolae Ruardi Tapperi ad Judocum Raveſtenium.

PRopoſitas ſibi a Raveſtenio quaeſtiones; quae illi totius diſputationis eſſe capita videbantur; primum Ruardus monet, ad altius eſſe principium revocandas. Eſſe autem hoc principium, notionem libertatis, quae contingentiam requirit ad utramque partem contradictionis. hanc enim integram, illaeſamque manere oportet

tet in operibus pietatis; ut quum E. G. infidelis credit, non credere; & cum non credit, credere possit, *nullo*, inquit, *posito*, *vel remoto alio*, *quod ad agendum*, *vel non agendum*, *necessarium sit*.

Hoc vero semel constituto, manifestam esse ad proposita disputationis capita responsionem. Nam qui trahitur, & allicitur ad credendum, nec tamen credit; potest (secus ac Ravestenius in priore Propositione decernebat) non alio tractus, & adjutus auxilio, reipsa credere: & qui credit, posset reipsa, eo donatus adjutorio, non credere. 2. Esse quidem in eo, qui credit, praeter interiorem instinctum, seu vocationem, constituendam efficacem Dei operationem; sed hujus operationis efficaciam in actibus liberis ab humano pendere arbitrio.

Non ergo oportet, quod si duo eadem omnino gratia pulsentur, illa in utroque sit efficax: plurimum enim & ab animi naturalibus dispositionibus, & ab arbitrii cooperatione ejus efficacitas pendet: eademque ratione, nec potentiorem esse oportet gratiam in eo, qui reipsa convertitur. Potest enim fieri, ut eadem gratia, qua unus non convertitur, alius convertatur, quod minor sit hujus adversus Deum rebellio, & contumacia. Quod pluribus exponit; eoque trahit aliquot S. Augustini auctoritates, quarum profecto alius omnino sensus est.

Hinc etiam constat, quid sentiendum sit de secunda Ravestenii propositione. Non enim, ut in illa statutum est, Ruardus existimat, quod is, qui nondum intus sic docetur, aut trahitur a Patre ut veniat; pleniore, & perfectiore doctrina illuminante, aut potentiore tractu opus habeat, ut re ipsa veniat: quare nec distinctionem illam Ruardus probat duplicis potestatis, quarum altera suapte vi proxime, & intime cum actu veniendi conjuncta sit: altera vero consensum non eliciat, nisi potentior adflatus, & instinctus intercedat: Sed quamlibet gratiam immediate sufficere docet ad eum actum, ad quem adfectum hominis excitat, si divina vocatio congrua sit, & ejus qui vocatur adfectui, ac dispositionibus adtemperata.

Credendi potestatem accipere homines, non ex vocatione extrinsecus auribus insonante, sed ex bonis cogitationibus, & adfectibus, quos Deus pectoribus veluti divina semina inserit. Quapropter

ter non eamdem esse rationem interioris, & exterioris vocationis; ut si ille, qui suis viribus exteriori vocationi consentiret, haberet ex suo libero arbitrio, unde gloriari posset adversus alterum, qui eamdem exteriorem vocationem rejiceret: propterea is etiam, qui intus vocatus fidem amplectitur, inflari possit adversus alterum, qui aeque vocatus fidem repudiet. Nam Dei vocationi consentire, nil aliud est, quam ad oblatum munus amplectendum manum porrigere. Sed quae, precor, est gloriatio pauperi, quod manum extendit eleemosinam exhibenti, eamdemque accipit, & acceptam habet; nec eam recusat, neque accipere contemnit? Quae, precor, huic gloriatio prae alio, qui fame periens panem oblatum non vult accipere? Nec propterea quod libero arbitrio vocationi consentit, sibi tribuere debet, quod se discernat ab altero; nam neque ipse ad Christum, divinae voci consentiendo, veniret, nisi per congruam inspirationem veniendi potestatem divinitus accepisset.

·. Abesse etiam ab hac doctrina Pelagiani erroris invidiam: quamvis enim Pelagianum sit, quod ad credendum sola exterior praedicatio, &cohortatio sufficiat: Catholica tamen, & Augustini placitis consentanea doctrina est: quod hominis voluntatem Deo intus pulsante, & ad credendum determinante, se ipsa ad amplectendam fidem suapte libertate determinet. In his enim, atque ejusmodi actibus quod libertatis est, ad solum referendum est arbitrium: quod divinum est & pietatis, ad divinam suasionem, & ipsum arbitrium his Dei muneribus praeventum, per quae accipit credendi potestatem. Non ergo quod ad operationem attinet, sed quod ad modum, inter gratiam, & liberum arbitrium distinguendum est; ut sit quidem operatio communis, sed modus libertatis ad solum referatur arbitrium.

Deinde, secus ac Ravestenius scripserat, Ruardus sibi videri respondet, nullibi ab Augustino exactius expositum, quomodo illaesa arbitrii libertate fides sit donum Dei, quam id ab eo praestitum sit in libro de Spiritu, & Litera cap. 30. & seqq., cujus loci doctrinam ad suas Tapperus inflectit, & accommodat opiniones.

Dissentit etiam a Ravestenio in adsignanda caussa, cur ex duobus vocatis alius credat, alius non credat. Judocus enim ad Dei voluntatem, & inscrutabile judicium id discriminis velut ad primariam

caus-

caussam, & originem referebat; quod nimirum uni datur, alteri non datur, ut credat. Sed contra Ruardo videtur, quod cum omnibus sic detur, ut credere possint, ut nihil amplius ex parte Dei requiratur; divina quidem gratia proxima, & primaria sit caussa, quae credentem a non credente discernit: sed propria voluntas, & primaria, & proxima caussa sit, cur illo credente alius non credat; quod nimirum Deum sua & ipsi munera ingerentem propria voluntate, ac libertate contemnit.

Christianam gratiam adumbratam esse Propheticis illis promissionibus: *Faciam, ut faciatis*; *Dabo vobis cor carneum &c.* ipse etiam Tapperus agnoscit. Sed hanc gratiam, ejusque conservationem, finem esse ait coelestium auxiliorum; ac proinde non esse inter ipsamet auxilia computandam, quibus ad eam perducimur, aut praeparamur. Ad hoc enim cetera auxilia ordinantur, ut habeamus cor carneum, & in divinis praeceptis ambulemus: &c. Sed hunc finem sua tantum, & intrinseca vi minime consequuntur. Nam eorum efficaciam magna parte a subiecti pendere dispositione, Scripturae, inquit Ruardus, testantur.

Denique, non adversari hanc de concilianda gratia, & libertate opinionem doctrinae S. Augustini in libro de Gratia Christi, quum suasiones, pollicitationes coelestium, & sapientiae revelationem ad legem pertinere docet, atque doctrinam. Nam Pelagium S. Doctor in eo libro confutat, qui non alias suasiones, & pollicitationes coelestium intelligebat, quam quae in sacris literis revelatae sunt, aut hominum ministerio peraguntur. Ejusmodi enim sub lege merito comprehenduntur atque doctrina: ad quam tamen injuria revocarentur interiores illustrationes mentis, & voluntatis excitationes, quibus nos Deus intus suadet, & docet, & virtutem bene agendi in ipsis bonis cogitationibus, & adfectibus subministrat.

AR-

ARTICULUS QUARTUS.

Alterius Ravestenii ad Ruardum Epistolae Analysis.

GRatias agit Ruardo, quod priorem Epistolam non obiter, aut perfunctorie versaverit, sed diligenter, ac sedulo examinaverit, & singulas ejus propositiones excusserit, & ad amussim ac trutinam revocaverit. Sed esse tamen adhuc aliquas magni momenti quaestiones, ac difficultates, quas nondum satis eliquatas existimat; & Ruardo attentius examinandas, ac disertius explanandas propnit. 1. Utrum tractus, inspiratio, sive gratia, quae est effectrix bonae voluntatis, eadem sit cum ea, quae nondum efficit bonam voluntatem. 2. Utrum vocatio multorum illorum, qui non venerunt; quos tamen Augustinus pronuntiat potuisse venire, eadem sit cum vocatione eorum, qui venerunt. 3. Utrum soli illi potestatem accipiant, ut vocati veniant, qui sic vocantur, ut eis inspiretur adfectus erga fidem, & ea, quae sunt fidei. 4. Utrum suasio, & persuasio divina tantum differant ex diversa dispositione vocatorum. 5. Utrum gratia, quae inspirando pium affectum erga Christum, & quae sunt fidei, tollit in uno duritiam cordis; non sit major, & potentior ea gratia, quae in alio similiter duro non tollit cordis duritiam, nec emollit cor ad discendam, & quaerendam, aut etiam suscipiendam fidem. 6. Utrum cui donatur, ut credat, & obediat, non aliter moveatur, quam is, cui non donatur, ut credat, & obediat.

His quaestionibus, ait Ravestenius, contineri summam disputationis, quae Ruardum inter, & Sotum versabatur. Porro id quidem recte ipsi Ruardo observatum, primum in tuto esse collocandam arbitrii libertatem; cujus ratio in eo posita sit, ut quum homo fidem amplectitur, in ejus potestate sit eam repudiare; & quum repudiat, eamdem libere amplecti. Sed nondum sibi perspectum esse, atque exploratum, quomodo ex hoc tantum principio penderet earum rerum, quae in disputationem veniebant, aperta & facilis explanatio. De hoc enim omnibus inter se Catholicis, & Soto cum Ruar-

Ruardo conveniebat; qui tamen in exponenda coelestium auxiliorum natura, & efficacitate digladiabantur.

Quod autem Ruardus ad notionem libertatis exigeret, ut nullo alio posito vel remoto, quod ad agendum vel non agendum necessarium sit, possimus agere, vel non agere; id minime Ravestenius probat, & pluribus argumentis confutat; ex quibus etiam postremo colligit; esse in multis necessario adhibendam illam distinctionem potestatis, quam, inquit, in secunda propositione constituebam, videlicet in potestatem propinquam, sive conjunctam actui; & in potestatem remotam, quae videlicet ad faciendum id, cujus dat potestatem, adhuc aliud quiddam necessario requirit.

Id etiam in Ruardi de libertate sententia minime probat, contra rationem esse potentiae rationalis & liberae, quod inseparabiliter sit actui conjuncta; quum S. Augustinus dicat, divina gratia sic subveniri electis, ut ea *indeclinabiliter & insuperabiliter agantur*.

Sed ut sit de proposita libertatis notione; posse adhuc cum illa consistere Soti de divina gratia doctrinam: In id enim & ipse Sotus consentit; positis omnibus ad agendum requisitis & necessariis, posse hominem libere credere vel non credere; quamquam id numquam opinetur futurum, ut positis omnibus ad re ipsa & actu credendum requisitis & necessariis, homo non credat.

Ex eodem libertatis principio non satis etiam perspicue ac dilucide apparet, quomodo universe ac generatim quicumque intus pulsatur & trahitur, ut credat aut obediat; in quo tamen non fit ut credat aut obediat, possit, potentia proxima & immediata, non alio & potentiore tractus & pulsatus auxilio, credere aut obedire. Suaviter enim Deus & paullatim humanas mentes ad credendum & obediendum inclinat: atque in ipsis etiam interioribus vocationibus varii sunt gradus; nec statim omnes ad summum illum & perfectum gradum provehuntur, in quo satis virium sit ad mentem actu & re ipsa in obsequium fidei captivandam.

Quod ad secundam quaestionem pertinet, per omnia, inquit Ravestenius, mihi probatur doctrina Scripti tui: videlicet, praeter omnem tractum internum & vocationem, constituendam esse aliquam operationem efficacem Dei, qua in animo fiat, ut qui trahitur

tur

tur & vocatur, credat & obediat: Et de hac Dei efficaci operatione esse eas Domini, & Apostoli auctoritates intelligendas: *Sine me nihil potestis facere &c. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.*

Neque etiam in eo a Ruardo dissentit Ravestenius, quod generatim gratia, quae in uno est efficax, possit esse in aliis inefficax, ob varias eorum quibus tribuitur dispositiones, & varios obdurationis & resistentiae gradus in hominum cordibus superandos. In eo tamen positam non esse controversiae summam, quae in eo tantum versatur: Utrum gratia, quae potens est ad tollendam in uno cordis duritiem, non sit potentior & major qualibet gratia, quae in alio aeque duro & similiter disposito nondum valet tollere duritiem, & contumaciam, aut rebellionem. Similiter utrum ne gratia, quae non efficit credere aut velle in aliquo, sit minor ea, quae in eo ut crederet aut vellet, efficeret.

Non ignoro, inquit, quod diversitatem, quae est inter duos aeque contumaces, aequaliter tractos, dum alter credit, alter in contumacia permanet; referre conaris ad naturam, & conditionem, sive potestatem liberi arbitrii, non autem ad gratiae diversitatem. Verum utrum hoc satis certe & solide facias, posterius suo loco excutiendum erit. Ac subjungit; quod heic esset locus examinandi doctrinam S. Augustini in libro *de Correptione & gratia*, ubi S. Doctor incunctanter adfirmat, Gratiam, quae modo in electis efficit non solum posse perseverare si velint, sed facit etiam ut velint, majorem & potentiorem esse gratia, qua datum est Adae, ut posset perseverare si vellet. Unde colligit Ravestenius, quod potentior est, & major, & largior gratia, quae facit ut credamus, quam quae dat posse, & nondum dat credere: imo, quod & major fuisset gratia Adae data, si non solum posse perseverare, sed etiam perseverare ei datum fuisset.

Deinde pluribus confutat opinionem Tapperi, quod suasio & persuasio, sive gratia suadens & persuadens, eadem gratia sit, differens tantum secundum effectum, qui est ex libero arbitrio. Quod falso adfirmari judicat non solum de gratia medicinali, sed etiam de gratia, qua tantum suasum fuit primo Parenti, ut in accepta justitia

perseveraret: hac enim major & potentior fuisset, qua non modo suasum, sed etiam persuasum illi fuisset, ut summo Bono constanter ac firmiter adhaereret.

Post plura tamen de utriusque gratiae, nimirum suadentis, & persuadentis, discrimine disputata, subjungit, quod Adam, accepto adjutorio gratiae, quo potuit perseverare, non egebat ad actu & cum effectu perseverandum alio auxilio gratiae, sed in voluntate ejus adjuta adjutorio gratiae, quo potuit perseverare, positum fuit, ut vellet perseverare; & ut perseveraret, si vellet. Quod etiam adserere primum videtur de homine in praesenti humanae naturae statu: scilicet posse hominem aliquando iis divinae gratiae auxiliis ad credendum aut obediendum praeveniri, ut actu credere aut obedire, ex ejus tantum pendeat voluntatis arbitrio; & quod hoc tantum auxilio, quo datur ei ut possit credere aut obedire, re ipsa crederet aut obediret, si vellet: quemadmodum & Adam hoc tantum auxilio, quo potuit perseverare, re ipsa perseverasset, si voluisset. Hoc autem labefactare videtur, quae paullo ante de gratiae suadentis, & persuadentis in utroque humanae naturae statu discrimine differebat: Quare hanc doctrinam, ut S. Augustini de gratia vi sua efficaci decretis adversam aperte, ut mox videbimus, deserit.

Primum enim adjungit; quod mens, quae sufficienter quidem suadetur, ut possit sequi aut credere, etiam sine novo auxilio gratiae; quam tamen novit Deus non secuturam; eget potentiore suasione, ut fiat credens, & volens. Quod, addit, & in Adam esse verissimum. Nam cum videret eum Deus adjutum adjutorio sufficienti ad perseverandum, non tamen perseveraturum; si eum perseverare efficaci voluntate voluisset, largiorem ei gratiam & potentiorem communicasset, qua fieret, ut non solum posset, sed etiam vellet. Jam ergo agnoscit Ravestenius efficacis gratiae in utroque statu necessitatem, in ea saltem hypothesi, quod non sit homo cum solo auxilio *sine quo non* crediturus, aut in accepta justitia permansurus. Illud autem majus & potentius auxilium, quo in ea hypothesi indiget homo, & quo fit, non modo ut possit credere, & perseverare si velit, sed etiam fit, ut velit, credat, & perseveret; suapte vi & natura efficax esse, luculenter, ut mox videbimus, Judocus docet.

Quum

Quum enim ex ea doctrina consequens esse intelligeret, quod eadem gratia, quae in uno ex duobus aeque dispositis efficax est, in alio esse aliquando possit inefficax: ideo in ea opinione nullo modo sibi haerendum existimavit; adjungitque praeterea quae illam omnino labefactent. Nam gratia, inquit, quae tam potens est, ut e duobus omnino similiter affectis & dispositis, alterum efficaciter inclinet ad optemperandum, & ab ejus voluntate, quamvis libera, tollat omnem rebellionem, & contradictionem, qua contingeret, ut non obtemperaret; quomodo non similiter inclinabit sua potentia, & efficacia alterius quoque voluntatem, prorsus similiter affectam ad obtemperandum, & non tollet ab ejus voluntate omnem rebellionem, contradictionem, & contumaciam, per quam fieret, ut non obtemperaret? Quod enim efficacia divinae gratiae existimetur pendere ab humanae voluntatis conditione, aut potestate, prorsus non approbo. Gratia enim ex eo efficax dicitur, & est, quod sua vi operationem in voluntate constituat, tametsi libere: quare non pendet ejus efficacia a voluntate; sed potius a propria virtute efficiente in voluntate suum effectum.

His circa efficaciam divinae gratiae disputatis, transit ad alteram quaestionem de discrimine bonorum a malis, sive electorum a reprobis, & minus bonorum a magis bonis, ac luculenter exponit, unde sit quod non credant, qui, audita Evangelii praedicatione, & extrinsecus, aut etiam intrinsecus illuminati, non credunt. Atque inter cetera haec habet: Videtur mihi omnino secundum mentem & doctrinam Augustini, immediatam & proximam caussam cur non credant, quibus annunciatum est Evangelium, esse propriae voluntatis liberam negligentiam vel obdurationem; sed originalem & supremam, esse reprobationem divinam, sive divinam voluntatem, qua secundum judicium suum justum, ac soli sibi cognitum ordinavit ab aeterno, offerre quidem gratiam credendi eis, per quam sufficienter juventur, ut credere possint; sed interim permittere eorum voluntates suae libertati & potestati; quum tamen praevideret, eos propter suam duritiam praedicato Evangelio fidem non adhibituros. Non enim ideo Deus decrevit, eos durae voluntati suae relinquere, quia praevideret duros esse futuros; quae Ruardi fuisse

vide-

videtur opinio; sed potius, quia secundum inscrutabile judicium suum eos non elegit, decrevit non tollere per largiorem gratiam eorum duritiem, quod in electis facere decrevit, & facit. Quibus consona sunt, quae obscurius de hac eadem quaestioue in Epistola superiore disseruit: Non enim vult, Reprobationem, aut inscrutabile judicium Dei caussam esse infidelitatis eorum, qui non credunt: sed neminem fidei rebellem futurum, si Deus ab illo duritiam cordis efficaciter vellet auferre, nec eum sineret agere pro animi sui perversitate, corruptaeque ac depravatae mentis obstinatione.

Postremo in brevem Epilogum colligit; quae hactenus disputata sunt, brevique pagina exponit, tum articulos, de quibus ipsi cum Ruardo conveniebat; tum eos etiam, quos nondum satis eliquatos existimabat, & de quibus ejusdem Ruardi judicium ipsi minime probabatur. Sed de his in sequenti Capite differemus.



CA-

CAPUT VIII.

In praecedentes Epistolas Notae, & Observationes.



QUAMQUAM plurima essent in his Epistolis adnotanda; iis tamen disputationem meam locis circumscribam, quae Duchesnius producit, tamquam Soto, ac Thomisticis de Gratia decretis adversa; Tappero autem, & Molinianae Scholae placitis consentanea. Ipse autem contra perspicue demonstrabo, eamdem, quod ad substantiam dogmatis pertinet, fuisse de gratia suapte vi & natura efficaci, Ravestenii, ac Soti, Thomistarumque doctrinam; quamvis in ea exponenda, non semper easdem voces, ac loquendi formas usurpent. Quod autem ad praesentis disputationis institutum maxime pertinet, luce ipsa meridiana clarius ostendam, nihil haereticum, & a Catholica Fide abhorrens Judoco in Soti Epistolis suboluisse; sed eas omnium errorum pravorumque dogmatum, quae illis Duchesnius adfingit, immunes, & Baianae doctrinae contagio prorsus intactas pronunciasse.

§. I.

Observatio prima.

PRimum itaque observo, quod, ut etiam Duchesnius animadvertit, (*a*) totam hanc disputationem ad duo Ravestienius capita suis in Epistolis revocat. I. An ille, quem gratia interius excitat ad credendum, nec tamen credit; possit, haud alio incitatus gratiae

(a) Il convient qu' il n' étoit question entre son Collegue & lui que de sçavoir: si celui que le grace excite interieurement à croire & qui ne croit pas, peut croire sans le secours d' une autre grace? & si celui qui croit, n' a pas reçû une grace efficace distinguée de l' attrait? Ces deux problêmes n' interessent pas la Foi, & ne rentrent point dans les erreurs de Baius. *pag.* 16.

§. II.

Obſervatio ſecunda.

POſtquam prioris Epiſtolae argumentum paucis Ducheſnius aperuit, ad aliam Raveſtenii Epiſtolam tranſit, quae, inquit (*a*) „ articulos nobis exhibet, de quibus Judocus, & Ruardus conveniebant, & a Soto diſſentiebant. *Igitur*, ſcribit ille ad Ruardum, „ (*b*) *ut in compendium colligamus, quae prolixius diſputata hactenus ſunt; illud imprimis inter nos convenit, eum qui trahitur a Patre, ſecundum quod inſpector cordium novit illi congruere ut veniat, poſſe venire, imo & venire; idque libere, ita ut poſſit non venire*. Jam ergo de Congruiſmo conſentiunt, & facultate voluntatis ad reſiſtendum divinae gratiae; qui duo articuli ſunt, quos „ Sotus impugnat.

Congruiſmus, ut eſt etiam aliis Auctoribus obſervatum, *eſſentialiter*, ut ajunt, ſive ex ſua ratione Molinianus non eſt; ſed eſt Congruiſmus Molinianus, Congruiſmus Thomiſticus, eſt etiam Congruiſmus Janſenianus: Id clare ac dilucide exponit Auctor Tractatus Gallici *de Actione Dei*, ſeu *Praemotione Phiſica* (*c*): „ Nihil, *inquit*, „ magis aequivocum, quam hoc nomen, *Gratia congrua*. Gratia „ efficax & victrix eſt congrua; gratia inefficax eſt congrua: quin „ & in ipſam gratiam Pelagianam hoc nomen quadrare poteſt. Tunc „ enim congrua dicitur gratia, quum ita nobis adtemperatur, ut „ cum illa re ipſa & infallibiter operemur. Ergo ejuſmodi gratiam

(a) Une ſeconde Lettre de Raveſteyn nous offre les points-de vue qui les réuniſſoient & les ſeparoient de Soto & de Baius. Nous convenons enſemble, écrit-il, 1. *Que celui, que le Pere attire de la maniere que ce Scrutateur des cœurs ſçait convenir à l' homme pour qu'il obeiſſe, peut venir, & vient en effet, & cela ſi librement, qu'il peut ne pas venir*: Les voilà donc déja d'accord ſur le Congruiſme & ſur la réſiſtibilité de la grace efficace, c'eſt-à-dire ſur le pouvoir qu'a la volonté de la rejetter: deux articles que Soto combat. *pag.16.*

(b) Epiſt. 2. prope fin.

(c) Rien n'eſt plus ambigu que le terme de grace congrue. La grace efficace & victorieuſe eſt congrue; la grace inefficace eſt congrue; la grace Pelagienne devoit etre congrue. Car on appelle grace congrue, celle qui nous eſt donnée d'une maniere convenable pour agir, en ſorte qu' avec elle on agiſſe effectivement .... Ainſi dire en général qu'on admet une grace congrue, c' eſt ne rien dire de précis, puiſqu'il y a congruité, & congruité, & que tout dépend d' en deméler la force, & la nature. *Sect. 7.ª part. 2. Cap. 1. artic. 2. §. 1.*

credendum tractis divinitus atque excitatis, hac opus esse contendebat, ut actu & reipsa crederent, & Christianam Religionem amplecterentur. Haec dogmata a Baianis erroribus longe aberant, in iisque totius disputationis summa posita erat; ob hanc ergo cum Ruardo disputationem conflanda Soto non erat Baiani erroris invidia.

Attamen quod ait Duchesnius, duas illas quaestiones, Epistolaris hujusce disputationis cardines, ad fidem neutiquam pertinere, in eo profecto palam & aperte a Ravestenio dissentit. Nam prioris quaestionis argumentum est: An ille qui ad credendum intrinsecus excitatur, nec tamen credit, possit reipsa, & potentia cum actu conjuncta, non alio tractus & excitatus auxilio, credere. Ravestenius negantem opinionem sic docet ac tuetur, ut eam manifeste ad fidem Catholicam pertinere significet. Quod praesertim sequentia verba demonstrant (a): „ Sola igitur illa suasio, inspiratio, doctri-
„ na, tractus, quo divinitus inspiratur menti affectus credendi sua-
„ viter & libere, secundum rationem & conditionem naturae libe-
„ rae, ea esse videtur, quae sine alio adjutorio gratiae designata
„ est ab Apostolo operari in nobis velle & operari; & qua operante,
„ liberum arbitrium non habet in se unde glorietur; quippe quod
„ neque operari ex se habeat, aut sua naturali virtute, sed ex dono
„ gratiae facientis ipsum velle, & operari, sine quo neque vellet,
„ neque operaretur. Sic Concilium Arausicanum dicit, inspiratio-
„ nem divinam corrigere voluntatem ab infidelitate ad fidem, non
„ solum haud dubie intus excitando, sed ipsum affectum credendi
„ efficiendo. *Sine me nihil potestis facere*, non habet hunc sensum:
„ Sine me praeveniente vel excitante, nihil potestis facere; sed
„ sine me faciente ut faciatis, nihil potestis facere. Si ergo non quaelibet gratia excitans aut praeveniens, sed ea tantum, quae facit ut faciamus, gratia illa est, qua Deus sine alio adjutorio velle & perficere, ut ait Apostolus, operatur in nobis; clarum ac perspicuum est, quod qui intus trahitur & excitatur ad credendum, nec tamen credit, alio adjutorio indiget, ut reipsa credat. Id autem esse pro fidei dogmate habendum, ex iis & superioribus verbis & argumentis colligit in hunc modum: „ Haec si vera sunt, ut certe

(a) Epist. 1. col. 69.

voluntatis diſpoſitionem, ſed ad futuram ejus determinationem refertur.

Probatum horumce Auctorum calculo Congruiſmum, & qui etiam eisdem improbatur, probat ſimiliter, atque improbat Cl. Societatis Scriptor, Soto quidem ſuppar, at Raveſtenio paene coaevus Franciſcus Cardinalis Toletus; cujus heic verba referre ſtatui ad retundendam nuperi Scriptoris nimiam confidentiam, qui Congruiſmum, utique Molinianum, inter fidei dogmata refert. De Matthaei quippe vocatione in ſuis ad Evangelium Lucae Commentariis Toletus ſermonem habens, Molinianum Congruiſmum aperte rejicit, Thomiſticum autem manifeſte probat. Nam primo S. Johannis Chryſoſtomi auctoritatem, qua Molinianum Syſtema contineri videtur, objectionis loco deſcribit: (a) *Cujus rei gratia, non cum Petro ſimul, ac Johanne, & aliis diſcipulis Matthaeum vocavit? Certe quemadmodum tunc ad illos acceſſit, vocavitque, quando obtemperaturos ſciebat; ſic Matthaeum quoque nunc vocavit, quando miraculorum fama perdomitum minime reluctaturum videbat. Qua de cauſſa etiam Paulum poſt Reſurrectionem piſcatus eſt. Nam qui corda ſcrutatur, & occulta mentium perſpicit, is etiam quando unuſquiſque ad obediendum paratus erat, non ignoravit. Propterea non continuo quando durior fuerit, ſed poſt mille miracula, & inſignem, atque pervagatam de ſe famam, aptiorem jam ad obtemperandum vocavit.* Haec S. Johannis Chryſoſtomi verba, objectionis loco poſita, Toletus minime probat, ſi juxta vulgarem Congruiſtarum opinionem intelligantur: quare hunc ab eis ſenſum removere ſatagit; eademque aut prorſus improbanda, aut conſentaneam Thomiſticae doctrinae ſententiam eis eſſe ſubjiciendam, variis exemplis, & argumentis demonſtrat (a): „ Huic doctrinae adverſari videtur, quod „ ipſemet Paulus de ſua vocatione ad Galat. 1. ſcripſit: *Cum placuit* „ *ei, qui me ſegregavit ab utero Matris meae, & vocavit per gra-* „ *tiam ſuam, ut revelaret in me Filium ſuum, & evangelizarem il-* „ *lum in gentibus, continuo non acquievi carni, & ſanguini.* Non „ dicit Apoſtolus, quando novit me obediturum, ſed quando illi „ pla-

(a) Homil. 31. in Matth.
(b) Adnotat. 54. ad Cap. 5. Lucae.

„ infallibilis ſupponitur; vel tantum externa, petita ex circumſtan- „ tiis adjunctis. Si interna, gratia ex ſe ſe efficax dicenda eſt, quae „ antecedenter ad praeviſum voluntatis conſenſum, certo & infal- „ libiliter effectum ſuum eſt habitura . . . . Si vero externa dum- „ taxat eſt illa gratiae congruitas, ac ſupponit uſum ſcientiae me- „ diae, gratia non videtur ex ſeſe efficax, ſed ex ipſo voluntatis „ conſenſu; nec diſtat illa opinio ab ea, quam Molina tuetur. Non erat ergo, cur Ducheſnius animadverteret, Raveſtenio de hac re cum Ruardo convenire, & ab utroque Dominicanum Theologum diſſidere. Congruiſmus Raveſtenii immenſum diſtat ab eo, quem Ruardus propugnat: ille gratia vi & natura ſua efficaci nititur; hic autem gratiam ex ſe efficacem excludit; hunc Sotus improbat, illum agnoſcit. Quare Judocum inter ac Sotum hac de re convenit; uterque autem a Ruardo aperte diſſentit.

Quod Raveſtenii Congruiſmus gratia vi ſua efficaci nitatur, tum ex utraque ipſius ad Tapperum Epiſtola paſſim conſtat, tum potiſſimum ex ſequentibus verbis, quae plane decretoria ſunt (*a*) „ Si- „ cut gratia praeveniens, qua movetur mens, ſicut ei congruere no- „ vit ſcrutator cordium Deus, efficaciter movet voluntatem ad unam „ partem, ſed libere, videlicet ut libere ſe determinet ad illam „ partem, neque mutuatur ſuam efficaciam a voluntatis poteſtate; „ ſed voluntatis poteſtatem liberam SUA VI RAPIT ET INCITAT „ AD CERTUM EFFECTUM: ita gratia, quae potenter alterum „ inclinat ad obtemperandum, ſed tamen libere, movendo ſcilicet „ ſicut congruere novit voluntati Deus, eadem alterum ſimiliter di- „ ſpoſitum movebit ad eamdem partem; datque illi quoque, ſicut „ & alteri, gratia movens ſecundum quod congruit voluntati, ut „ fiat obtemperans &c. En cujuſmodi Congruiſmum Raveſtenius docet; non illum utique, quem poſtmodum Moliniana, aut Suareſiana Schola adoptavit, cujus congruitas ad futuram voluntatis determinationem referatur; ſed qui voluntatem certo modo diſpoſitam *ſua vi* rapiat & incitet ad certum & determinatum effectum.

Qui ejuſmodi Congruiſmum in Moliniana Schola, & ab eis, qui Congruiſtae vulgo dicuntur, doceri, ac propugnari exiſtimant, on-

(a) Epiſt. 2. col. 109.

terum Ravestenii testimonium in praesentia satis erit ; „ Sed ut de-
„ mus , *inquit* (*a*), verum esse, quod proprie nemo dicatur posse
„ [*potentia conjuncta cum actu , ut ipse paulo superius in hac eadem*
„ *Epistola docet*] aut credere , aut converti , aut aliud quidlibet
„ facere, nisi qui jam habet omnia necessaria ad credendum , ad con-
„ vertendum se , aut agendum ; adhuc sane consistit libertatis ra-
„ tio cum sententia R. P. Confessoris . Nam si quis dicat , neminem
„ posse , aut credere,aut converti , aut facere,quae sunt pietatis , ni-
„ si qui sic trahitur , vocatur , suadetur , aut invitatur , ut aptum
„ ei novit Deus inspector , ad hoc ut efficaciter veniat , facile de-
„ fendet , omnem , qui sic tractus venit , libere venire , hoc est , ita
„ venire , ut possit non venire ; hoc est , vere posse venire , & posse
„ non venire ; tametsi nunquam ita futurum est , ut qui sic trahitur,
„ & vocatur , non veniat . *Et infra* : Nam concorditer hoc defen-
„ ditur ; positis omnibus ad credendum requisitis & necessariis, ho-
„ minem posse libere , vel credere , vel non credere ; quamquam
„ R. P. Confessor hoc opinatur nunquam futurum , ut positis om-
„ nibus ad credendum requisitis & necessariis , homo non credat ;
„ utpote qui opinatur , numquam omnia ad credendum , vel ad po-
„ testatem credendi , sine novo adjutorio gratiae , requisita & neces-
„ saria poni , nisi trahatur mens , sicut congruit , ut mens ad cre-
„ dendum persuadeatur . Igitur , Judoco teste, Sotus neque uni-
verse Congruismum rejiciebat , neque potestatem adimebat volun-
tati ad rejiciendam gratiam ; ac proinde generatim neutrum articu-
lum improbabat , de quo ait Duchesnius , quod Judoco cum Ruar-
do conveniebat : quamquam, ut ostensum est , in eis exponendis cum
Soto Ravestenius concordabat , uterque autem a Ruardo diffidebat.

(a) Epist. 2. col. 99.

§. III.

Observatio tertia:

UT in admittendo Congruismo, ita in rejicienda physica Praemotione, concordes fuisse Ruardum, & Ravestenium, etiam Duchesnius animadvertit; idque ex iis ipsius Ravestenii verbis elicere sibi videtur: „ *Deinde*, subjungit Ravestenius, *& istud* [convenit inter nos] *praeter tractum illum, quo secundum quod convenit, quisque trahitur ut veniat, non esse necessarium, ad hoc ut veniat, aliquod donum Dei cooperatoris ad veniendum: sed sufficere concursum generalem Dei ut Principis gratiarum.* En, *inquit Duchesnius*, (*a*) ambos hosce Doctores ejusdem sententiae in rejicienda tamquam supervacanea, gratia illa efficaci, & operatione divina, quam Sotus inter praevenientem excitationem, & voluntatis consensionem collocabat, & quae postmodum physica Praedeterminatio appellata est.

Jam ergo, Duchesnio teste, Auctorem habemus Bannesio vetustiorem, qui physicam praedeterminationem defendit; ac proinde falsi hoc domestico testimonio convincuntur tot Societatis Scriptores, qui Bannesio antiquiorem huic opinioni originem esse tribuendam, praefracte negant. Argumentum ab aliis Scriptoribus occupatum, & latissime, ac luculentissime pertractatum adgredi in praesentia non libet: at susceptae disputationis ratio postulat, ut quae fuerit de physica praemotione, seu praedeterminatione Ravestenii mens, atque sententia, disquiratur. Duchesnius enim fidenter jactat, eam tamquam supervacaneam fuisse ab illo rejectam: Sed locus Judoci, quem producit, id certe minime probat. Ait enim, praeter interiorem tractum, quo voluntas incitatur, & flectitur, non esse necessarium nisi concursum generalem Dei, bonorum omnium, & charismatum fontis, & originis. Sed cujusmodi esse debeat hic Dei con-

(a) Vo'là encore ces deux Docteurs de même senti ment sur l'inutilité de cette grace efficace ou operation divine distinguée de l'attrait, & que Soto plaçoit entre l'attrait & le consentement: operation que l'on a depu's nommée prédétermination physique. *pag.* 16.

concursus; concomitansne tantum, & ad voluntatis arbitrium determinandus; an praeveniens, atque ipsam voluntatem physice determinans, laudatis a Duchesnio verbis Ravestenius non exponit; exponit autem in aliis ejusdem Epistolae locis, ex qua illa desumta sunt, & in prioribus ad Ruardum Literis: ex quibus facile demonstrari potest, concursum Dei, de quo Judocus loquitur, in voluntatem physice agere, eamque praevenire, ac determinare; ac proinde esse praemoventem, seu praedeterminantem: „ Sola, *inquit* [a]
„ illa suasio, inspiratio, doctrina, tractus, quo divinitus inspiratur
„ menti adfectus credendi suaviter & libere, secundum rationem, &
„ conditionem naturae liberae, ea esse videtur, quae sine alio adju-
„ torio gratiae designata est ab Apostolo operari in nobis velle, &
„ operari; & qua operante, liberum arbitrium non habet in se unde
„ glorietur; quippe quod neque velle, neque operari ex se habeat,
„ aut sua naturali virtute, sed ex dono gratiae facientis ipsum vel-
„ le; & operari, sine quo neque vellet, neque operaretur. Sic
„ Concilium Arausicanum dicit, inspirationem divinam corrigere
„ voluntatem ab infidelitate ad fidem, non solum haud dubie intus
„ excitando, sed ipsum affectum credendi efficiendo. *Sine me nihil*
„ *potestis facere*, non habet hunc sensum: Sine me praeveniente,
„ vel excitante nihil potestis facere; sed sine me faciente, ut facia-
„ tis, nihil potestis facere. *Et infra*: Haec si vera sunt, ut certe
„ mihi esse videntur, facile est dijudicare, quid sentiendum sit de
„ illa sententia: Liberum arbitrium pulsatum, suasum, aut tra-
„ ctum per internam inspirationem, aut doctrinam; aut liberum
„ arbitrium excitatum per praevenientem gratiam, posse per suam
„ vim, & naturam consentire, & obedire fidei. Nam si praeve-
„ nientem gratiam, aliam intelligas, quam eam, quae sic intus do-
„ cet, & trahit, ut ad Filium eas, Pelagianam sententiam conti-
„ net; dum tribuitur hoc liberi arbitrii viribus, quamvis excitatis,
„ & pulsatis, quod gratiae operatrici, & efficaci tribuendum est.
„ Sin vero de gratia operatrice praeveniente, quae facit credere,
„ vera sententia est, & Catholica. Duplicem in his verbis distinguit Ravestenius gratiam praevenientem; alteram excitantem, pul-

(a) Epist. 1. col. 69.

santem, & adlicientem; alteram, quae liberum arbitrium excitatum, pulsatum, & invitatum, facit & operatur, ut faciat, & operetur: ac proinde praeter gratiam excitantem, adeoque *moraliter*, ut ajunt, ac *metaphorice* praevenientem, aliam admittit gratiam, quae *physice* voluntatem praevenit, & in eam, atque in ea *physice* agit, ipsamque ad agendum determinat. Nam si ejusmodi gratiam ipsummet liberum arbitrium quamvis pulsatum, & excitatum, suopte nutu determinare deberet, non autem ipsum ab illa ultimo determinari; infidelis, qui hanc natura sua versatilem gratiam ad actum fidei determinaret, haberet unde prae alio gloriari posset, qui aeque sibi oblatum ejusdem gratiae auxilium respueret: quod maxime refugit Ravestenius, non solum in mox laudatis verbis, sed & in tota hac de Gratia Epistolari disputatione.

Idem etiam docet, & adhuc disertius de hac re mentem suam aperit Epistola secunda sequentibus verbis: „ Quod ad secundam „ quaestionem a me propositam pertinet, per omnia mihi probatur „ doctrina Scripti tui; videlicet praeter omnem tractum internum, „ & vocationem, constituendam esse aliquam operationem efficacem „ Dei, qua in animo fiat, ut qui trahitur & vocatur, credat, & „ sequatur; sed quae semper ordinarie sine alio speciali dono Dei „ hoc faciat. Nam eam quaestionem hoc consilio proposueram, ut „ ejus solutione declararetur, quod positis ex parte liberae voluntatis, quae sunt ad credendum, & sequendum necessaria, non esset tamen in potestate liberi arbitrii, sine divina, & supernaturali cooperatione in se generare, aut formare fidem, aut obedientiam, utpote quae Spiritus Sancti opera sint, & non humanarum „ virium. Unde quod miratum te scribis, quod scripserim, ad Pelagianam haeresim pertinere, siquis sentiat, liberum arbitrium „ pulsatum, tractum, aut suasum, quomodo aptum est persuaderi, „ sequi posse, & credere; addidisse me credo, sine cooperante Deo, „ aut sine dono Dei cooperantis, & hoc in libero arbitrio pulsato, „ & tracto operante. Hanc vero Dei operationem puto inclusam esse in sententia Domini Salvatoris: *Sine me nihil potestis facere &c.* „ Item: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*. Haec autem Christi Domini, & Apostoli verba Epistola superiori, ut vidi-

dimus, ait esse intelligenda *de gratia operatrice praeveniente, quae facit credere &c.* Igitur praeter omnem interiorem vocationem, tractum, excitationem, constituenda est adhuc quaedam Dei operatio, seu quaedam gratia operatrix, & efficax, quae ipsum liberum arbitrium vocatum, tractum, & excitatum, praeveniat, in eoque fidem & obedientiam operetur. Id vero est, quod Thomistae *physicam praemotionem*, seu *praedeterminationem* appellant.

Quod autem ait Ravestenius, ejusmodi efficacem Dei operationem libero arbitrio congruis excitationibus ad agendum disposito, ac praeparato, non esse speciale donum, sed veluti ex communi ordine, & consuetis Providentiae legibus illi administrari; id certe Thomistarum de physica praemotione doctrinae neutiquam adversatur; nec probat, hunc Dei concursum non esse physice praevenientem, aut praemoventem. Nam & oculo sano, ac debita luce perfuso, & ad videndum disposito ac praeparato, docent Thomistae, ex communibus Providentiae legibus concursum Dei non deesse, quem tamen illi in physica praemotione constituunt: atque ut ex rebus etiam, quae naturae vim, & facultatem excedunt, petamus argumentum; beatae menti perfusae lumine gloriae debitus est concursus ad naturam Dei clare & aperte contuendam; hunc tamen Thomisticae Scholae Magistri praemoventem, ac praedeterminantem esse decernunt. Quod ergo Ravestenius doceat, libero arbitrio, ubi illud victrix delectatio praevenerit, concursum Dei non esse speciale donum, sed cum ipsa congrua, seu victrici delectatione veluti naturali lege conjungi; id argumento non est, concursum Dei ad opera pietatis non esse physicum, ac praevenientem, sive uti Schola D. Thomae loquitur, physice praedeterminantem. Falsum proinde est, quod Historicus narrat, Ravestenium in rejicienda tamquam supervacanea praemotione physica cum Ruardo consentire. Nam etsi Ruardi doctrina in eo ipsi probetur, quod homini, quem congrua, seu victrix delectatio ad agendum praeparaverit, ejusmodi concursus veluti naturali jure, atque ordine debeatur: nullibi tamen cum eodem Ruardo, (cujus tamen de hoc argumento doctrina sibi satis non constat;) nullib,iinquam, cum Ruardo docet, hunc Dei concursum voluntatem neutiquam praevenire, & pro ipsius nutu flexibi-

bilem esse, atque versatilem. Quinimo, ut ostensum est, cum Soto conceptis verbis diserteque docet, hanc Dei operationem ab excitatione distinctam, & praevenientem esse, & efficacem, & in voluntate, praeviis excitationibus ad bene agendum disposita, ac praeparata, esse bonae ipsius actionis operatricem: & qui secus opinantur, Pelagiani erroris arcessit. Id vero est, ut jam monui, quod Thomistae physicam praemotionem appellant.

§. IV.

Observatio quarta.

AD haec Ravestenii verba: „*Item & illud inter nos convenit,* „ *externae suasionis rationem diversam multum esse a suasione* „ *interna ..... Et illud, aliquos sic trahi sufficienter & potenter,* „ *ut sine novo auxilio, per ejusmodi tractum adjuti, venire possent, si* „ *vellent .... Et illud, solam suasionem illam, qua illustratur intel-* „ *lectus, & illuminatur affectus, dare sufficientem potestatem ve-* „ *niendi, sine alio auxilio gratiae*; Ad haec, inquam, Ravestenii „ verba Duchesnius observat; (*a*) utrumque Theologum Lova- „ niensem convenire in admittenda contra Sotum aliqua gratia, „ quae sit immediate sufficiens.

Nomine gratiae, quae immediate sufficiat, aut Duchesnius gratiam intelligit, quae proximam & expeditam boni alicujus actus potestatem homini tribuat; aut gratiam significat, quae neque praesentibus voluntatis dispositionibus ex sese, & intrinsece adtemperata, neque cum gratia physice praeveniente conjuncta, re tamen ipsa & cum effectu valeat aliquem pietatis actum exprimere. Si hoc secundo sensu gratiam Duchesnius intelligat immediate sufficientem, falsum omnino est, quod hoc sensu aliquam Ravestenius gratiam admittat, quae sit immediate sufficiens: Si vero juxta primum sensum gratiae immediate sufficientis voces usurpet; ejusmodi quidem gratiam

(a) Les deux Theologiens de Louvain s'accordent donc encore contre Soto, sur l'admission d'une grace immediatement suffisante. *pag.16.*

tiam Ravestenius agnoscit ; at falsum est, quod ea re a Soto dissentiat. Utrumque suis momentis ac testimoniis demonstrandum est. Et quidem ex mente Ravestenii nullam esse gratiam, quae ab efficaci disjuncta, ex defectu physicae praemotionis, sit priore sensu immediate sufficiens, satis jam praecedente §. demonstratum est. Est etiam superius demonstratum, ex ejusdem auctoris sensu gratiam congruam ex sua intrinseca ratione ab incongrua discriminari: etsi illa, quae incongrua est, aliquando praestare valeat proximam, & expeditam ad quosdam pietatis actus homini facultatem, & cum illa absolute homo agere possit, etsi nunquam acturus sit, nisi gratiam recipiat suae voluntatis dispositionibus contemperatam. Id scilicet est, quod paulo post verba, quae Duchesnius refert, Judocus aperte docet: „ Deinde, *inquit*, „ nec hoc satis adhuc excussum videtur ; An gratia, quae est effectrix bonae voluntatis, sive effectrix, ut venias, sequaris, aut „ credas, non sit alia ab ea, quae nondum est effectrix bonae voluntatis. Tua dominatio partem negativam probare videtur, „ dum efficaciam gratiae non ex natura, aut virtute gratiae, „ sed ex voluntatis libertate metiendam docet, & diversitatem credendi & non credendi, eadem existente gratia, ad „ liberae voluntatis conditionem refert. Atqui hanc Ruardi opinionem amplecti & ipse Judocus deberet, si cum illo in admittenda gratia eo sensu immediate sufficienti conveniret, quo Duchesnius contendit. „ Contra vero, *subjungit Ravestenius*, nobis omnino videtur, quod is, cui donatur divinitus, ut credat, „ aut sequatur vocantem, aliquid divinae gratiae accepit prae illo, „ cui nondum datur divinitus, ut credat, sed tantum datur „ illi divinitus, ut possit credere, si velit. Sicut, cui donatur ut „ contineat, mihi certum videtur, dari aliquid divini muneris & auxilii, quod nondum datur ei, cui nondum donatur, ut cum effectu contineat, sed tantum datur ei, ut possit continere, si velit. Certe uberiorem & largiorem fuisse gratiam, qua primo homini datum fuisset velle perseverare, ea, qua datum est illi, „ ut perseveraret, si vellet; clarissime mihi tradere Augustinus videtur in libro *de Correptione & gratia*. At si gratia esset Moliniano sensu immediate sufficiens; nulla posset produci ratio, cur gratia,

quae

quae effectrix est bonae voluntatis, uberior semper & largior esse deberet ea, quae non est bonae voluntatis effectrix; quemadmodum & cur semper aliquid divini muneris & auxilii accipere deberet, qui re ipsa crederet, aut contineret, quod non haberet ille, cui tantum datum esset, ut credere, aut continere posset: quum data homini gratia, quae Moliniano sensu sit immediate sufficiens, ex ejus dumtaxat liberae voluntatis nutu pendeat, ut credat, aut non credat: Id autem est, quod Judocus magnopere refugiebat, ac propterea statim adjungit: „ Deinde, quod efficacia gratiae, sive differentia suasionis, & persuasionis, ex sola humanae voluntatis conditione & libertate sumenda sit, mihi prorsus probari non potest; „ quum ad gratiae efficaciam pertineat inclinare voluntatem in ipsum gratiae effectum, operando videlicet potenter in ea, sed tamen libere, & tollendo omne impedimentum, quod ex voluntatis libertate existere posset, quo gratiae effectus impediretur. Si igitur ad gratiae efficaciam, hoc est, ad persuadendum, pertinet tollere ōne impedimentum, quod operationem gratiae impediret, consequens est, gratiae efficaciam ad persuadendum, haudquaquam pendere a voluntate humana. Ab illa tamen omnino penderet, si gratia Moliniano sensu esset immediatè sufficiens. Falsum proinde est, quod hoc sensu Ravestenius gratiam admittat immediate sufficientem.

Si vero gratiae immediate sufficientis vocibus ea intelligatur, quae proximam, & expeditam voluntati bene agendi conferat potestatem; cujus tamen actus nisi interveniente physica praemotione non exprimatur; fateor, hoc sensu Ravestenium gratiam admittere quae sit immediate sufficiens; sed prorsus nego, ipsum ea in re a Dominicano Theologo dissentire: atque ipsummet Ravestenium hujusce rei testem appello: „ Si ii demum, *inquit* (a), habeant potestatem credendi, seu credere possunt, quibus jam illuminatis divinitus, divinitus quoque inspiratus est affectus pius, & voluntas erga veritatem revelatam, credo, inter R. P. Confessorem, & Tuam dominationem, aut parum, aut nihil relinqui controversiae. Nam satis probabile videtur, eos, quibus divinitus est inspira-

(a) Ubi sup: col. civ.

„ piratus pius affectus, & bona voluntas erga fidem; posse sine novo
„ alio auxilio gratiae credere. Unde si in hanc formam quaestio pro-
„ posita fuisset: Utrum, qui divinitus, sive divini tractus munere in-
„ tus illuminati essent de credendis, possent sine novo auxilio gra-
„ tiae credere; existimarem, statim responsurum fuisse R. P. Confes-
„ sorem, id ita sibi satis probabile videri. Quum ait Ravestenius, infideles intus illuminatos, & excitatos posse sine novo alio auxilio gratiae credere; de novo auxilio gratiae excitantis & *moraliter* praevenientis intelligendus est; non autem de novo auxilio gratiae operatricis & efficacis, ac phsicae praevenientis. Nam, ut superius ostendimus, tum ipse Ravestenius Pelagiani erroris damnat, qui liberum arbitrium *excitatum per praevenientm gratiam posse*, adfirmant, re ipsa & cum effectu, sine *gratia operatrice, & efficaci* PRAEVENIENTE *credere*; tum ipse etiam Sotus, de cuius heic agitur sententia, disertius quam ut alius ei possit sensus adfingi, docet: *Gratiam, de qua* maxime *Scriptura, & Patres loquuntur; quamque ad singulos actus necessariam esse, & dari, antiqua Concilia, & Augustinus contra Pelagium adfirmant, non esse quamcumque inspirationem, vel pulsum cordis, non esse, inquam, aliquid horum solum; sed Dei efficacem operationem, et motum, quo in Anima nostra, et voluntate, et cum ea, atque per eam efficit ipsam voluntariam operationem bonam, hoc est, ipsum velle, credere* &c. Ille ergo, cui credendi praevius & indeliberatus adfectus inspiratus est, potest aliquando, ex Dominicani Theologi sententia, teste Ravestenio, sine novo auxilio gratiae excitantis credere, at non sine novo auxilio gratiae operatricis, ac physice praevenientis: proindeque admittit Sotus cum Ravestenio gratiam non Moliniano, sed Thomistico sensu immediate sufficientem.

§. V.

Observatio quinta.

OBservat quarto loco Duchesnius [a] ,, quod ut ipse Ravestenius ,, testatur, *concorditer hoc* ab ipso, & Ruardo *defendebatur*, ,, *positis omnibus ad credendum requisitis et necessariis*, *hominem* ,, *posse libere vel credere*, *vel non credere*: ac subjungit; *Imprimis* ,, *igitur admones, et meo quidem judicio, recte, libertatis rationem re-* ,, *quirere contingentiam ad utramque partem contradictionis*. Est au- ,, tem haec potestas non modo a coactione, sed etiam ab omni ne- ,, cessitate immunis; quod Sotus non admittit.

Notandum hoc loco imprimis est, Duchesnium ex variis Judoci verbis hinc inde decerptis unicum conflasse, eique tribuisse decretum, quod ejus mentem, atque sententiam, haud integram, & qualis re ipsa est, sed mancam, & mutilam repraesentat. Ut ergo ejus doctrina, quam obscurare Historicus nititur, optimo in lumine collocetur: sciendum est, quod Ravestenius tria refert a Ruardo pro facili hujusce de Gratia controversiae explanatione, constituta. 1. *Eam a ratione libertatis arbitrii, tanquam a primo quodam principio pendere*. 2. *Eam libertatis rationem requirere contigentiam ad utramque partem contradictionis*. 3. *Ut nullo alio posito, vel remoto, quod ad agendum, vel non agendum est necessarium, possimus agere, vel non agere, quidquid libere agimus, vel non agimus*. Quod ergo ad duos priores Tapperi canones pertinet; Judoco cum ipso convenit, recte illos fuisse ac sapienter constitutos. At subjungit, non esse illos tanti ad hasce extricandas difficultates momenti, quanti Ruardus existimabat: quod & libertas, & libertatis notio iis canonibus constituta, cum Soti perinde, ac ipsius Ruardi opinione integra illaesaque consisteret; ,, Hujus, *inquit* (b), primi principii consideratio tanti ,, momenti tibi videtur in hac disputatione, ut ex ejus veritate per- ,, specta

(a) Ils soutiennent de concert que *l'homme ayant tout ce qui est requis & necessaire pour croire, peut librement croire ou ne croire pas: par consequent, que le libre arbitre de l'homme a un pouvoir de se porter a deux partis opposez à son gré*, pouvoir exempt non seulement de contrainte, mais de toute necessité: ce que ne prétend pas Soto pag. 17.

(b) Epist. II. col. xcv. & xcvi.

„ specta existimes,facilem,& manifestam evadere propositae contro-
„ versiæ solutionem .. Verum R.D.Cancellarie, ingenue fateor, me
„ non posse ex eo principio, quamlibet illud versem, & considerem,
„ ad controversiae solutionem pervenire; sed contra videor mihi
„ perspicere, cum utriusque partis controversiae defensione posse
„ hoc principium probe consistere. *Et infra postquam Soti, & Ruar-*
„ *di opiniones exposuit* : Video, cum utraque parte contradictionis
„ optime consentire posse libertatis rationem: ac proinde rationem
potestatis non modo a coactione, sed & ab omni necessitate immunis. Non itaque de hac re, ut Historicus narrat, hinc Ruardus & Ravestenius, inde Sotus digladiabantur.

Sed quod ad tertium canonem attinet, unde maxime oriri videbatur opinionum divortium; illum non modo Ravestenius neutiquam probat, sed etiam pluribus rationibus, & invictis argumentis confutat: „ Quod vero, *inquit*, Dominatio Tua in descriptione
„ libertatis arbitrii adjecit, veluti excludens hanc nostram senten-
„ tiam, (*nostram vocat, ut sibi, ac Soto communem, & Ruardo*
„ *contrariam*) ad rationem libertatis requiri, ut nullo alio posito,
„ vel remoto, quod ad agendum, vel non agendum est necessa-
„ rium, possimus agere, vel non agere, quidquid libere agimus,
„ vel non agimus; id omnino videtur mihi praeter meritum, im-
„ mo & contra veritatem adjectum. Et quoniam mihi hinc nasci in-
„ ter nos controversia potissimum videtur, aliquanto prolixius hanc
„ rem perquirere & disputare, videtur operae pretium. Varias ergo adversus hanc Ruardi doctrinam proponit difficultates, quarum summa est, quod ut quis libere transgrediatur praeceptum, non oportet, ut ejusmodi servandi praecepti potestate praeditus sit, cui nihil omnino desit, ut conjungatur cum actu. Quare duplicem potestatem distinguit, proximam scilicet & remotam. Proximae autem potestatis nomine non eam intelligit, cui nihil deest eorum, quae necessaria sunt, ut sit ad agendum parata atque expedita; cujusmodi nunc Catholicae Sholae potentiam proximam vocant: sed quae omnia complectitur, quae, ut actu quis & reapse agat, desiderantur. Quapropter & potentiae remotae nomine eam intelligit, cui aliquid horum deest; etsi omnia complectatur, quae satis esse communiter

 exi-

existimantur ad proximam potestatem absolute constituendam. Primum ergo potentiae genus ait necessarium non esse, ut libere quis praeceptum aliquod transgrediatur: ac propterea ad notionem libertatis non requiri, ut positis omnibus, quae ad actu & reapse agendum necessaria sunt, possit homo, *possibilitate*, ut eam S. Augustinus vocat, *cum effectu*, pro sui tantum arbitrii nutu, agere, vel non agere: ,, Ex istis igitur videri posset, firmum, & solidum non ,, esse, quod in exordio constituit Dominatio Tua, neminem dicendum, posse aut credere, aut converti, aut facere, quae sunt pietatis, nisi qui possit, nullo alio posito, aut remoto, quod ad ,, agendum, vel non agendum est necessarium. Unde videtur mihi ,, necessario in multis adhibenda illa distinctio potestatis, sive possibilitatis, quam in secunda propositione (*prioris Epistolae*) constituebam; videlicet inpotestatem propinquam, sive conjunctam actui, (*hanc nostrates Theologi dicunt in sensu composito*) qua videlicet fit semper, quod fieri potest, etiamsi possit non fieri; & ,, in potestatem remotam, (*hanc Theologi de Schola vocant in sensu diviso*) quae videlicet ad faciendum id, cujus dat potestatem, adhuc ,, aliud quoddam necessario requirit.

Ergo quod ad notionem libertatis primum illud potentiae genus minime requiratur, sequenti probat argumento: ,, De priore potestate mihi quidem videtur locutus Dominus, dum dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*. Nam opinor, ,, Dominationem Tuam non intelligere, Christum locutum de alio ,, tractu, quam de tractu, quo trahitur mens, ut illi congruit ad veniendum. De credendo enim agebat Christus, non autem de potestate ,, credendi, ut manifestum est, & conclusio sermonis Dominici satis ,, indicat, dum dixit: *Propterea dixi vobis*; *Nemo venit ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo*. Consona his sunt, quae superius ex Bellarmino retulimus. Quum ergo certum sit, eos, quibus tunc datum a Patre non fuit, ut ad Filium venirent, libere noluisse credere; planum inde atque perspicuum est, quod liberae facultatis exercitium ex primo potentiae genere non dependet. Quod etiam subinde probat & in actibus bonis auctoritate S. Augustini. Non enim contra rationem libertatis, quae ad merendum desideratur, esse putan-

tandum eſt, ut efficacis gratiae vi infallibili nexu cum actu potentia libera conjungatur; ac proinde ut non poſſit, *poſſibilitate cum effectu*, malum agere, quum gratiae victricis ope ad bonum provehitur: „ Quod vero ſentis, contra rationem potentiae rationalis & „ liberae eſſe, quod inſeparabiliter ſit actui conjuncta, cum flecti „ poſſit in utramque partem contradictionis; credo, me tenuiſſe „ Auguſtini doctrinam, qui dicit, ſic ſubveniri electis, ut divina „ gratia *indeclinabiliter*, & *inſuperabiliter agantur*.

Hinc ergo facile intelligi poteſt, quomodo accipiendum ſit, quod paullo poſt idem Auctor ſubjungit, & ex ipſo Ducheſnius refert: *Concorditer hoc defenditur*; *Poſitis omnibus ad credendum requiſitis*, & *neceſſariis*, *hominem poſſe libere vel credere*, *vel non credere*. Non enim de potentia loquitur cum effectu, ſeu quae, omnibus illis poſitis, aliquando cum actu conjungatur, ſed de potentia, quam vulgo Theologi vocant *in ſenſu diviſo*, & quae quum certo in unam partem divinitus flectitur, non modo eſt a coactione immunis, ſed & cujuſcumqne neceſſitatis vinculis expedita. Hoc ergo eſt, quod, ut ait Raveſtenius, ab omnibus concorditer defendebatur: ſed omnium numero eximendus a Ducheſnio Sotus non erat; quum ſtatim idem graviſſimus Auctor Sotum nominatim in eorum numero includat: *Nam concorditer hoc defenditur &c. quamquam R. P. Confeſſor hoc opinatur nunquam futurum*, *ut poſitis omnibus ad credendum requiſitis & neceſſariis homo non credat* . . . . . . *Tua vero Dominatio contra ſentit* . . . . . . *Atque in ea diverſitate cardo controverſiae mihi poſitus videtur*; *neque ex ratione libertatis arbitrii ſolvi poſſe hanc difficultatem*, *intelligere valeo*. Non ergo de potentia libera & expedita inter Sotum & Ruardum, auctore Raveſtenio, diſceptabatur; ſed de potentia cum effectu, quam Sotus, & ipſe Raveſtenius adverſus Ruardum concorditer defendebant, non eſſe ad malum in eo, qui gratiae victricis ope ad bonum promovetur; id eſt, fieri non poſſe, concorditer exiſtimabant, ut quis malum actu, & reapſe operetur, quum efficaci gratia, ſeu phyſica praemotione ad bonum determinatur: neque hac re labefactari putabant, ſed integram inlaeſamque conſiſtere creatae notionem libertatis.

§. VI.

§. VI.

Obſervatio Sexta.

„ TAndem: *inquit Duchesnius* (*a*), habent Roardus & Rave„ ſtenius pro vera Chriſti gratia quamlibet ſuaſionem & per„ ſuaſionem interiorem, quemlibet cordis motum ad bonum ſaluta„ re, quamlibet illuſtrationem, inſpirationem, tractum, & voca„ tionem. Ambo gratiam efficacem eo a ſufficiente diſcriminant, „ quod illa congrua vocatio eſt, & inſpiratio, quam novit Deus prae„ ſentibus voluntatis diſpoſitionibus congruere; haec vero ſuaſio „ quaedam eſt, tractus, & vocatio, quam novit, non eſſe ejuſdem „ voluntatis diſpoſitionibus adtemperatam. Id totum Soto contra„ rium eſt.

Imo vero haec omnia ſi recte intelligantur, Soto conſentanea ſunt. Quod enim ad primum attinet, jam ſupra diſertiſſimis Theologi noſtri teſtimoniis oſtendimus, quemlibet pium motum, & quamlibet bonam cogitationem, vocationem, inſpirationem &c. generali quadam ſignificatione Chriſti gratiae nomine comprehendi; etſi ſpeciali quadam ratione, & κατ' ἐξοχὴν, gratia, quae Chriſtianam in nobis caritatem gignit, Chriſti gratiae nomine cenſeatur. Hanc vero duplicem Chriſtianae gratiae notionem etiam Raveſtenius agnoſcit. & ſequentibus verbis deſcribit (*b*): „ Ex iſtis etiam pa„ tet, quod promiſſiones illae Propheticae: *Faciam, ut faciatis*: „ *Auferam a vobis cor lapideum*; *dabo vobis cor carneum*; inſinuant „ illam, quae eſt VERE ET PERFECTE Chriſtiana gratia, nem„ pe qua donatur, ut velimus, & faciamus; quamquam & alii di„ vini tractus, & motiones, ad iſtam gratiam praeparantes, etiam „ vere ſint gratiae. Neque ab his abhorret Ruardus; nam Raveſtenio

(a) Enfin tous les deux reconoiſſent pour vraie grace de JESUS-CHRIST toutes ſuasions & persuasions interieures, tout mouvement du coeur vers le bien utile au ſalut, l'illuſtration, l'inſpiration, l'attrait, la vocation. Et tous les deux differencient la grace efficace de la ſuffiſante, en ce que celle-là eſt une vocation congrue, une inſpiration que Dieu ſçait convenir aux diſpoſitions ou ſe trouve la volonté, & que celle-ci eſt une ſuaſion, un attrait, une vocation qui n'eſt pas congrue. Tout ceci eſt opposé à Soto. *pag*. 17.

(b) Epiſt. 1. col. 70.

ſtenio ſuper his in haec verba reſpondet (*a*): „ Quod dicis, Chri-
„ ſtianam gratiam eſſe, qua donatur, ut velimus, & faciamus, &
„ aufertur cor lapideum, & carneum datur, de quibus frequentes
„ ſunt apud Prophetas promiſſiones; recte ſentis. Nam ſecundum
„ Auguſtinum, Gratia Dei in Chriſto Jeſu Domino noſtro, eſt ca-
„ ritas, per quam aufertur cor lapideum, & carneum donatur, &
„ facit, ut ambulemus in praeceptis ejus. Sed haec gratia, & ejus
„ conſervatio omnium motionum, tractuum, inſpirationum, & il-
„ luminationum finis eſt &c. Ergo a Ruardo, & Raveſtenio non diſcordat Sotus, quum ait ſpeciali quadam ratione caritatis inſpirationem Chriſti gratiae nomine ſignificari.

De congruiſmo etiam, & diſtinctione divinae gratiae in efficacem, & ſufficientem, propterea quod illa, non autem iſta congrua ſit & adtemperata voluntatis diſpoſitionibus, ſatis ſuperius diſputatum eſt: ac perſpicuis Raveſtenii teſtimoniis demonſtratum, Congruiſmum, quem Sotus rejicit, non eſſe niſi Congruiſmum Molinianum. Ceterum nullam paene eſſe ſententiam, quae gratiam non ita diſtinguat, aut diſtinguere poſſit, ut aliam congruam vocet, aliam incongruam. Nam & penes ipſos Pelagianos, & Semipelagianos jus & arbitrium erat has uſurpandi voces, eaſque gratiae ipſi, ſeu vocationi exteriori accommodandi: & Thomiſtis pariter atque Janſenianis aequum jus eſt eadem adhibendi vocabula: etſi Congruiſtae modo illi frequentius dicantur, qui gratiae coeleſtis efficaciam ex humanae voluntatis arbitrio nutuque pendere ſtatuunt, adeoque Molinianum Congruiſmum tuentur. Quamobrem Congruiſmus Catholicae profeſſionis Symbolum eſſe non poteſt; quod tamen incautis Lectoribus perſuaſum vellet Hiſtoricus. Nam poſtquam ſemel & iterum animadvertit, quod de hac re ambo Theologi Lovanienſes conveniebant, adjungit (*b*): „ Eorum ergo concordia in iis, quae
„ ad fidem pertinent, perfecta eſt; ut & eorum diſſenſus, in iis uti-
„ que, quae ſimiliter ad fidem pertinent, Dominicani Theologi opinionibus. Quare mirum eſſe non debet, quod Soti Epiſtolas veluti er-

(a) Epiſt. ad Judoc. col. 92.
(b) Leur concorde eſt donc parfaite en ce qui touche la Foy & l'oppoſition aux ſentimens du Jacobin. *pag.* 17.

erroribus, & haeresibus contaminatas traduxerit, qui Catholicae fidei doctrinam ad Molinianae Scholae placita exigendam existimavit.

§. VII.

Observatio septima.

QUum ergo in iis, de quibus hactenus disseruimus, jam Duchesnius pro certo habeat, miram inter Ruardum, & Ravestenium fuisse concordiam; quaerit subinde (*a*): „ qua tandem in re posita esset eorum controversia: atque eo tantum digladiatos fuisse respondet; quod Ravestenius, gratiam congruam ea, quae congrua non est, sed tamen vere sufficiens, ex se robustiorem, ac potentiorem fuisse, contenderet: unde colligebat, evenire non posse, ut ex duobus aeque dispositis, eademque gratia praeventis, alius ea tentatione vinceretur, quam alius superaret. Haec autem opinio adhuc inter Theologos obtinet: pro illa Vasquez decertavit: at contrariam cum Tappero Suarez amplexus est. Igitur sententiam Ruardi Suarez, Ravestenii autem opinionem Vasquez sequutus est: quumque ambo illi Societatis Scriptores invisa Soto, ac Thomisticae Scholae placita consectati sint, consequens est, veteres illos Lovanii Theologos, quod pertinet ad praesentem de gratia disputationem, a D. Thoma, ejusque Scholae opinionibus abiisse.

Et de Ruardo quidem nolim admodum cum Duchesnio confligere: attamen quod supra hujusce operis capite tertio observatum est, habeo quod iterum Lectorem moneam, fluxam esse Ruardi in ejusmodi controversiis auctoritatem, quod ille parum sibi constans, suique semper dissimilis, secum ipse perpetuo conflictari videatur; & in eisdem Libris, aut Operibus, imo eorumdem Librorum, sive Ope-

(a) En quoi donc la doctrine des deux Louvanistes étoit-elle discordante? En ce que Raveſteyn prétendoit que la grace congrue est en elle-meme plus forte que la non congrue, qui est neammoins suffisante, d'où il inferoit que de deux hommes également disposez & prévenus de la meme grace il ne pouvoit arriver que l'une cedat à la meme tentation à la quelle l'autre ne consentiroit pas. Ce point est encore aujourd'hui un sentiment d'Ecole: Vasquez l'a suivi, & Suarez a pris avec Tapper le contrepied. *pag.* 17.

operum una eademque pagina dissonas quandoque, ac repugnantes amplecti opiniones; ut ipse etiam Molina fateri coactus sit, eum praemotionem physicam tamquam probabilem agnovisse [a]. Et certe sunt quaedam in Ruardo loca, quae in aliam sententiam vix trahi posse videntur. Eorum aliqua heic indigitare libet, ut plane constet, illum, quod ad hunc articulum pertinet, neque omnino fuisse a Soto, ac Thomistis alienum; neque cum illo Suarez fuisse omnino conjunctum. Exponens enim in Explicatione Articuli septimi Lovaniensium, quam difficile sit conciliare cum gratia ejusque efficacitate, arbitrii libertatem, illud imprimis pro certo habet, quod voluntatem Deus moveat, & applicet, imo & determinet ad agendum, ut artifex suae artis instrumenta. hinc vero emergentes difficultates, ita solvere conatur, ut hanc tamen doctrinam, quam Scripturarum testimoniis niti fatetur, intactam, atque incolumem tueatur: „ Difficillimum, *inquit*, est intelligere, quod Deus operetur ipsum velle, utens voluntate tamquam instrumento, ipsam „ applicans ad opus, sicut intellectum ad salutares cogitationes, „ UT DOCENT SCRIPTURAE. Ipsam tamen voluntatem sic „ applicatam, & motam ad opus unum, nihilominus posse, & in „ sua habere potestate, libere eligere, & velle contrarium, ac refutare opus, ad quod movetur. Nam in potestate instrumenti „ non est, quod moveatur, aut non moveatur; potissimum comparatione Dei, cujus potestati nemo resistere potest, qui ut omnipotens plenum in omnia habet dominium, multo magis, quam figulus in vas, quod format, vel in massam, ex qua lutum sumit. „ Non igitur in potestate liberi arbitrii esse videtur, agere, vel eligere aliud, quam agit, vel eligit: quum non operetur, nisi motum; motum autem, non posse cessare, vel agere aliud, quam „ ad quod movetur. En in quo Ruardus constituit, ac positam esse agnoscit conciliandi efficacitatem divinae gratiae cum libertate arbitrii difficultatem. Hanc vero ut amoliatur, vel utcumque explanet; numquid in dubium revocat, quod in priore propositione assumtum est, Deum movere & applicare voluntatem ut instrumentum ad opus:.

(a) De Concordia disputat. 49.

Deo neminem posse resistere: Deum, ut omnipotens est, plenum habere in omnia dominium, multomagis quam figulus in vas, quod format, vel in massam, ex qua lutum sumit? Nihil horum Tapperus inficiatur; ac propterea humanam mentem sub hujus difficultatis mole fatiscere, ingenue cum Cajetano fatetur: quamquam ad eam utcumque explanandam, cum Angelico praeceptore adjungit; quod Deus omnia movens, ut ipsorum naturae consentaneum est, instrumenta libera sic movet, & applicat, ut libere agant, atque ut se in suo ipsa ordine moveant, ac determinent: „ Sed haec objectio, „ & difficultas non adversatur libertati voluntatis in naturalibus, & „ politicis, [*ac proinde multo minus in iis, quae pietatis sunt*,] in „ quibus etiam per divinam providentiam movetur, & determina„ tur ad opus; cujus propterea providentiae concordia cum libero „ arbitrio superat omnem intellectum, ut docet Cardinalis Cajeta„ nus circa quaest.22. in 1. P. B. Thomae art.4. Et illustrari potest „ haec obscuritas, si consideremus, Deum operari in unaquaque „ creatura secundum ejus conditionem, & naturam: & propterea „ agentia libera ut instrumenta applicare, ita ut libere, & contin„ genter ipsa operentur.

Similia etiam leguntur in ejusdem Ruardi Epistola ad Ravestenium, ubi inter cetera haec habet (*a*). „ Et verissimum est, „ quod dicit Concilium Arausicanum: quod inspiratio divina cor„ rigit voluntatem ab infidelitate ad fidem, ipsum affectum creden„ di non solum intus excitando, sed ipsum affectum credendi effi„ ciendo. Et addo, nec hoc solum, sed faciendo etiam voluntatem „ efficaciter velle. Non enim credere possumus, nisi Deo faciente „ nos credere. Imo Philosophia docet, quod nec ignis calefaceret, „ nisi Deus non solum ad calorem cooperetur, sed etiam ignem ap„ plicet quasi instrumentum ad calefaciendum. Sed istud non ve„ nit in disputationem, TAMQUAM PER SE NOTUM. *Et* „ *infra*: Determinat itaque Deus voluntatem ad volendum crede„ re, suadendo, & trahendo; quam determinationem, quae est „ quasi ex parte objecti in genere causae finalis, sequitur determi„ natio ex parte efficientis, quae fieri non potest, NISI A DEO,

„ & ip-

(a) Epist. ad Judoc. col.85.

„ & ipsa voluntate se, ut in humanis, ita in his, quae pietatis sunt, „ SUB DEO determinante ad volendum hoc, vel nolendum. In quibus verbis duplicem Dei in hominis voluntatem actionem & impulsum distinguit, quarum altera ipsam, ut ajunt, *moraliter*, seu *metaphorice* movet, atque impellit per modum finis, & objecti; altera, qua ut caussa efficiens physice in illam agit, eamque applicat, utiturque illa ut artifex instrumento; quamquam & se ipsa, quoniam instrumentum liberum est, sub Deo determinante determinet. Atque haec omnia, ut superiori loco, Scripturae testimoniis aperte consentanea dicit: ita in his, quae modo ex ipso descripta sunt, ait, quod tamquam ex se naturae lumine nota, nec debent in disputationem venire. Quibus profecto ignoro, an quidquam luculentius vel in ipsis tenacioribus Thomistis occurrat.

Haec autem ut nobis maxime arrident, & gratissima sunt; ita ad Molinianorum palatum sapere certe non possunt. Qui librum *de Ratione, atque Institutione Studiorum* jussu Praepositi Generalis Soc. Jesu, antequam celebres de auxiliis divinae gratiae controversiae Jesuitas & Praedicatores committerent, concinnarunt; inter praescriptas Theologiae Professoribus regulas, hanc ordine quintam statuerunt. *In Theologia doctrinam S. Thomae, ut cavetur 4. parte Constitut. cap.* 14. *Nostri sequantur, paucis exceptis*. Tum inter pauca illa id etiam recensetur; quod caussae, ut ajunt, secundae tamquam instrumenta Dei ab ipso moveri debeant, & applicari ad agendum: *Nostri itaque non cogantur defendere quae sequuntur .... Secundas caussas esse proprie, & univoce instrumenta Dei: & quum operantur, Deum in illas primum influere, aut eas movere*. His itaque Theologis, qui totius Societatis nomine, & auctoritate leges Theologiae Professoribus praescripserunt, hanc suam Ruardus doctrinam neutiquam adprobaverat, quod Deus caussis liberis utatur tamquam instrumentis, easque ad suas actiones moveat, applicet, ac determinet.

Suarez ergo, ut legum suae Societatis observantissimus custos, sedulo cavit, ne D. Thomam sequeretur, sicubi docuit, Deum caussas liberas tamquam instrumenta movere, & applicare ad agendum. Ne vero ab Angelico Praeceptore aperte recedere videretur, ait,

 S. Do-

S. Doctorem hanc opinionem in aliis suis operibus, ac praesertim in Summa Theologica revocasse. Varia enim expendens ejusdem S. Thomae testimonia; queis, inquit (a) *nixi nonnulli sententiam eidem adtribuunt de gratia efficaci de se praedeterminante physice voluntatem*; celebrem locum ex quaest. 3. de Potentia art. 7. ad 7. octavo loco recenset; ex eoque plane colligi adserit, Deum motione praevia, atque fluente determinare caussam secundam, eademque tamquam instrumento uti, ad ejus operationes exprimendas: quod unum physicae praedeterminationis nomine nostrates Theologi intelligunt. Subjungit tamen, nulla ipse omnino ratione nixus, Angelicum Doctorem in illa sententia neutiquam permansisse: „ Octavus, *inquit*, & „ celebris locus est ex quaest. 3. de Potentia art. 7. ad 7. ubi D. Thomas ait: *Id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est* „ *ut intentio sola, per modum, quo colores fiunt in aere, & virtus* „ *artis in instrumento artificis*: Per quae verba plane docet, Deum „ influere causae secundae aliquam virtutem realem, & fluentem, „ quam intentionalem vocant. Per illam ergo intelligit, Deum de- „ terminare caussam secundam, & uti illa tamquam instrumento ad „ ejus operationem. De quo loco ingenue fateor, D. Thomam ibi „ ita sensisse. Credimus tamen, eum in sua sententia non perman- „ sisse: quia neque in Summa, neque in aliis libris Sententiarum, „ & contra Gentiles, illum causalitatis modum Deo attribuit. Non est hic locus disputandi, qua tandem Suarez ratione nixus id credat: Id enim tantum volumus, hoc S. Thomae testimonio, ut ipsemet Suarez *ingenue* fatetur, doctrinam de gratia efficaci, ac physice praedeterminante contineri. Quum enim idem, quod D. Thomas, etiam Ruardus, superius descriptis ex ipso testimoniis, disertissime doceat; sequitur, iis locis, D. Thomae, ac Thomistarum opinioni Ruardum aperte patrocinari; neque Suaresio eorumdem locorum probari potuisse doctrinam.

Fateor tamen & ipse ingenue, alia Ruardi testimonia adferri posse, in quibus contrariam sententiam amplecti videatur. Sed id, puto, nemo diffitebitur, argumento esse, quam parum nitidae Ruardo fuerint de his rebus notiones, & parum constans, firmumque ju-

(a) In Opere posthumo de vera intelligentia Auxilii efficacis cap. 40.

judicium. Cujus rei hoc etiam ipſe Ducheſnius nobis exhibet argumentum; quod quum ipſe tradat, Suareſium Tappero duce aliam a Vaſquelio viam iniiſſe; Vaſqueſius tamen ejusdem Tapperi de hac ipſa re, de qua modo diſſerimus, auctoritate glorietur: „ Plures, „ *inquit* (*a*), Theologi noſtrae aetatis, quibus favent Driedo, & „ Ruardus, cap.6. a nobis allegandi, multo probabilius abſolute „ cum Auguſtino pronunciant, & pro viribus defendunt, omnes, „ qui vocationi reſpondent, majori antecedentis gratiae beneficiò „ fuiſſe excitatos, quam eos, qui gratiae praevenienti reſiſtunt. Ita„ que in iis, qui conſentiunt, & in omnibus Praedeſtinatis gratiam „ operantem praevenientem, & excitantem, majorem eſſe, quam „ in aliis: atque ex duobus, quos aequalis gratia praevenit, nun„ quam unum conſentire exiſtimant, altero repugnante. Itaque ſi Ducheſnium audimus, Ruardus ſtat a Suaris partibus contra Vaſquem: Si Vaſquem, Ruardus pro ipſo militat adverſus Suarem. Quare neceſſe eſt, ut vel alteruter hunc Auctorem oſcitanter legerit; vel ejus admodum anceps ſit, atque implexa de hoc argumento doctrina.

Quum igitur Suari non ſatis tutum in auctoritate Ruardi praeſidium ſit; videndum eſt, an meliori jure Ducheſnius Vaſqueſio vindicet Raveſtenium. Profecto, quum nemo inficias iverit, ac ne ipſe quidem Hiſtoricus negare audeat, alios fuiſſe de efficacitate divinae gratiae Ruardi, & Raveſtenii ſenſus, alias opiniones; conſequens eſt, ut Vaſqueſio, qui ſibi Ruardum adjudicat, Raveſtenii auctoritatem abjudicemus.

Sed quid conjecturas ſequimur, quum hujuſce rei perſpicua nobis ac praeclara ſuppetant argumenta, ex horumce Auctorum verborum ſententiarumque conflictu? Vaſqueſii enim opinio ſequentibus verbis continetur (*b*): „ Si ſcientiam Dei, quae metitur vocatio„ nem cum eventu, ſecludamus, & de quavis vocatione ante prae„ ſcientiam loquamur; liberum eſt unicuique, cuivis conſentire, „ & repugnare; ac proinde facere congruam. Eſſe enim vocationem „ congruam, aut non congruam, ex libero pendet arbitrio; ſicut rem „ fore, aut non fore: tametſi ex eo non pendeat, eam vocationem

„ no-

(a) In p. P. Disput. 94. cap. 3. (b) Ibid. cap. 8.

„ nobis concedi, quae in nobis congrua futura est. Ex quibus perspicue apparet, Congruismum, quem Vasquesius docet, ac tuetur, purum-putum esse Congruismum Molinianum; cujus vis posita est, non in contemperatione gratiae cum praesentibus voluntatis dispositionibus, sed in convenientia, seu congruitate coelestis vocationis cum futuro voluntatis consensu; ex quo tandem, ipsius opinione, pendet, ut ipsamet divina vocatio congrua sit, aut non congrua; ac proinde efficax, aut inefficax.

Hanc vero doctrinam Ravestenius conceptis disertisque verbis reprobat, & confutat. Quid enim adversus illam adferri ptest hoc Judoci testimonio disertius, ac luculentius? *(a)* „ Quod enim „ efficacia divinae gratiae existimetur pendere ab humanae volunta- „ tis conditione aut potestate, prorsus non approbo. Gratia enim „ ex eo efficax dicitur, & est, quod SUA VI operationem in volunta „ te constituat, tametsi libere: quare non dependet ejus efficacia a „ voluntate, sed potius a propria virtute, efficiente in voluntate „ suum effectum....... neque mutuatur suam efficaciam a volun- „ tatis potestate, sed voluntatis potestatem liberam SUA VI rapit, „ & incitat ad certum effectum. An non tibi videtur recte procedere instituta Vasquesium inter, & Ravestenium comparatio? Quod enim ille adfirmat, hic negat. Adfirmat ille, ex futuro voluntatis consensu pendere, quod coelestis vocatio congrua sit, aut non congrua; ac proinde efficax, aut inefficax; Hic vero prorsus non adprobat, quod efficacia divinae gratiae existimetur pendere ab humanae voluntatis conditione, aut potestate. Equid m quum Tiletanum ejusmodi verbis de efficacitate coelestium auxiliorum differentem intelligo, audire mihi videor Lemosium ipsum, aut Alvarem, de eodem argumento disputantes; Te vero, qui eumdem Theologum ad Vasquesii partes adgregare conaris, adeo miror, quam si laudatum Lemosium nitereris efficere Molinianum. Prorsus tam fieri non potest, ut informatam Judoci verbis divinae gratiae notionem Vasquesius adprobet; quam ut admittat gratiam ex se, & suapte vi efficacem: hic enim praecipuus articulus est, quo Thomistica Schola a Societate disjungitur; quare id omnino spondeo futurum, nullam dein-

(a) Epist. 2. col. 109.

deinceps fore Thomistas inter ac Societatis Theologos de efficacitate divinae gratiae controversiam, modo cum Tiletano aperte & candide profiteantur: „ Gratiam ex eo dici efficacem, & esse, quod sua „ vi operationem in voluntate constituat, tametsi libere, & quod sua „ vi voluntatis liberam potestatem rapiat, & incitet ad certum „ effectum.

Hinc vero non solum liquet, quam inani opera irritoque conatu Duchesnius in suas Ravestenium pertrahere partes adgressus sit; sed etiam quam temere & inique Baianorum Editor haud secus de Tiletano, ac de Tappero effutierit *(a)*; „ Pelagiano furfure „ conspersi fuerunt, & a S. Augustini doctrina alieni, cujus Ope- „ ra, imbuti suorum praeceptorum opinionibus, legerant, non ut „ ejus mentem assequerentur, sed ut eum in suum sensum pertra- „ herent, quem unice tenendum putabant. Et post plura in eam rem de Tappero; ad Tiletanum speciatim quod adtinet, haec subjungit: „ Judocus Ravesteyn, qui Tapperi auditor fuerat, non „ minus aegre ferebat, sententias, quas a Tappero didicerat, a Mi- „ chaele Baio tamquam Catholicae S. Augustini doctrinae adversas „ rejici. At quam immerito Pelagianismi Ravestenius insimuletur, & quam injuria Pelagiano pulvere conspersus, & ab Augustino alienus dicatur, & Ruardi de Gratia dogmatis addictus; ex iis, quas versamus, Epistolis, ac potissimum ex nuper descriptis ejus verbis, manifestum est. Neque enim Pelagianus, aut Semipelagianus, aut qui ab Augustini doctrina averso fuisset animo, aliquando docuisset; gratiam *ex se* & *suapte vi* elicere voluntatis adsensum, & operationem in voluntate constituere. Temere porro atque impie adseritur, neminem Baio fuisse adversatum, nisi qui Catholicis Augustini de Gratia sensibus ac doctrinae refragabantur. Sed est ad Sotum, propter quem haec omnia disputata sunt, revertendum.

Quid enim ad haec dicturus est Baianae Historiae Gallicus Concinnator? En testem habemus pro Soti orthodoxia, nedum coaevum, & qui ejus de Gratia Epistolas, statim atque in lucem emissae sunt, adtente versavit, sed etiam omnibus praejudiciis & adfectibus liberum, cum Tappero societate & amicitia conjunctum, ejus in- op-

(a) Baiana pag. 217. & 219.

oppugnandis Bajanis novitatibus collegam, & ad quem denique, eo sublato, belli adversus Baianos veluti summa delata est: Et hic tamen non solum Soti Epistolarum sensum veluti Catholicum, & orthodoxum defendit, nullisque ipsi eae Epistolae visae sunt Baianae doctrinae sordibus inquinatae; sed etiam secundum Sotum in ea Epistolari cum Ruardo concertatione judicavit. Quid ad haec, inquam, Duchesnius dicturus est; qui sibi tot naevos, tot errores, tot haereses videre in illis Epistolis visus est? qui Sotum, cujus adversus Ruardum partes Ravestenius egit, veluti Baianorum prodromum, & Baianae Sectae praeformatorem, & architectum, aut satorem exagitavit? An Ravestenium dicet Soti Epistolas benignius interpretatum, & erga Sotum propensiore fuisse animo? At cur non & ipse eodem adversus optimum Virum, Oecumenici Concilii lumen, & Catholicae Fidei in Anglia instauratorem, & in Germania propugnatorem; summo apud Ecclesiae & Reipublicae Principes in honore, & existimatione habitum, summisque omnium Theologorum encomiis & laudibus celebratum; cur, inquam, erga ipsum non eadem, qua Ravestenius, benignitate usus est? Cur non in extorquendo Baianis tanti Viri suffragio Tiletani prudentiam imitatus est? Cur denique ipsi tam nequam esse licuit in Theologi nostri verbis ad haereticum sensum detorquendis, quam bonus Judocus fuit in eisdem ad sensum Catholicum revocandis? Quamquam quod Sotus Catholicus videatur, non equidem Ravestenio, commodius ipsum interpretanti, tribuendum: sed jure illius Epistolas pro Catholicis habitas fuisse; nec eis Duchesnium nisi per summam injuriam Baianos errores adfricuisse; satis me in hoc Opere ac luculenter demonstrasse existimo, & Lectoribus, praejudicatis opinionibus, & partium studio liberis, adprobasse. Nam praeter quasdam loquendi formulas, his certe temporibus neutiquam usurpandas, sed quibus tunc innoxie Sotus uti potuit, qui universam illius doctrinae seriem animo complexus fuerit, & ad ea, quae hactenus disseruimus, animum intenderit; non eum, puto, Baiani Systematis errores praeformasse, sed praedamnasse, comperiet, ac certo nobiscum adfirmabit.

F I N I S.

